This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

209791

Digitized by Google

Digitized by Google

ADPARATVS LITTERARIVS

VBI

LIBRI PARTIM ANTIQVI PARTIM RARI RECENSENTVR

COLLECTVS

A

FRIDER. GOTTHILF FREYTAG

I. C.

TOMVS II.

LIPSIAE

EX OFFICINA WEIDMANNIANA

1753.

Digitized by Google

Digitized by Google

PERILLVSTRI, ATQVE. EXCELLENTISSIMO

DOMINO

IOANNI. IACOBO

a. BRAWE

POTENTISSIMI. POLONIARVM. REGIS

ET. SERENISSIMI. SAXONIAE

PRINCIPIS. ELECTORIS

IN. CVRIA. SANCTIORE. RERVM. CAME

RALIVM. ET. METALLICARVM

CONSILIARIO

HVNC. LIBRVM

L. M. Q.

DEDICAT

Digitized by Google

SIMVLQVE

PATRONO. VENERANDO

EA

QVA. DECET. ANIMI. OBSERVANTIA

SE. COMMENDATVM. ESSE

CVPIT

FRIDERICVS. GOTTHILF. FREYTAG

Digitized by Google

SALVTEM LECTORI

Paucis TE volumus B. L. quoniam praeter ea, quae Tomo primo praefati ſumus, fere nihil eſt, quod dicere poſſimus. Indicem prioris Tomi, deſiderarunt nonnulli viri docti, quorum admo-

Digitized by Google

nitionibus, vt morem gereremus, indices vtriuſque voluminis, praeſenti Tomo adiecimus. Obſtrictos autem nos iis profitemur, qui, vt ſuum nobis indicarent fauorem, ſuas miſerunt ſymbolas, quarum mentionem honoris cauſſa, in hoc Tomo fecimus. Ita vero TVO L. B. fauori, quem adhuc experti ſumus, nos etiam atque etiam commendamus.

Digitized by Google

I.

BIBLIA integra: summata: distincta: superemendata: vtriusque testamenti concordantiis illustrata. in 8. folior. 491.

Editio, litteris gothicis minutissimis & nitidissimis exscripta est, & versionem sic dictam *vulgatam* complectitur. Initio reperiuntur, *ad diuinarum litterarum verarumque diuitiarum amatores exhortatio*, & *summarium*, siue dispositio BIBLIE, quae omnia, & aliis BIBLIORVM editionibus, seculo XV. & XVI. impressis, praemitti conspeximus. *Adhortatio* inchoatur verbis: *Qui terrenis opibus diuites fieri volunt: incidant in temptationem & in laqueum diaboli* &c. In *Adhortationis* fine, legitur

1) *In summarium BIBLIE ad lectorem Tetrastichon*

Qui memor esse cupit librorum Bibliothece:
Discat opus presens: si retinere velit.
Maxima de minimis: ex partibus accipe totum
Inuenies quod amas: si studiosus eris.

2) *In ordinem librorum distichon ad eundem.*

Perspice nunc lector: quis debitus ordo librorum
BIBLIA quos sociat: ordinat atque probat.

3) *Librorum ordo.* Vndecim sunt versiculi memoriales, quibus omnes BIBLIORVM libri continentur. Illos & in multis aliis editionibus inuenimus, v. c. in editione *lugdunensi* 1512. in fol. e qua eorum initium

Digitized by Google

descripsimus Tom. I. *Adparat. litterar.* p. 142. Iſtis verſiculis in hac editione, hoc ſubſcribitur diſtichon:

Sit benedictus Deus & homo de virgine natus
Credentes vobis ſacris: ſaluare paratus.

Cuilibet libro biblico, in capita quidem, ſed nondum in verſiculos diſtincto, *prologus* praemittitur S. Hieronymi, & breue *argumentum*. Liber Nehemiae, Esdrae *ſecundus* eſt, quem *tertius* & *quartus* liber ſequuntur. *Acta*, ſiue vt heic vocantur *actus Apoſtolorum*, in fine *Epiſtolae ad Hebraeos*, locum inuenerunt. Ea excipiunt ſeptem *epiſtolae canonicae*, & *apocalypſis*, cui typographus haec coronidis loco adſcripſit:

Fontibus ex grecis hebreorum *quoque libris*
Emendata ſatis & decorata ſimul
BIBLIA *ſum preſens ſuperos ego teſtor & aſtra*
Eſt impreſſa nec in orbe mihi ſimilis
Singula queque loca cum concordantibus extant
Orthographia ſimul quam bene preſſa manet.

Explicita eſt BIBLIA *preſens*. Baſilee *ſumma lucubratione per* Johannem froben de Hammelburck. *Anno nonageſimo primo ſupra milleſimum quaterque centeſimum* (1491) *die vero viceſima ſeptima Junii.* Quod iidem verſiculi, & in aliis BIBLIORVM editionibus legantur, teſtis eſt editio *lugdunenſis* 1518 in fol. quea in Jacobi Frid. Reimmanni *Catalogo Bibliothecae theologicae ſyſtematico critico* Tom. I. *Hildeſiae* 1731. in 8. p. 206. deſcribitur. Editioni, quam deſcripſimus, adiicitur 1) prolixus *index* alphabeticus, qui *interpretationes* hebraicorum *nominum*, ob oculos ponit; 2) narratio *de translatoribus* BIBLIE nimirum de LXX viris, Aquila, Theodotione, Symmacho, de auctore *vulgatae* verſionis, Origene, & S. Hieronymo. 3) *Modi intelligendi ſacram ſcripturam.* Sunt illi Hiſtoria, Allegoria, Anagogia, Tropologia. Margini per omne volumen, loca quaedam parallela adpoſita ſunt. Editionis mentio iam facta fuit a Michaele Maittaire in *Annal.*

Digitized by Google

Annal. typogr. Tom. I. *Amstelod.* 1733. p. 530. a Jacobo le Long in *Bibliotheca sacra, Paris.* 1723. in fol. p. 253. a Joan. Georg. Hagemanno in *Nachricht von den fürnehmsten Uebersetzungen der* Heil. Schrift *in andere Sprachen nebst deren ersten und fürnehmsten Ausgaben, Quedlinb.* 1747. in 8. p. 91. vbi Jacob. Frider. Reimmanni *Catalog. Biblioth. theologic.* Tom. I. p. 205. testem producit. Euoluimus locum ab Hagemanno excitatum, & omnia alia deprehendimus. Describitur quidem BIBLIORVM editio *basileensis* an. 1491. sed illa non a Joan. Frobenio in 8. sed *impensis & singulari cura spectabilis viri* Nicolai Keslers, *ciuis* basileensis, in folio, excusa dicitur.

II.

Τῆς καινῆς διαθήκης ἅπαντα. NOVVM JESV CHRISTI TESTAMENTVM, Graece, Collatis non paucis venerandae fidei exemplaribus, accuratissima nunc lima editum. *Basileae apud Nicolaum Brylingerum, Anno MDLVIII.* (1558.) in 8. pp. 690.

Plus vna vice, NOVVM TESTAMENTVM ex recognitione Desiderii Erasmi, editum fuit ex *typographia brylingeriana.* Exstat editio, *ad tertiam editionem* Erasmi vulgata 1533. in 8. Vid. Jo. Alb. Fabric. *Biblioth. graec.* L. IIII. Cap. V. p. 185. Jacob le Long *Biblioth. sacr.* Tom. I. p. 205. Anno 1542 ex eadem officina typographica, teste Jacobo le Long l. cit. p. 206. prodiit *graece & latine.* Editio anni 1548. memoratur a Jacobo le Long l. cit. p. 207. & in *Nachrichten von einer* hallischen *Bibliothek* Tom. IIII. p. 191. De editione *graeco-latina* anni 1549. vid. Viri S. R. Sigmund. Jacobi Baumgarten *Nachrichten von merkwürdigen Büchern* Tom. II. p. 4. sqq. Editionis *graeco-latinae*

Digitized by Google

tinae an. 1553. mentio facta fuit a Jacobo le Long l. cit. p. 210. Editionis *graecolatinae* an. 1556 recensionem legimus in den *Nachrichten von einer* halliſchen *Biblioth.* Tom. IIII. p. 192. De editione anni 1558. *graeco-latina* vid. Jacob. le Long l. cit. p. 310. Illa cuius titulum adſcripſimus, & quae ſolum textum graecum, non quidem nitide expreſſum, necdum in verſiculos diſtinctum, ob oculos ponit, Jacobo le Long incognita fuiſſe videtur, niſi ipſa illa eſt, quam *cum verſione latina* anno 1558. prodiiſſe exiſtimauit. Omni deſtituitur praefatione & cum *Euangelio* Matthaei ſtatim inchoatur. De aliis recentioribus editionibus, *brylingerianis*, vid. Jacobi le Long *Bibliotheca ſacra*, paſſim.

III.

Liber ſacroſancti euangelii de Jeſu Chriſto Domino & Deo noſtro. Reliqua hoc codice comprehenſa pagina proxima indicabit. Diui Ferdinandi Rom. Imperatoris deſignati, iuſſu & liberalitate, characteribus & lingua Syra, Jeſu Chriſto vernacula, diuino ipſius ore conſecrata, & a Johanne Euangeliſta hebraica dicta, ſcriptorio prelo diligenter expreſſa. Principium ſapientiae Timor Domini. in 4. folior. 326.

In *Analectis litterariis de libris rarioribus Lipſ.* 1750. in 8. p. 961. auctores iam nominauimus, qui rariſſimum, & regiis, quibus in lucem editus fuit, impenſis, digniſſimum codicem deſcripſerunt, e quibus facile intelligere quiliber poterit, quid in illo inueniatur. Cum euoluereremus librum, primo adſpectu edocti fuimus, quod in omnibus exemplaribus, *dedicatio* editoris *in Acta Apoſtolorum*, & *epiſtolas* Jacobi, Petri

Digitized by Google

Petri & Joannis, vt S. R. Auctor der *Nachrichten von einer* halliſchen *Bibliothek*. Tom. I. p. 91. adnotauit, deſideretur, quamuis in Elencho eorum, *quae hoc codice comprehenduntur*, num. V. & VII. earum *dedicationum* diſertis verbis mentio facta fuerit. Jacobus praeterea le Long errare conſpicitur, cum in *Bibliotheca ſacra* Tom. I. p. 104. poſt primam totius operis paginam, haecce legi verba ſcribit: Viennae Auſtriae *excudebat* Michael Zymmermann *anno MDLXII.* Exemplum enim, quo vtimur, nihil tale refert. Spectauit id olim ad Bibliothecam Nicolai Selneccери, cui, a Daniele Luntzero, ſenatore viennenſi, hoc adſcripto elogio, transmiſſum fuerat: *Reuerendo atque clariſſimo Viro Dno* Nicolao Selneccero *S. Sanctae Theologiae Doctori & Profeſſori Eximio, Eccleſiae* Lipſenſis *Paſtori vigilantiſſimo, eiusdem vicinarumque Superintendenti generali &c.* Daniel Luntzer *Senator* viennenſis *Dono mittit.* Inſunt codici, figurae variae hieroglyphicae, in honorem Ferdinandi Romanor. Regis effictae, & ligno eleganter inciſae. Finis codici imponitur, Carmine Joan. Albert. Widmanſtadii, *ad Dn.* Philippum Gundelium *Jurisc. & Senatorem regium, Affinem chariſſ. cuī hic liber ſine, a* Latinis, *diuerſo claudatur.*

Phoebus *vt exoritur dextra occiduasque per oras*
Laeua petit mundi, vt magis eſt penetrabile telum
Dextra ſiniſtrorſum quod agit ſic gens recutita,
Sicque patres Syrii *& calamo inglomerante figuras*
Mollis Arabs *ſcribit dextra ad laeuam, vltima caeli*
Machina ceu torquet radiantia lumina primo
Motu: At Cadmus Agenorides, *&* Euandria *mater*
(*Ni modo*, Jane *ſacer* (Janus pro Noacho) *meritum*
hunc tibi ſumis honorem)
Contra, Gralugenum, *proceres, Latiumque vetuſtum*
Scribere in auerſam partem docuere elementa:
Sic, vti ab Heſperio *nituntur cardine ſtellae*
Septem ad Memnoniam *genitricem: quis neget inde?*
Caeruleos axeis legem hanc ſtatuiſſe orienti
Infuſis populis, & quos gelido aere Veſper

Digitized by Google

Vmbrifer incumbit: diuiſo vt in orbe tabellas
Conſcribant calami diuerſo calle, nitentes.
Recte igitur Syrus *haec diuina volumina* Chriſti
Explicat, vt laeua ſcytales duo cornua verſet,
Vmblicis geminis picta, exuuiisque relictis
Chartarum ad dextram, cui principium datur. An ne
Haec tibi ſufficiunt Gundeli, *an plura requiris?*
Caetera ſi deſint, a te ipſo ſumere pergas.

Philippus Gundelius *Jurisc. reſpondit* tali carmine:

Fernandi *regis magni, quod munere rurſus*
Sol oriens ſacrum ſuſcipit eloquium:
Conuerſasque notas conuerſo tramite gentes
Agnoſcunt, debent pulchra Vienna *tibi*
Auſtriaca, Aſſyrias *quae promis ab arte figuras*
Et reddis matri quod dedit illa prior.
Tantum Lucreti *doctiſſime praeſtitit orbi*
Ingenium, varia quod colis arte, tuum.

De editore Jo. Albert. Widmanſtadio vid. quae in *Analectis litterariis* l. cit. & p. 557. diximus.

IIII.

DT NYE TESTAMENT JHESV CHRISTI, durch D. Martinum Luther, mit vlyte verdüteſchet. Mit ſchoenen Figuren vnde korten ſummarien, wol geordinerten vnde vormerden Concordantien, vormals yn Saſſiſcher ſprake nicht geſeen. *Gedruckt tho Wittemberch, dorch Georgen Rhauwen Eruen 1562.* in 4. folior. 547. exceptis foliis 6. prioribus, & indice folior. 5.

In codice NOVI TESTAMENTI, dialecto Saxoniae inferioris, litteris maiusculis exſcripto, occurrit primo loco Samuelis Seelfiſch, qui libro imprimendo ſumtus ſuppeditauit, praefatiuncula ad lectorem, vbi

Digitized by Google

inter alia haec leguntur: *Dewyle dann nicht allene billick, ſunder ock chriſtlick vnde Gödtlick, dat ein yder Menſche, yn den Saken de Godes ehre, vnde des Nechſten Salicheit, belangen, willich vnde vlytich ſich ertöge. So hebbe ick dat NYE TESTAMENT, vnſes Heren JHESV CHRISTI nicht allene, mit grothen lettern, ſunder ock mit nyen vnde korten Summarien. Ock mit vpgeſochten vnd woluorordneten Concordantien, de vörmals yn nenen* Sasſiſchen *TESTAMENTEN, vorlyuet, vpt truwlikeſte drücken latben, de thouorſicht, ſolcker myn vlyte werde velen framen Chriſten dinſtlick vnde wolgefellich ſyn.* Praeter Lutheri *praefationes*, in NOVI TESTAMENTI libros, *ſummaria*, & *loca parallela*, in margine adnotata, inueniuntur etiam Lutheri *gloſſae*, in hoc codice, dialecto, ſuperius memorata expoſitae. Figurae ligno inciſae, artificem non ineptum produnt. Jacobus le Long in *Bibliotheca ſacra*, nullam codicis ſatis rari, mentionem fecit. Locus I. Joan. 1. v. 6. 7. 8. fol. 467. hac ratione mutilatus legitur: *Deſſe yſſet, de dar kumpt, nit water vnd blode, JHESVS CHRISTVS, nicht nit water allene, ſunder mit water vnnde blode. Vnde de Geiſt yſſet, de dar tüget, dat de Geiſt warheit ys. Wentbe dre ſynt, de dar tüchenijſſe geuen vp Erden, de Geiſt vnde dat water, vnnde dat Blodt, vnde de dre ſynt by einander.*

V.

Pſalmorum Dauidis aliquot metaphraſis Graeca, JOANNIS SERRANI. Adjuncta e regione paraphraſi Latina G. Buchanani. Precationes Eiusdem Graecolatinae, quae ad ſingulorum Pſalmorum argumentum ſunt accommodatae. *Anno M. D. LXXV.* (1575) *Excudebat Henr. Stephanus.* in 12. pp. 157. exceptis 14. foliis prioribus.

Digitized by Google

Causſam, qua permotus fuit JOANNES SERRANVS, vt in quosdam dauidicos *Psalmos*, *metaphrasin* conscriberet *graecam*, ipsis illius verbis exponemus, quae leguntur in epistola dedicatoria, ad Hieronymum Manuelem, reipubl. bernensis quaestorem, scripta Lausannae Kal. aug. 1575. *Quum superioribus*, inquit, *annis ad acerbissimae calamitatis primordia, deliniendus esset animus: non aliunde meliora peti poterant remedia, quam ex sacrorum librorum lectione*, Psalmorum *maxime: quos animis nostris veluti medicandis atque curandis, spiritus sanctus destinata composuisse, nobisque ad illum vsum videtur tribuisse. Animorum enim nostrorum vt hic nitra quaedam multiplexque anatome perspicitur, ita & copiosissimum omnium remediorum velutè pharmacopoeum explicatur. Dum* psalmos *igitur ego studiosius lego, accidit vt &* Buchanani paraphrasin, *aliquando adhiberem: &* Buchanani *etiam auspiciis & quasi vestigiis inhaerens, eos quoque* Psalmos, *qui exulcerato animo meo videbantur accommodatiores conarer* graeco *idiomate interpretari. Adiunxi quoque singulis* psalmis precationes *breues, quae* Psalmi *argumentum repraesentarent: vt mihi illius lectionis fructus certius constaret. Habes scripturiunculae istius incunabula, ornatissime vir: quae fortasse melius a me fuisset suppressa, vt potius culpa carerem, quam culpam deprecarer.* Non autem omnes *Psalmi* graeca ciuitate a JOANNE SERRANO donati fuerunt, sed illi tantummodo, quos *luctuosos* nominare SERRANO placuit. Sunt illi *Psalmus* XI. XII. XIII. XVI. XIIX. XXII. XXX. XXXI. XLIII. XLVIIII. LXII. LXXVIIII. LXXXIIII. LXXXV. LXXXVI. LXXXIIX. XC. XCI. XCII. XCIIII. XCVII. CIII. CXLI. VI. Quod *Psalmum* XIIX. inter *luctuosos* etiam retulerit, ideo factum esse scribit, vt extaret aliquod monumentum non solum grauissimorum, quibus ille vixerit temporum, sed spei etiam, quam de rebus Gallorum, & inprimis sic dictorum Hugonotarum, quibus ipse addictus erat, instaurandis conceperit. Cuilibet *Psalmo*, e regione, *paraphrasis*

Digitized by Google

phrasis latina Buchanani adposita, in fine autem *precatio*, cuius in epistola dedicatoria fecit mentionem, prosaica *graeca* & *latina* subiecta est. Cum paginae aliquot in libello vacuae essent, initio voluminis, *duo ἐιδύλλια*, *ex* Danielis *precatione*, *quae exstat Cap. VIIII. & ex* Esaiae *Cap. LXVIIII. repraesentata*, & Psalmorum *argumento plane adcommodato* adtulit. Illa excipiunt carmina encomiastica, graeca & latina ab Henrico Stephano, Francisco Porto, Bonauentura Vulcanio, Blasio Marcuardo, Simone Goulardo, Joan. Anton. Saraceno, & Vrbano Caluetone composita. In fine conspicitur *Canticum* Simeonis Luc. II, 29 sqq. & *veràe religionis descriptio*, gr. & lat. Posteriorem in lectorum gratiam heic adscribimus:

Quaenam age tam lacerâ vestita incedis amictu?
Religio, summi vera Patris soboles.
Cur vestis tam vilis? Opes contemno caducas.
Quis liber hic? Patris lex veneranda mei.
Cur nudum pectus? Decet hoc candoris amicam.
Cur innixa cruci? Crux mihi grata quies.
Cur alata? Homines doceo super astra volare.
Cur radiant? Mentis discutio tenebras.
Quid docet hoc fraenum? Mentis cohibere furores.
Cur tibi mors premitur? Mors quia mortis ego.

* * *

Ἐιπὲ σὺ τίς τελθεὶς πενιχρὸν ῥάκος ἀμζιεσθείσα.
Θρήσκη, ἀψευδὴς ἀθανάτου γενετά.
Τίπτε πέπλος λιτός; Θνητῶν γάνος ἐξεστάζω.
Τίς βίβλος ἥδε; Πατρὸς θεσμὰ σεβαστὰ φίλου.
Τίπτε γυμνὸν τῆθος; φιλακόλλη τοῦτο προσήκει.
Τίφθ' ἱερᾶ ταυρῷ; Σταυρὸς ἐμοὶ τέρπνος.
Τίπτε πτεροῦτός; Ἄγω θνητοὺς ὑπὲρ ἄστρα πετᾶσθαι.
Τί τίλβουσα; Νέου τὸ ἀναφερὲς δονέω.
Ἥνία τίπτε; Βροτῶν δάμνω κραταιόφρονα λύσσαν.
Τίπτα μέρον πανδαὶς; Ἐμοὶ μέρος μέρος.

Digitized by Google

Cum libellus nunquam recusus esset, Niceron enim in *Memoires* Tom. IIII. p. 323. & Jacobus le Long in *Bibliotheca sacr.* Tom. II. p. 959. praeter hanc *Stephanianam*, non aliam adducunt editionem, illius raritatem nemo facile in dubium vocauerit, cui praeterea non incognitum est, quanti nostra aetate *editiones* librorum *Stephanianae* aestimentur. Adtulit Niceron in Catalogo operum JOANNIS SERRANI l. cit. p. 331. *Praecationes graeco-latinas, quae ad singulorum psalmorum argumentum sunt adcommodatae. Apud Henricum Stephanum* in 18. Num diuersae sint *precationes* ab illis, quae in libro, a nobis descripto, cuilibet *Psalmo* subiectae sunt, aut earum tantummodo repetita fuerit editio, aliis indagandum relinquimus, quibus vtrumque conferendi libellum, potestas concessa fuerit.

Omnia, quae nostra aetate, de JOANNE SERRANO, siue DE SERRES, viuarienſi, (*Vivarais*) Seculo XVI. in Gallia celebri, nouimus, tot tantisque difficultatibus obnoxia sunt, vt nihil prorsus certi de illo pronunciare sustineamus. Cum sic dictorum Reformatorum fidem profiteretur, saluti suae hac ratione consulere statuit, vt post lanienam parisiensem anno 1573. Lausonium concederet, quo in secessu, *Psalmorum paraphrases* composuit, & in lucem edidit. Sunt quidem inter Gallorum scriptores, qui illum, ante mortem, a Reformatorum fide defeciſſe, & ad pontificios transiisse scribunt; sed alii aliud omnino pronunciant, eumque in religione & fide, cui addictus initio fuerat, ad mortem vsque perseueraſſe, & annum 1598. illi emortualem fuisse perhibent. Varias, & sibi, saepe numero contradicentes, gallicorum scriptorum, de JOANNE SERRANO, narrationes collegit, & ex illis, vitam, quoad illius fieri potuit, eius concinnauit Jacobus le Long in Adpendice *Bibliothequ. des Historiens de* France, *Paris.* 1719. in fol. p. 950. sqq. Niceron in *Memoires* l. cit. p. 316 sqq. Conf. Mr. Des Maizeaux *Remarques sur les lettres de Mr.* P. Bayle

Tom.

Tom. I. *Amſterd.* 1729. in 12. Lettr. XCVII. p. 352 ſqq. Jacqu. Spon *Hiſtoire de la ville & d'état de* Geneve Tom. II. *Lyon* 1682. in 12. p. 129. Adr. Baillet *Jugemens des Savans* Tom. II. P. III. p. 373 ſqq.

Retulit auctor *lexici eruditorum* Tom. IIII. col. 257. inter JOANNIS SERRANI ſcripta, *Remontrance au Roi ſur les pernicieux diſcours contenus au livre de la republique de* Jean Bodin, *Paris chés Federic Morel* 1579. in 8. & ea in re Jacobum le Long & Niceronum, auctores ſequitur. Si vero poſterioris Tom. X. P. I. p. 151. conferre illi placuiſſet, id, quod in Tom. IIII. p. 324. irrepſerat παραγραμμα emendatum, & non JOANNEM SERRANVM, ſed Michaelem de la Serre, nobilem quendam prouinciæ gallicæ, auctorem libelli eſſe conſpexiſſet. Conf. Bernardi de la Monnoye *Remarques, ſur les Jugemens des Savans* d' Adrien Baillet l. cit.

VI.

NICOLAI *de Lyra* Poſtille ſuper quatuor euangeliſtas. in fol. form. maior. folior. 209.

Editio rariſſima, & niſi plane fallimur, omnium prima eſt. Charactere litterarum gothico, admodum rudi & inconcinno, chartis, quae, ſi craſſitiem ſpectaueris, membranae pergamenae referunt ſimilitudinem, impreſſa eſt. Omni, anni, loci, & typographi indicio deſtituitur, & praeter punctum, nullo alio diſtinctionis ſigno inſtructa eſt. Litterae initiales, ſiue florentes, in exemplari, quo vtimur, minio & caeruleo colore adpictae ſunt, inter quas nonnullae eminent, variis coloribus & figuris diſtinctae, quibus nonnunquam aurum laeuigatum internitet. Eadem ſine dubio editio eſt, cuius Michael Maittaire Tom. I *Annal. typogr.* p. 759. mentionem fecit. In noſtro exemplari, primo folio, charactere

Digitized by Google

ractere gothico, hi rhythmi leonini, manu adſcripti ſunt:

Hecciue multorum: fuit Hermannus *monachorum*
De bilueld *natus:* molner *ſic cognominatus.*
Ipſe monarcha pius: reſtaurator bene primus
Martiris aſſati: clauſtri (*) *& per hunc renouati*
Centum ſexagenas: pater iſtic pondere plenas
Pluribus adiunctis: donauit prodige multis
Nonnas is omnem: legis docuitque rigorem
Amsleue *reſtruxit: ſub norma debite duxit*
Abbatem ſiſtens: cum fratribus bis benedicens
Munifica vola: ſua preſtans ſedule dona
Paſow *paſtorem: fratres miſitque priorem*
Qui legis hic ritum: tunc inſtituere peritum
Zelum ſeruantes & plurima ſic reparantes
Fautor precipuus: fidiſſimus hic fuit huius
Iſtum criſtifere *librum ſic conſulit eue*
Bursfeld *prelatum: dedit omnibus vtique gratum*
Hildsleff *inuicti: vere norme* benedicti
Conuertit monachos: illecebris conuteratos
Abbatis precibus: poſcentis tribuit eius
Internos fratres: adiutoresque ſagaces
Nonnis Nonnarum: curam gerens animarum
Et mendicorum: fratrum juharum bene marum
Largus ſolator: dans munera conrenouator
Preſulis eximii: pie Johan *ac* Frederici
Sollers octennis: montenſis *bisque decennis*
Xpi *baptiſte* (**) *fuit Abbas feruidus iſte*
Rebus perſonis: reparans multimode pronis
Natos dilexit: flens intime noxia plexit
Moribus ornatus: zelaſus mente renatus
Verax is: fraudis: ſpernendo venenaque laudis
Fratribus hic moriens: lacrimis crebris valedicens
Triſtatis cunctis: plorantibus in prece iunctis
Anno milleno: defunctus ſeptuageno

Octauo

(*) S. Laurentii.

(**) Monaſterii S. Joannis baptiſtae in monte, extra muros Magdeburgi.

Digitized by Google

Octauo solis: & quater de virgine prolit
Agnetis festo: tumulatus tunc memor esto
Hunc cari plorent: fratres suppliciter orent
Et vos gementes: moniales denique flentes
Vt perpes cernat: regem qui cuncta gubernat.

Cum sequioribus temporibus biblia, cum postillis NICOLAI de Lyra, saepissime imprimerentur, ab vberiore recensione nos abstinemus, & lectores ad Michael. Henrici Reinhardi *Observationem de* NICOLAO lyrano, in *nou-antiquis* an. 1720. p. 231 sqq. vbi & variae editiones recensentur, ablegamus. Conf. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. med. & inf. Latinit.* L. XIII. p. 352 sqq. Theophili Sinceri *Nachrichten von lauter alten vnd raren Büchern* P. V. p. 259. sqq. die *Merkwürdigkeiten der Königl. Biblioth. zu* Dresden Tom. I. p. 501 sqq.

Habemus duas bibliorum editiones, cum NICOLAI lyrani *postillis*, Paulli burgensis *additionibus*, & Matthiae Doringi *replicis*. Vtraque IIII. Tomis in fol. litteris gothicis exscripta, figuris rudioribus, ligno incisis ornata, satis rara est. In alterius exemplaris, & quidem in N. T. fine, haec leguntur verba: *Exactum est* Nuremberge *insignie* (insigne) *hoc ac inusitatum opus* biblie, *vna cum postillis venerandi viri ordinis Minorum fratris* NICOLAI de Lyra: *cumque additionibus per venerabilem episcopum* Paulum burgensem *editis*: *ac replicis Magistri* Mathie dorinck *eiusdem ordinis Minorum fratris & theologi optimi: characterе vero impressum habes iucundissimo: impensisque* Anthonii Kobergers *prefate ciuitatis incolam:* (incolae) *Anno incarnate deitatis M. CCCC. LXXXV.* (1485) *Sabbato post Johannis ante portam latinam: & in hunc finem vsque perductum. De quo honor inuictissime Trinitati nec non intemerate virgini Marie Jhesu Xpi gerule. Amen.* Michaeli Maittaire, Mich. Henrico Reinhardo, Jo. Albert. Fabricio, multisque aliis, quos euoluimus, scriptoribus haec editio incognita fuit. Alterum exem-

Digitized by Google

exemplar haecce in fine N. T prae se fert verba: *Exactum est* Argentine *insigne hoc ac inusitatum opus biblie vna cum postillis venerandi viri ordinis minorum fratris* NICOLAI de lyra: *cumque additionibus per venerabilem episcopum* Paulum burgensem *editis ac replicis Magistri* Mathie dorinck *eiusdem ordinis minorum fratris & theologi optimi charactere vero impressum habes iucundissimo. expletum denique Anno incarnate Deitatis M. CCCCLXXXXII* (1492) *die vero Nonarum Nouembrium. De quo honor inuictissime Trinitati nec non intemerate virgini Marie Jesu Xpi gerule, Amen. Item prologorum biblie expositiones, in hoc totali opere ab impressoribus inserte recepte sunt ex tractatu* britonis. *de expositionibus prologorum in quattuor euangelistas que sunt ipsius* NICOLAI de lyra. *qui in secunda prefatione ante initium postille veteris testamenti. posita excusat se de huiusmodi expositione prologorum.* Et haec editio Reinhardo & Fabricio non innotuit, memoratur tamen e Jacobi le Long *Bibliotheca sacra* Tom. I. p. 253. a Michael. Maittaire in *Annal. typogr.* Tom. I. p. 543. Editio *argentinensis* hoc praecipuum habet, quod illi in fine II. libri Machabaeorum adiiciatur *libellus editus per Magistrum* NICOLAVM de Lyra *ordinis minorum theologie professorem, in quo sunt pulcerrime questiones* iudaicam *perfidiam, in catholica fide improbantes*, folior. 6. Conf. *Nou-antiqua* l. cit. p. 246. Jo. Alb. Fabricius l. cit. p. 356. qui ex hoc vno libro, tres diuersos fecit, & alium *tractatum de* Messia, *siue probationem aduentus* Christi, *per scripturas a* Judaeis *receptas*, aliam *disputationem contra perfidiam* Judaeorum, & aliam denique *quaestionem* esse *de incarnatione verbi, aduersus* Judaeos, existimault, id quod etiam in *lexicon eruditorum* Tom. II. col. 2627. transscriptum fuit.

VII. Mo-

Digitized by Google

VII.

Moralia ſuper totam bibliam *fratris* NICOLAI *de lira, de ordine fratrum minorum ſacre theologie venerabilis doctoris.* in fol. form. maior. folior. 224.

Quamuis hic codex, charactere, qui ad romanum proxime accedit, excuſus, paullo recentior, libro ſuperiore videtur, illi tamen, ſi raritatem ſpectaueris, omnino par eſt. Nulla littera initialis, nullus foliorum numerus, inuenitur. Typographi praeterea, loci & anni, quo in lucem protruſus fuit, indicium ſtruſtra in illo quaeſieris. Liber inchoatur *prologo* his verbis: *Incipiunt Moralia ſuper totam bibliam fratris* NICOLAI de Lira *de ordine fratrum minorum ſacre theologie venerabilis doctoris.* Finis illi imponitur eiusmodi clauſula: *Expliciunt poſtille morales ſeu miſtice ſuper omnes libros ſacre ſcripture. exceptis aliquibus qui non videbantur tali expoſitione indigere. Igitur ego frater* NICOLAVS de Lyra *de ordine fratrum minorum deo gratias ago qui dedit mihi gratiam hoc opus incipiendi & perficiendi anno dni. M. CCC. XXXIX.* (1339) *in die ſancti georii* (Georgii) *martiris. Rogo etiam eos qui ſtuduerint in hoc opere quatenus deum pro me deprecentur qui actor eſt omnis boni.* In exemplari, quod e bibliotheca portenſi nobiscum communicatum fuit, *explicatio moralis* librorum *apocryphorum*, nimirum Tobiae, Judith, primi denique & ſecundi Machabaeorum libri, poſt Joannis *apocalypſin* locum inuenit. Non omnibus bibliorum editionibus, quae cum NICOLAI de Lyra commentariis, ſiue *poſtillis*, in lucem exierunt, hic *commentarius moralis*, ſiue *myſticus* additus fuit. In iis ſaltem editionibus, quas ſupra nominauimus, *norimbergenſi* ſcilicet & *argentinenſi*, *commentarius* tantummodo NICOLAI de Lyra, vt vocatur *litteralis*, omiſſis *moralibus* locum inuenit. Libri autem ſacrae ſcripturae, in quos NICOLAVS de Lyra *moralia*

moralia non ſcripſit, ſunt *prouerbia* Salomonis, *Eccleſiaſtes*, *canticum canticorum*, *Sapientia* Salomonis, & *libri apocryphi* omnes, ſi illi excipiuntur, quos ſupra nominauimus, & omnes *apoſtolorum epiſtolae*.

Fuit NICOLAVS, Normannus, Lyrae (*Lire*) in dioeceſi ebroicenſi (*Evreux*) natus, quod epitaphii docent verſiculi:

Lyra *breuis vicus* normanna *in gente celebris*
Prima mihi vitae ianua ſorsque fuit.

Vid. Jean Mabillon *Traité des etudes monaſtiques*, *Bruxel.* 1692. in 8. p. 673. & Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. XIII. p. 350 ſqq. vbi genuinum & integrum eius epitaphium legitur. Conf. Richard Simon *Lettres choiſies* Tom. IIII. *Amſterd.* 1730. in 8. Lettr. XXVIIII. p. 211 ſqq. Sunt inter viros doctos, & inter illos in primis Robertus Bellarminus, Sixtus ſenenſis, Henricus Wharton, Jacobus Baſnagius (in *Hiſtoire des Juifs* Tom. V. *Rotterd.* 1716. in 12. L. VII. Cap. XIIX. §. XV. p. 189), Carol. Joſeph. Imbonatus, Jo. Henr. Hottingerus, Hermannus von der Hardt, aliique plures, qui iudaicis illum prognatum parentibus, ex Judaeo, Chriſtianum fuiſſe factum exiſtimant. Sed argumentis, hoc eorum commentum, firmiſſimis, confutarunt Maturinus Veyſſierus la Croze, in *Entretiens ſur divers ſujets, d'hiſtoire, de litterature, de religion, & de critique*, *Amſterd.* 1711. in 8. p. 222 ſqq. Michael. Henric. Reinhardus in *pentade conatuum ſacrorum ex hermeneutica ſacra*, *Lipſ.* 1709. in 8. p. 147 ſqq. vbi *elogium* NICOLAI de Lyra, *ex membran. Biblioth.* Franciſc. miſenenſi, quod etiam in Jo. Albert. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit.* l. cit. p. 360 ſqq. legitur, *obſeruationibus illuſtratum*, inſertum eſt. Supplementa poſtea, ad haſce *obſeruationes* ſcripſit Reinhardus, & inſeruit *Nou-antiquis* an. 1720. p. 229 ſqq. & p. 554 ſqq. Conf. de NICOLAO lyrano Judaismi falſo ſuſpecto, Georgii Serpilii *Lebensbeſchreibungen der bibliſchen Scri-*

Digitized by Google

Scribenten Tom. VII. in Jobo P. II. p. 292 sqq. Henrici Scharbau *Judaismus detectus, in quo vindicantur & restituuntur, qui vel iniuste inter* Judaeos, *relati, vel ex* Judaeorum *numero immerito exclusi fuerunt, Rostoch.* 1722. in 8. p. 80 sqq. Jo. Christophor. Wolfii *Bibliotheca hebraea* P. I. p. 912 sqq. Monachis franciscanis adscriptus, primum in Normannorum coenobio vernolienſi (*Verneuil*), deinde Lutetiae Parisiorum theologiam docuit, & *doctoris plani & vtilis* elogium retulit. Judaeorum in primis acerrimus exstitit aduersarius, & omne fere vitae suae tempus, in euoluendis eorum scriptis, & componendis *sacrae scripturae commentariis*, qui etiam a protestantium doctoribus, & ab ipso Luthero, in pretio habiti fuerunt, consumsit, tandemque aetate grandis, Lutetiae Parisiorum anno 1340. e vita discessit. Multi quidem memoriam illius ad posteros transmittere studuerunt, sed prae ceteris Michael Henric. Reinhardus & Jo. Alb. Fabricius ll. citt. legi merentur. Conf. Jo. Franc. Buddei *Isagoge Historico-theologic.* Tom. II. p. 1645 sqq.

VIII.

PAVLLI *burgensis* Scrutinium scripturarum. in fol. form. minor. siue 4. form. maior. folior. 204.

PAVLLVS parentibus genitus iudaicis, SALOMONIS LEVI gessit nomen. Cum vero anno Chr. 1390, cum vxore, & tribus filiis, Christianorum amplexus esset sacra, PAVLLI DE SANCTA MARIA nomen adeptus est. Episcopus primum carthaginiensis, deinde burgensis, & regis Castellae & Legionis Archicancellarius factus; nonnunquam PAVLLVS de Carthagena, plerumque autem PAVLLVS burgensis a scriptoribus adpellatur. Diem obiisse dicitur su-

Digitized by Google

premum anno 1435. die XXIIX. Augusti, cum aetate admodum proiectus esset. Inter opera, quae conscripsit, eminent *additiones notabiles, ad postillas* Nicolai de Lyra, *in totum scripturam*, in quibus multos Nicolai lyrani errores detexit, & refellere adgressus est, omnique studio *Talmudis* figmenta, Judaeorumque placita, oppugnauit, nimio tamen contradicendi studio, in deuia ipse abreptus fuit. Strinxit contra illum, calamum, & Nicolai lyrani, quamvis haud adeo felici succesu, in se suscepit defensionem Matthias Doringus, Saxo, ex oppido Marchiae prignitiae, Kyritz oriundus, monachus, ordini, qui regulam S. Francisci sequitur, adscriptus. *Replicae* illius, *aduersus* PAVLLVM burgensem, saepe numero cum *bibliis*, quae Nicolai lyrani *postillas*, & PAVLLI burgensis *additiones* complectuntur, editae fuerunt. Vid. de Matthia Doringo, praeter alios Casimir. Oudinus in *Commentario de Scriptoribus & scriptis ecclesiasticis* Tom. III. col. 2451 sqq. Nicol. Antonius in *Bibliotheca* hispana *vetet.* Tom. II. L. X. Cap. V. p. 157. Michael Henricus Reinhardus in *Obseruatione de* Matthia Doringo, in *Nou-antiquis* an. 1720. p. 549. Richard. Simon in *Historia critica veteris Testam.* L. III. Cap. XI. p. 415.

Quo tempore PAVLLVS burgensis *Scrutinium scripturarum* composuerit, docet operis inscriptio, quae in nostro codice talis est: *Incipit dyalogus qui vocatur* Scrutinium scripturarum. *Compositus per Reverendum patrem dominum* PAVLVM DE SANCTA MARIA *magistrum in theologia. Episcopum* Burgensem *archicancellarium serenissimi principis dni regis* Castelle *&* Legionis *quem composuit post* additiones *positas ad* postillam Nicolai de Lyra *Anno domini M°. CCCC. XXXIIII. etatis sue. anno LXXXI.* Dialogus in duos diuisus est libros, quorum prior est polemicus, contra Judaeorum errores, interloquutoribus Saulo Judaeo, & Paullo, qui christianus e Judaeo factus est. Posterior didascalicus, inter Joannem

Digitized by Google

nem magistrum, & discipulum, cui Joannes res quasdam dubias & obscuras enucleat. Quilibet liber in *distinctiones*, & quaelibet *distinctio* in capita diuisa est. Primus dialogus *distinctiones* X. ob oculos ponit, quarum argumenta haec sunt:

I. *de his qui saluandi vel redimendi erant per* Christum *in lege promissum*, capit. 4.

II. *de vocatione gentium ad* israeliticam *dignitatem*, cap. 4.

III. *de tempore aduentus* Christi *an sit praeteritum vel futurum?* cap. 4.

IIII. *de congregatione* Judaeorum *per* Christum *seu* Messiam, cap. 4.

V. *de redemtione & de modo redemtionis* Israelitarum *per* Christum *seu* Messiam, cap. 11.

VI. *de extensione redemtionis seu salutis per* Christum *factae, an illa scilicet comprehendit contemporaneos tantum sibi & posteros, vel etiam se extendit ad patres & alios fideles, qui ab antiquo praecesserunt*, cap. 6.

VII. *de regno* Christi, *an scilicet sit illud, de quo revelatum fuit* Danieli, *quod esset excellentius quatuor regnis praecedentibus, & quod illa quatuor regna destruet, an non?* cap. 13.

VIII. *de nouatione legis, tempore* Messiae, cap. 16.

VIIII. *de sacro mysterio sacrae Trinitatis*, cap. 17.

X. *de mysterio diuinitatis* Christi, cap. 9.

Liber secundus VI. absoluitur *distinctionibus*, quarum argumenta talia sunt:

I. *de incarnatione & deitate* Christi, cap. 6.

II. *de excellentia virginis gloriosae*, cap. 12.

III. *de quibusdam, quae ad sacrosanctum sacramentum altaris pertinent, quibus fidelium deuotio, ad ipsius veneration*em *excitari debet*, cap. 16.

IIII. *de differentia inter modum viuendi patrum antiquorum seu sanctorum patriarcharum, & aliorum sub*

Digitized by Google

antiquo testamento viuentium ante aduentum Christi, *& inter patres seu sanctos, qui post* Christi *aduentum fuerunt*, cap. 9.

V. *de iis, quae in libro* Job *continentur, declarando mentem ipsius* Job *& sociorum, similiter &* Heliu, *in quibus expositores* Hebraeorum *manifeste errauerunt*, cap. 13.

VI. *de iis, quae* Judaeis *in sua pernicioſa perfidia post mortem* Christi *pertinaciter existentibus euenerunt, & aliis, ad haec pertinentibus*, cap. 14.

Plures huius libri exstant editiones, inter quas, illam, quam recensuimus, e prioribus esse, nisi forte omnium prima est, existimamus. Omnia sane indicia, librorum, qui post inuentam typographiam, in lucem exierunt, prae se fert. Litteris exscripta gothicis rudioribus, nullo foliorum numero, nulla initiali littera, nullis signaturis, nullis reclamantibus, & si punctum exceperis, nullo alio distinctionis signo instructa est. Annus praeterea & locus editionis, cum typographi nomine omissus fuit. Litterae initiales omnes, variis coloribus, variisque florum & animalium figuris exornatae & adpictae sunt, scripturaeque compendia, codicem lectu difficilem reddunt. De aliis editionibus vid. Joan. Albert. Fabricii *Bibliotheca med. & infim. Latinit.* L. XV. p. 615 sqq. Inter illas principem facile obtinet locum, quae *Mantuae* 1475. in fol. & *Coloniae* 1478. in fol. edita fuit. In posterioris fine haec legi verba: *Anno Domini M. CCCC. LXXVIIII.* (1478) *ad VII. Idus Januarias, Reverendiſſimo in* Christo *Patre ac Domino, Domino* Diethero *Archipraeſule* Maguntino, *in nobili ciuitate* Maguncia, *domicilio* Mineruae *firmiſſimo*, Scrutinii Scripturarum *opus preclarum* Petrus Schoffer de Gernszheim *arte magiſtra, ſuis conſignando ſcutis feliciter finiuit*, testantur die *Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dresden Tom. I. p. 351. Inter recentiores editiones, potissimum aestimari solent, quae *Burgis* 1591.

Digitized by Google

1591. & 1596. ex recenſione Chriſtophori a Sancto Tyrſo ſiue Santo-Tis, burgenſis eremitarum, ordinis auguſtiniani vicarii generalis, & S. Theologiae magiſtri, in lucem prodierunt. Hic ſane praeter *praeludium*, & *diſſertationem de origine haereticorum*, *vitam* PAVLLI burgenſis praemiſit, in qua inter alia narrat, multa millia Judaeorum & Maurorum, ab illo, ad Chriſtianorum fidem amplectendam, eſſe perducta. Commouit autem Judaeorum animos, edito *ſcripturarum ſcrutinio* PAVLLVS burgenſis. Moſes nimirum gerundenſis, Hiſpanus, Judaeus, qui Seculo XV. ineunte vixit, calamum ſtrinxit, & *diſceptatorium* contra illum euulgauit. Vid. Joan. Chriſtopher. Wolfii *Bibliotheca hebraea* Tom. I. p. 817. & p. 963.

De PAVLLO burgenſi, vid. *Prologus* ad Alphonſum, legum doctorem, decanum compoſtellanum, & Paulli, ex legitimo matrimonio filium, quem praemiſit *Additionibus* ſuis *ad poſtillam* Magiſtri Nicolai de Lyra, vbi multa leguntur, quae ad illius vitam, & in primis ad hiſtoriam de conuerſione eius ſpectant. Joan. Albert. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. XV. p. 615 ſqq. & qui ibidem citantur ſcriptores, quibuscum conf. etiam Henr. Wharton *Appendix ad* Guil. Caue *Hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſticor.* p. 92. Anton. Poſſeuini *Adparatus ſacer* Tom. II. p. 23. Joan. Fabricii *hiſtoria Bibliothecae* fabricianae Tom. I. p. 10. Michael. Henr. Reinhardi *Obſeruatio de* PAVLLO burgenſi, in *Nou-antiquis* an. 1720. p. 378 ſqq. Joan. Franc. Buddei *Iſagoge hiſtorico-theologic.* Tom. II. p. 1647. Paul. Colomeſii Hiſpania *orientalis*, *Hamb.* 1730. in 4. p. 212 ſqq. Die *Merkwürdigk. der königl. Biblioth. zu* Dresden Tom. I. p. 352.

VIII.

De duplici copia verborum DES. ERASMI *Roterodami*, commentarii Duo. *Lutetiae. Ex officina Roberti Stephani Typographi regii MDXLVI.* (1546) in 8. pp. 332. excepto indice.

Libelli, in gratiam ſtudioſae iuuentutis, ſæpiſſime recuſi, editio eſt rariſſima. Vltima manus illi impoſita fuit *XIII. Cal. Julii*, quae verba in fine adpoſita conſpiciuntur. Conf. Michael. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. II. p. 394.

Multi ERASMI roterodami, viri de republica litteraria, in Germania praeclare meriti, vitam litteris conſignarunt, eumque elogiis ornarunt decentibus. Catalogum eorum ſatis copioſum concinnauit Joannes Albert. Fabricius, in *exercitat. critica, de religione* ERASMI, p. 379 ſqq. in *Sylloge Opuſculorum hiſtorico-crit. litterariorum, Hamburg.* 1703. in 4. Praeceteris legi merentur *Magni* DESID. ERASMI roterodami *Vita, partim ab ipſomet* ERASMO, *partim ab amicis aequalibus, fideliter deſcripta. Accedunt epiſtolae illuſtres plus quam ſeptuaginta, quas aetate iam prouectior ſcripſit, nec inter vulgatas comparent.* P. Scruierii *& fautorum auſpiciis Lugd. Batauor.* 1649. in 12. Omnia fere huius collectionis opuſcula, praeter *epiſtolas*, iam praemiſſa fuerunt *Epiſtolis* ERASMI *Londini* 1642. in fol. & *Operibus* ERASMI *Lugd. Bat.* 1703 ſqq. in fol. Leguntur etiam inter Guil. Bateſii *vitas ſelectorum aliquot virorum, qui doctrina, dignitate, aut pietate inclaruere* p. 187. ſqq. Guilielmi Inſulani *Oratio funebris in obitum* DESIDERII ERASMI roterod. inſerta fuit ERASMI *Operibus* Tom. X. p. 1850 ſqq. Friderici Nauſeae *in Magnum* ERASMVM roterod. *vita functum, monodiae* locum inuenerunt inter praemiſſa Tom. I. *Oper.* ERASMI. *Oratio de* ERASMO roterodamo, *recitata*

Digitized by Google

cituta a M. Barthol. Calkreuter, croſſenſi, *cum decerneretur gradus magiſterii, aliquot honeſtis & doctis viris*, Anno 1557. *Wittebergae* in 8. fol. 20. Reperitur etiam in Philippi Melanchthonis, vt vulgo nominantur *Declamationibus*, Tomo IIII. *Seruestae* 1586. in 8. p. 706 ſqq. Georgius Pfluegerus illam adiecit Collectioni vitarum hoc titulo editae: *Vita* Nicod. Friſchlini, balingenſis, *Comitis Palatini caeſarei, poetae laureati, viri clariſſimi*, (auctore ipſo Pfluegero) *cui adhaerescunt Vitae* Rudolph. Agricolae, Jo. Capnionis, *&* ERASMI roterodami, (auctoribus Jo. Saxone, Holſato, Phil. Melanchthone, & quem nominauimus Bartholomaeo Calkreuter) *recenſente* Georg. Pfluegero *Argentorat.* 1605. in 8. Mr. de la Bizardiere *Hiſtoire d'*ERASME, *ſa vie, ſes moeurs, ſa mort, & ſa religion. A Paris* 1721. in 8. ſ. 12. form. mai. Jean le Clerc *Abregé de la vie d'*ERASME *tiré de ſes lettres*, in *Bibliotheque choiſie* Tom. I. p. 380 ſqq. Tom. V. p. 145 ſqq. Tom. VI. p. 7 ſqq. Tom. IIX. p. 229 ſqq. Tom. XII. p. 1 ſqq. Samuel Knight's *Life of* ERASMVS *more particularly that part of it, which he ſpent in* England; *wherein an account is given of his learned friends, and the ſtate of religion and learning, at that Time in both our Vniverſities. With an Appendix containing ſeveral Original Papers. Cambridge* 1726. in 8. form. mai. In teutonicum ſermonem iſtam conuertit vitam Theodorus Arnoldus & edidit *Lipſ.* 1736. in 8. Conf. Melchior. Adami *vitae Philoſophor.* p. 40 ſqq. qui dedit *vitam* ERASMI, ex eius *epiſtola ſecretiſſima ad* M. Conr. Goclenium, *& aliis collectam*, Paull. Freheri *Theatr. viror. eruditione claror.* p. 1443. Jo. Fabricii *Hiſtoria Bibliothecae ſuae* Tom. I. p. 359. Conrad. Samuel. Schurzfleiſch *Introductio in Notitiam Scriptorum* P. I. p. 236 ſqq. Jo. Franc. Buddei *Icon* DESIDERII ERASMI roterodamenſis in *ſelect. Obſeruat.* halenſibus Tom. IIII. Obſeru. XXI. p. 440 ſqq. P. Baile *Dictionaire* Tom. II. p. 1091 ſqq. Adr. Baillet *Jugemens des Savans*

Digitized by Google

Tom. II. P. I. p. 10 ſqq. Tom. II. P. II. p. 1 ſqq. Tom. II. P. III. p. 79. *Epicedion* ERASMI roterodami, *& apotheoſin eiusdem*, carmine conſcripſit elegiaco, *ad generoſum atque illuſtrem* Ludouicum *Comitem a* Stollberg *&* Konigſtein, Melchior Acontius. Editio, quam poſſidemus, prodiit *Lipſiae apud Micb. Wolrab* 1540. in 8. folior. 12. Merita ERASMI in linguam latinam expoſuit Jacob. Burkhardus, in *Commentar. de linguae latinae in* Germania *fatis* P. I. p. 310 ſqq. Sententias ERASMI, cum iis, quae in ſcriptis doctorum, eccleſiae romano-catholicae, reperiuntur, in articulis controuerſis, conformes, ex eius operibus collegit J. Richard Prieur de Beaulieu St. Avoye, & edidit hoc titulo *Sentimens d'*ERASME *de* Rotterdam *conformes à ceux de l'egliſe catholique ſur tous les points controverſez. Dediées au Roy de la* grande Bretagne. *Auris audiens beatificabat me, & oculus videns teſtimonium reddebat mihi. Eo quod liberaſſem pauperem vociferantem, & pupillum cui non eſſet adiutor.* Job. 29. 11. *A Cologne chez Adrian le Jeune* 1688. in 8. pp. 415. Apologiam pro ERASMO ſcripſit Jacobus Marſollier, qui edidit: *Apologie ou iuſtification d'*ERASME *à Paris* 1713. in 12. M. Marſollier *entreprend*, inquit Niceron in *Memoires* Tom. VII. p. 66. *dans ce livre de prouver la Catholicité d'* ERASME, *non point par des raiſonnemens recherchez, ni des preuves tirées de loin, mais par des faits dont les perſonnes les moins eclairées ſont capables de juger* Aduerſarios nactus eſt Jacobus Marſollier, alterum Anonymum, alterum P. Gabrielem monachum auguſtinianum diſcalceatum. Prior euulgauit *Refutation de l'Apologie d'* ERASME, quae legitur, in *Memoires de* Trevoux, Jun. 1714. p. 954 ſqq. & in libro, qui inſcribitur: Matanaſiana *ou Memoires litteraires hiſtoriques & critiques du Docteur* Matanaſius, *à la Haye* 1740. in 8. Tom. II. p. 339 ſqq. Poſterior in lucem protruſit *Critique de l'apologie d'*ERASME *de* M. Marſollier, *Paris* 1719. in

Digitized by Google

in 12. & in *Memoires de* Trevoux Mars 1723. p. 507 sqq. Defendit Jacobum Marsollier, contra Anonymi obiectiones, P. le Courrayer 1) in *Reponse à la refutation de l'Apologie d'*ERASME, quae exstat in *Memoires litteraires* l. cit. p. 355 sqq. & 2) in *Replique sur la Refutation de l'Apologie d'*ERASME, quae locum inuenit in *Journal litteraire*, Tom. VI. P. II. p. 374 sqq. Conf. de hac controuersia Niceron *Memoires* l. cit. & Tom. X. P. I. p. 175.

X.

Absolutissimus de octo orationis partium constructione libellus, nec minus eruditione pueris vtilis futurus, quam compendio & perspicuitate commodus ac iucundus, nuperrime vigilantissima cura recognitus, & in nostra officina summa diligentia excusus. *Basileae. Jo. Frob.* in 4. folior. 24.

Cum D. Joan. Coletus, Decanus S. Paulli londinensis, Theologus, inter Anglos eximius, scholam paullinam, anno 1510. condidisset, de libris in primis sollicitus fuit, qui erudiendae iuuentuti inseruire possent. Ipse itaque libellum composuit, *de constructione octo orationis partium*, quem Guil. Lilio, primario nouae scholae moderatori, tradidit, vt illi limam intenderet, & siquid desideraretur, adderet. Exegit quidem ea Lilius, quae a Coleto illi commissa erant, sed vt libellus, eo perfectior atque emaculatior in lucem exiret, publicam, amico suo ERASMO roterodamo illum tradidit, imo vt ipse ERASMVS ait, *emendandum obtrusit*. Quoniam autem illum sic emendauerat ERASMVS, vt pleraque mutauerit, Lilius librum, suo vulgari nomine non passus est, nec

Digitized by Google

ipſe ERASMVS iudicauit ſui eſſe candoris, id ſibi vſurpare, in quo quidquam eſſet alienum. Quare accidit, vt liber ἀνονύμως, Coleti duntaxat *praefatiuncula*, ad Guil. Lilium 1513. ſcripta, & ERASMI *ad lectorem epiſtola* Baſil. III. Kal. Auguſt. 1515. ſcripta, ornatus, in lucem *Baſileae* exiret. Iſta, quae narravimus, expoſuit ipſe ERASMVS, in *epiſtola* citata, quacum conf. meretur Sam. Knight's *Life of Dr.* John Colet, *Dean of* S. Paul's, *in the Reigns of* Henry VII. *and* Henry IIX. *and Founder of* S. Paul's *School, with an Appendix containing ſome Account of the Maſters and more eminent Scholars of that foundation, and ſeveral original papers relating to the ſaid Life. London* 1724. in 8. & quidem in verſione teutonica, quam accepimus a Theodoro Arnoldo *Lipſ.* 1735. in 8. p. 140 ſqq. DESIDER. ERASMI, roterodami *vita* Joan. Coleti, quae exſtat in Joan. Fichardi *vitis viror. illuſtr.* fol. 106 ſqq. Georgii Lilii, Guilielmi filii, *elogia virorum aliquot in* Britannia *eruditione & doctrina clarorum* in Paull. Jouii *Deſcriptionibus, quotquot extant, regionum atque locorum* p. 89 edit. *Baſil.* 1571. in 8. vbi patri ſuo Guilielmo, libellum vindicat, cum ait: *Extat eius* (Guil. Lilii) *ſyntaxis inſcriptione libellus, latini ſermonis conſtructionem breuiter & erudite explicans, ſub* ERASMI *nomine a librariis exceptus, cui* Lilius *id operis recognoſcendum paullo antea quam ederetur obtulerat: nec enim poſtea libellus quem alterius iudicii cenſurae ſubmiſerat modeſtus ingenii ſui aeſtimator, ſuo ipſius nomine in publicum prodire voluit.* Conf. etiam Jaques George de Chaufepié *nouveau Dictionaire hiſtorique & critique* Tom. II. lit. C. p. 170. not. L. Nos quidem minime fugit, libellum in vſum ſcholarum, ſaepiſſime fuiſſe excuſum, hanc tamen ipſam editionem, cuius adſcripſimus titulum, ideo in libris rarioribus collocamus, quod omnium illa prima ſit, quam ERASMVS in Germania euulgauit. Teſtem illius rei producimus Samuel Knight's *Life of Dr.* John Colet, p. 142.

verſionis

Digitized by Google

verſionis teutonicae. In fine iſtius editionis, haec leguntur verba: Baſileae *in officina* Frobeniana *Menſe Auguſto An. M. D. XV.* (1515) quibus inſigne typographicum Joan. Frobenii ſubiicitur. Verſamus aliam libelli editionem manibus, eodem anno impreſſam, cui talis praefigitur titulus: ERASMI Roterodami *Libellus De conſtructione octo partium orationis ex* Britannia *nuper huc perlatus: vt ex eo pueri bonis in litteris optimo compendio bonum profectum faciant. De conſtructionis figuris* Joannes Sulpitius.

Joannes Murmellius *puero litterarum ſtudioſo.*
Haec ediſce libens, haec ſunt compendia vera
Judicio in manibus ſemper habenda meo.
Caetera quae noſtro faciunt tibi nomine fucum,
Reiice, ne titulis decipiare, caue.
Quae compilauit variis cornicula libris
Grammatices quaeſo quis ſtudioſus amet?
Plena ſuperuacuis auerſor opuſcula nugis
Saepe recocta mihi nulla braſſica ſapit.

Fauſtus *patrem introducens admonentem filium: ne antea vel moralem: vel naturalem philoſophiam aggrediatur quam ſolida grammatices fundamenta iecerit.*

Si loca celſa potes firmato ſcandere greſſu
Maxima foelicis gloria patris erit
Sed puer infirmis volitans ſuper aethera pennis
Flebilis aequoreis piſcibus eſca fuit
Corruit inualido fundatum robore tectum
Non ſunt ante ſuos alta petenda dies.

in 4. folior. 12. Litteris exſcripta eſt gothicis, & hoc in fine exhibet epigramma:

Hermannus Tulichus *ſtudioſo litterarum puero.*
Si breuitate placet, ſimul vtilitate libellus
Hoc breuius nihil eſt vtiliusque puer.
Non paulum tenero quibus inſtituaris ab aeuo
Nec paulum refert qua ratione puer.

Optima

Digitized by Google

Optima pro captu rudibus perdiſce ſub annis
In quibus erroris conſtat ineſſe nihil.
Aetatis grauis eſt, iacturaque temporis ingens
Diſcere, quae melius non didiciſſe foret.
Caetera quae ſterili vel fertilitate redundant,
Vel tenebris ſqualent, diffuge quaeſo puer.
Diffuge quaeſo puer, ſpreta ne grandior aeua
Te ſero damnet commoditate puer.
Nunc locus eſt aptus ſtudio componere mentem
Integra res minime eſt quom tibi barba riget.

Ex officina Melchioris Lottheri, *Anno domini M. CCCCC. XV.* (1515). Vtraque editio Michaeli Maittaire incognita fuiſſe videtur. Poſterior autem editio, quam etiam Jo. Henr. Leichius, in ſuo, *de origine & incrementis typographiae* lipſienſis, libro, non adtulit, luculentum eſt teſtimonium, quod Melchior Lotterus, non tantum in vernaculis libris, characteribus gothicis vſus fuerit, &, quemadmodum idem Leichius p. 27. adfirmare ſuſtinuit, in excudendis libris latinis, romanos ſemper adhibuerit characteres. Titulus enim tantummodo, ſi duas lineas priores exceperis, & epigramma in fine adpoſitum, charactere typorum romano exſcriptum eſt.

XI.

Εισαγωγη προς των γραμματων ελληνων. Elementale Introductorium in Ideoma Graecanicum. Alphabetum graecum & eius lectura. De diuiſione litterarum graecarum. De diphthongis graecis propriis & impropriis. De poteſtate litterarum graecarum. De poteſtate diphthongorum propriarum & impropriarum. Quemadmodum diphthongi graecae & litterae graecae in latinis

Digitized by Google

latinis litteris transferuntur. Quonammodo diphthongi graece ad latinos venere. Abbreuiature frequentarie graecanicarum litterarum, in 4. folior. 8.

Elementa haec linguae graecae, prima, sine dubio fuerunt, quae post inuentam typographiam, litteris in Germania exscripta fuerunt. In eorum fine, haec leguntur verba: *Expressum* Erphordiae *per* Lupambulum (Wolfgang) *ονοχοον alias* Schencken. *Anno Christi M. CCCCC. I.* (1501) *ad XXV. Calendas Octobres.* Quis illa conscripserit, non constat. Initio oculis hi se obiiciunt versiculi:

Καταλογος των γραμματων ελληνων

Quattuor his nunc versiculis perpende magistat	α.
Tres in personis vnum in Deitate potentem	β.
Alphá patrem signat quoniam caput esse videtur	α.
Vita patris genitum aeterna ratione figurat	β.
Gamma simul certe depingit πνευμα beatum	γ.
Delta trium personarum communicat agmen	δ.
Ελεημον mundi custos miserator & orbis	ε.
Ζωην αντεχομε iustis conceſſerat almam	ζ.
Ita quidem vitas socias tres iungit & aptat	η.
Thita gerit signum mortis quo vita triumphat	θ.
Iota quod est. Christus legis qui conditor extat.	ι.
Lambda ter & decadem summis gestare probatur	λ.
My κοσμο horrendum κατακλυσμον fudit αφειδο	μ.
Gni summa annorum iubilei formatamati	ν.
Xi que gradum viduae moderatur rite secundum	ξ.
O proprio coeli determinat orbe figuram	ο.
Pi fidei atque operis speciem confirmat ανωθεν	π.
Rho dextra contum meminit laeuamque refutat	ρ.
Signia notat σωτης saluat qui cuncta creata	σ.
Taf crucis est σημειον quo credimus esse redempti	τ.
Y tribus ambiguam notulis vitam manifestat	υ.
Phi genus humanum φυλασσων χρισματις auctor	φ.
Chrismate perfusum mereatur regna polorum	χ.

Pſ

Psi geminos apices ego littera sola rependo ψ.
O finis perfecta ligans & cuncta resoluens ω.

Kappa in hisce versiculis, nescimus quam ob caussam, locum non inuenit. Figurae litterarum graecarum admodum inconcinnae sunt, nullusque accentus aut spiritus adpositus est vocibus. In secunda tituli pagina, haec leguntur: *Vale Lector: Inclinationes graecarum vocum breui visurus.* An Auctor anonymus promissis steterit, ignoramus. Michaeli Maittaire hic libellus, qui sola se commendat raritate, incognitus fuit.

XII.

GEORGII AGRICOLAE De ortu & causis subterraneorum Lib. V. De natura eorum quae effluunt ex terra Lib. IIII. De natura fossilium Lib. X. De veteribus & nouis metallis Lib. II. Bermannus sive de re metallica Dialogus Lib. I. Interpretatio Germanica vocum rei metallicae, addito duplici indice, altero rerum, altero locorum. Omnia ab ipso authore, cum haud poenitenda accessione, recens recognita. *Basileae Froben. MDLVIII.* (1558) *Cum Imp. Maiestatis renovato priuilegio ad quinquennium* in fol. pp. 470. except. praemiss. 4. folior.

Optima collectionis huius rarioris, rara est editio. Prima in lucem prodierat *Basileae* 1546. in fol. secunda *ibidem* anno 1555. in fol. vid. Cl. Dauid. Clement *Bibliotheque historique & critique* Tom. I. p. 75. Num vero editio prima, titulo *operum* AGRICOLAE *omnium*, vt in Cl. Clement *Bibliotheque* l. cit. legimus, euulgata fuerit, res est, quae in dubitationem venit, cum haec

Digitized by Google

haec collectio, neque omnia AGRICOLAE opera contineat, neque in *Catalogo Bibliothecae* weidmannianae, P. I. p. 161. neque in platnerianae *bibliothecae catalogo* P. I. p. 203. neque in aliis *catalogis*, vbi titulus istius editionis adlatus est, tale quidpiam relatum legatur. Editio anni 1558. quae ante oculos versatur, tertia est, & in *Bibliothecae* weidmannianae auctione supra 6. thaler, pretio vendita fuit. Praemittitur GEORG. AGRICOLAE *epistola* dedicatoria, *ad Ducem & Electorem* Saxoniae, Augustum, scripta Kempnicii Hermundurorum siue Misenorum XIIII. Kal. April. 1555. Illam sequitur Adami Siberi *Elegia, ad* Valentinum Hertelium, *de libris* GEORG. AGRICOLAE. *Libros quinque de ortu & causis subterraneorum*, inscripsit AGRICOLA nomine Mauricii Saxoniae *Ducis* Kempnic. Cal. Mart. 1544. In Hetruscorum linguam vernaculam conuersos & hoc titulo editos esse: *della generazione di quelle cose che sotto la terra sono, e delle cause de'loro effetti, e nature di* GIORGIO AGRICOLA. *In Venezia per Michel Tramezino* 1550. in 8. nos docet Nicol. Haym in *Notizia de' libri rari nella lingua* italiana p. 260. Conf. Cl. Dauid-Clement *Bibliotheque historique & critique* Tom. I. p. 77.

Eidem Mauricio dicati sunt *L. IIII. de natura eorum, quae effluunt e terra* & *libri X. de natura fossilium.* In opere admodum raro, quod hoc inscribitur titulo: *De Balneis Omnia quae extant apud* Graecos, Latinos, *&* Arabas, *tam medicos quam quoscunque caeterarum artium probatos scriptores: qui vel integris libris, vel quoquo alio modo hanc materiam tractauerunt: nuper hinc inde accurate conquisita & excerpta, atque in vnum tandem hoc volumen redacta. In quo aquarum ac thermarum omnium, quae in toto fere orbe terrarum sunt, Metallorum item, & reliquorum mineralium naturae, vires atque vsus exquisitissime explicantur: indicibus quatuor Appositis, quorum Primus Autores omnes, qui in hoc volumine habentur: Secundus balneorum nomina: Tertius capita cuiuscunque libri:*

Quar-

Quartus mirabiles curationes in his libris contentas, quae vi ac beneficio balneorum factae fuerunt, complectuntur. Opus noſtra hac aetate, in qua tam frequens eſt Thermarum vſus, medicis quidem neceſſarium, caeteris vero omnibus, tum ſummopere vtile, tum etiam periucundum. Cum priuilegio ſummi Pontificis Senatusque Veneti. *Venetiis apud Juntas* 1553. in fol. *libri de natura eorum quae effluunt ex terra*, locum inuenerunt p. 273 ſqq.

Libri II. de veteribus & nouis metallis, ſub auſpicio Georgii Commerſtadii *V. J. Doctoris & conſiliarii* Ducis Mauricii, prodierunt primum anno 1546.

In *dialogo*, qui inſcribitur *Bermannus*, nomine ſine dubio, a Laurentio Bermanno, ciue ioachimsthalenſi, rei metallicae admodum perito, depromto, tres colloquuntur de re metallica perſonae. Tribuit AGRICOLA Bermanno metallici perſonam, huius artis peritiſſimi, quippe qui miles olim multas regiones peragrauerit, in quibus res metallicas obſeruauerat. Cum illo diſputant duo doctiſſimi & clariſſimi medici, Nicolaus Ancon, & Joannes Naeuius, quorum alter in medicina, quam docuerunt, viri Arabas ſequuti, verſatus eſt, & doctus praeterea e diſciplina Peripateticorum; alter vero tum litteris latinis & graecis, tum maxime vetere medicina eruditus eſt. Praecedunt opuſculum *epiſtola* Eraſmi roterodami, Friburgi XII. Cal. Mart. 1529. *ad fratres* Andream & Chriſtophorum a Conritz, & *epiſtola* Petri Plateani *ad* Henricum a Conritz, *Praefectum* Vallis ioachimicae, in laudem opuſculi exarata. *Interpretatio* germanica *vocum rei metallicae ad* Volfgangum Meurerum Kempnic. XII. Cal. April. 1546. ſcripta eſt. *Index*, quem titulus promittit, *duplex*, in noſtro exemplari non exſtat.

Digitized by Google

XIII.

GEORGII AGRICOLAE, de menſuris & ponderibus Romanorum atque Graecorum Lib. V. De externis menſuris & ponderibus Lib. II. Ad ea, quae Andreas Alciatus denuo diſputauit de menſuris & ponderibus breuis defenſio Lib. I. De menſuris, quibus interualla metimur, Lib. I. De reſtituendis ponderibus atque menſuris Lib. I. De precio metallorum & monetis Lib. III. *Baſileae Froben M. D. L.* (1550). *Cum priuilegio Imp. Maieſtatis ad quinquennium* in fol. pp. 340. ſi praemiſſa & indices folior. 12. non fuerint numerati.

Titulus hic integer eſt collectionis, quae a raritate commendatur, in *Catalog. Biblioth.* Iehmannianae *Lipſ.* 1740. in 8. p. 269. & in Cl. Dav. Clement *Bibliotheque hiſtorique & critique* Tom. I. p. 76.

Libros quinque priores, *de menſuris & ponderibus*, quorum 1. agit de menſuris romanis. 2. de menſuris graecis. 3. de rerum, quas metimur pondere, 4. de ponderibus romanis, 5. de ponderibus graecis, dicauit Mauricio, *Electori* Saxoniae, eiusque *fratri* Auguſto, Kempnic. VI. Id. Mart. 1549.

Libri duo de externis menſuris & ponderibus, nuncupati fuerunt Erneſto a Milthiz, *Electoris* Saxon. Mauricii, *conſiliario* XV. Kal. April. 1549. Cum autem in hiſce libris, GEORGIVS AGRICOLA, a Guilielm. Budaei, Leonardi Portii, & Andreae Alciati diſcederet ſententia, quam editis libris, *de aſſe & eius partibus*, de veterum Romanorum menſuris & ponderibus protulerant, id in primis aegre tulit poſterior, & libro praeſertim VIIII. *Parergon ſeu obiter dictorum Lugdun.* 1539. in 8. Capite XXV. AGRICOLAE libros impugnauit, qui hac re permotus fuit, vt

Digitized by Google

Defensionem breuem, ad ea quae Andreas Alciatus *denuo disputauit de mensuris & ponderibus, ad* Georgium Fabricium scriberet. *Epistola* praemissa scripta est IIX. Cal. Maii 1549. Conf. quae supra Tom. I. p. 379. diximus, cum Guil. Budaei *de Asse & partibus eius*, descripsimus opus.

Librum de mensuris, quibus interualla metimur, consecrauit Christophoro Carolouicio, Saxon. *Electoris*, Mauricii *Consiliario*, III. Nou. Mai. 1549.

Liber de restituendis ponderibus atque mensuris, Hieronymi Kieswetteri, *vtriusque iuris Doctoris, & Diui* Augusti *Cancellarii* nomine, ornatus prodiit III. Kal. Jul. 1549. Vltimum in collectione occupant locum

Libri tres de pretio metallorum, & monetis, de pondere & temperatura monetarum, de pretio veterum monetarum. GEORGIVS AGRICOLA illos inscripsit nomine Georg. Commerstadii *V. J. Doctoris, & Consiliar.* Saxon. *Ducis & Electoris*, Mauricii, XVI. Kal. Septembr. 1549. In fine libri III. inuenitur *Interpretatio* latina *eorum, quae de* graecis *&* hebraicis AGRICOLA *non conuertit: Numerorum notae, quibus vsus fuit, e* Valerio Probo; *quarumdam mensurarum & ponderum nomina* germanica; *index* latinus, *in libros de mensuris & ponderibus; index* graecarum *vocum in hisce commentariis tractatarum.* Illis typographus haec verba adscripsit: Basileae *apud* Hieron. Frobenium *&* Nic. Episcopium *Anno MDL.* (1550) *mense Martio.*

XIIII.

GEORGII AGRICOLAE de re metallica Libri XII. Quibus Officia, Instrumenta, Machinae, ac omnia denique ad Metallicam spectantia, non modo luculentissime describuntur, sed & per effi-

gies,

Digitized by Google

gies, ſuis locis inſertas, adiunctis latinis, germanicisque Appellationibus ita ob oculos ponuntur, vt clarius tradi non poſſint. Eiusdem de animantibus ſubterraneis liber, ab Autore recognitus: cum indicibus diuerſis, quicquid in opere tractatum eſt, pulchre demonſtrantibus, atque omnibus nunc iterum ad archetypum diligenter reſtitutis & caſtigatis. *Baſileae Froben. M. DLXI.* (1561). *Cum priuilegio Imperatoris in annos V. & Galliarum Regis ad Sexennium.* in fol. pp. 502. ſine praemiſſis & indicibus folior. 41.

Cl. Dauid Clement, de hac editione oppido rara, in *Bibliotheque hiſtorique & critique* l. cit. p. 77. ſcribit: *Cette edition eſt très-belle, ſoit pour le caractére, ſoit pour les figures, qui ſont nettes & bien gravées* (ligno inciſae). Opus eſſe poſthumum nos docet Petrus Albinus in der Meiſsniſchen *Berg-Chronica, Dresden* 1590. in fol. Tit. I. p. 5. vbi refert: *Endlich iſt dieſer* deudſche Plinius *vnd* Albertus Magnus (*wie er von denen Gelerten genennet wird*) *vber ſolcher ſeiner Arbeit geſtorben, das nach ſeinem Tode ſein fürnembſtes Bergbuch* (*welchs er in 12 Bücher getheilet*, de re metallica, id eſt, inſtrumentis, machinis, ac omnibus denique ad metallicam ſpectantibus, *das iſt darinne er die Bergempter, Inſtrument, Künſte vnd alles was zum Bergwerck dienet, vnd gebörig beſchrieben*) *allererſt ausgangen, Nemlichen im Jar 1556. vmb die rechnung Crucis, welches er doch zuuor im 1550 Jar meiſtes theils verfertigt hatte, vnd von dieſen ſtadtlichen werck, welches die* Italiener *auch neben allen andern ſeinen ſcriptis, hochachten, vnd zum theil viel daraus in ire Bücher vnd Schrifften, bisweilen auch mit verſchwiegenen Namen, nach ihrem Brauch, welches denn nicht zu loben, transſcribiren* &c. *Epiſtola* dedicatoria ad Mauricium *Electorem*, eiusque *fratrem* Auguſtum Geor-

Digitized by Google

gium, ſcripta eſt Kempnicii Hermundurorum Calend. Decembr. 1550. Illam ſequitur Georgii Fabricii *in libros metallicos* GEORGII AGRICOLAE, *philoſophi praeſtantiſſimi, ad lectorem Elegia* diſtichor. 78. Miſenae 1551. *e ludo illuſtri* ſcripta. Quid in XII. libris contineatur, ipſis auctoris verbis exponimus. Liber I. *habet ea, quae contra artem metallicam, & metalla, atque metallicos, vel ab iisdem dici poſſunt.* II. *Metallicum informat, & in ſermonem, qui haberi ſolet de venis inueniendis dilabitur.* III. *eſt de venis, & fibris, eorumque commiſſuris.* IIII. *explicat rationem dimetiendi venas, atque etiam expromit officia metallica.* V. *foſſionem venarum & artem menſoris docet.* VI. *deſcribit inſtrumenta & machinas metallicas.* VII. *eſt de experimento venarum.* IIX. *praecipit de officio venae vrendae, contundendae, lauandae, torrendae.* VIIII. *excoquendarum venarum rationem exponit.* X. *rei metallicae ſtudioſos inſtruit ad munus diſcernendi argentum ab auro, atque plumbum ab eodem & argento.* XI. *tradit vias ſeparandi argentum ab aere.* XII. denique *dat praecepta, conficiendi ſalis, nitri, aluminis, atramenti ſutorii, ſulfuris, bituminis, vitri.* In opere hoc concinnando, multum operae & laboris ſe inſumſiſſe, & aliquem etiam ſumtum impendiſſe, teſtatur AGRICOLA, cum non ſolum venas, vaſa, inſtrumenta, canales, machinas, fornaces deſcripſerit, ſed etiam mercede conduxerit pictores ad earum effigies exprimendas. Nonnihil in primis auxilii, in concinnando hoc opere, tulerunt AGRICOLAE, Baſilius Wefring, ciuis ioachimſthalenſis, Laurentius, quem iam nominauimus Bermannus, ioachimsthal. & Joannes Hübſchius, ſchneebergenſis, vid. Petri Albini meiſsniſche *Berg-Chronica* l. cit. p. 5. Haec autem ſollertia, qua GEORG. AGRICOLA, res metallicas, omnemque phyſicam, & geometriam ſubterraneam excolere & indies reddere perfectiorem ſtudebat, Mauricio Electori adeo placuit, vt ei non ſolum Chemnicii, immunitatem aedium, & publici muneris daret vacationem; ſed

etiam

Digitized by Google

etiam suadente Georgio Commerstadio, annuum eidem stipendium decerneret.

Libellus *de animantibus subterraneis*, gerit in fronte *epistolam*, ad Georg. Fabricium Kempnic. III. Id. Aug. anno 1548. scriptam.

Index I. ponit ob oculos *rei metallicae nomina*, latina & graeca, germanice *reddita, & ex ordine, quo quodque primum occurrit, collocata. Index II.* continet eadem *rei metallicae nomina*, latina, graecaque, germanice *reddita, secundum alphabeti ordinem digesta. Index III. rerum ac verborum* est. IIII. *catalogum* sistit *fodinarum omnium, quae in libris XII. de re metallica numerantur.* V. *animantium nomina*, latina, & graeca, germanice *reddita, quorum auctor in libello de subterraneis animantibus meminit*, & VI. *nomina animantium* graeca & latina, *ad alphabeti ordinem dispositа*, complectitur. Typographus in fine haec adposuit verba: Basileae *in officina* Frobeniana, *per* Hier. Frobenium, & Nicol. Episcopium, *Mense Martio an. 1561.* Repetita istius operis, adiectis opusculis, quae in collectione, primo loco, a nobis recensita, reperiuntur, fuit editio *Basileae, sumtibus & typis Emanuelis König* 1657. in fol. pp. 708. Titulum integrum vid. in Cl. Dauid. Clement *Bibliotheque historique & critique* l. cit. p. 76. sed ad nitorem editionis, quam recensuimus, nulla prorsus ratione accedit. Philippus Bechius, Professor logices & medicinae, basileensis, *de re metallica libros XII.* in teutonicum transtulit sermonem, cuius versionis editiones *Basil.* 1621. & 1657. memorantur a Dauid. Clement l. cit. Opusculum *de animalibus*, nec non omnia fere primae & secundae, quam descripsimus, collectionis opuscula, seorsum antea in lucem prodierunt, quorum editiones diuersas, recenset Christophor. Hendreichius in *pandect.* brandeburg. p. 64. Errat vero Hendreichius, cum *Bermanno* titulum tribuit, quo *libri XII. de re metallica* inscribuntur.

Digitized by Google

Natus fuit GEORGIVS BAVER, siue vt nominari maluit, AGRICOLA, Glauchae, Hermundurorum in oppido, quod hoc tempore Comitum sclioenburgicorum ditioni subiacet, anno 1494. Studiis scholasticis & academicis, rite in Germania finitis, in Italiam profectus, Nicolai Anconis, & Joannis Naevii, Medicorum, quos supra nominauimus, frequentauit scholas. In patriam redux factus, ad Sudetos, montes, in tota Europa argenti feraciſſimos, & denique in vallem ioachimicam se contulit, & medicinae professionem, cum rei metallicae studio, coniunxit, tantumque in posteriore profecit, vt ex Joannis Bodini sententia, Aristoteles ac Plinius, in eo genere nihil intellexisse videantur. Ex valle ioachimica tandem Chemnicium commigrauit, & in bello germanico, cum Mauricius & Augustus, Saxoniae Duces, Imperatoris per Bohemiam sequerentur exercitum, iis se adcinxit, & sub eorum auspiciis, iam senex militavit. Diem obiit supremum Chemnicii anno 1555. aetatis anno LXI. De denegato illi, ob religionem, quam profitebatur, pontificiam, sepulchro, vid. Petri Albini meisnische *Land-Chronica* Tit. XXV. p. 355. P. Baile *Dictionaire* Tom. I. p. 100. not. C. & quae ad hunc P. Baile locum scripsit Joan. Christophor. Gottschedius in *deutschen* Baile Tom. I. p. 102. Legi praeterea de illo poterunt Petri Albini meisnische *Berg-Chronica* l. cit. Josi. Simleri *Bibliotheca* p. 223. Melchior. Adami *vitae* germanor. *Medicorum* p. 34 sqq. Paull. Freheri *Theatrum viror. eruditione claror.* p. 1237. Thom. Pope-Blount *Censura celebrium auctorum* p. 585. aliique plures.

XV. Siben-

Digitized by Google

XV.

Sibenhundert vnd funffzig Deutscher Spruchwörter, ernewert, vnd gebessert, Durch JOHAN. AGRICOLA. Mit vielen schönen lustigen vnd nützlichen Historien vnd Exempeln erkleret, vnd ausgelegt. 1592. *Wittenberg, Gedruckt bey M. Johan. Krafft.* in 8. fol. 350.

Etiamsi plures istius libri exstant editiones, quarum nonnullae recensentur a Cl. Dau. Clement in *Bibliotheque historique & critique* Tom. I. p. 77 sqq. omnes tamen raro hodie occurrunt. Editio quam adduximus, e praestantioribus est, & a Jo. Alb. Fabricio in *Biblioth. graec.* L. IIII. Cap. VIIII. p. 296. citatur. Titulus quidem 750 promittit prouerbia, sed liber tantummodo 749. complectitur. Vnum tantummodo in hisce prouerbiis exstare locum, quo AGRICOLA Vlrici Ducis würtenbergici, sibi conflauit odium, hisce innuit verbis Mr. Clement l. cit. p. 78. not. 69. *Mr.* Bayle *a fait un article, sur la vie de notre auteur, & y a remarqué en passant, après* Seckendorf, *que* JEAN AGRICOLA *maltraita beaucoup*, Vlric *Duc de* Wirtemberg *dans ce livre des* Proverbes. *Voici tout ce qu'* AGRICOLA *en a dit, au 51. Proverbe*, Gut macht mut. Herzog Vlrich von Wirtenberg trotzte auf seinen Anhang und Schweytzer und ward darob des Landes verjagt. *Ces paroles échapées à notre Auteur, lui attirérent beaucoup d'afaires, & le Duc ne les lui pardonna jamais.* Locum autem in nostra editione inuenimus multo vehementiorem *prouerb.* 115. Wenn Gott ein Land segnet, so giebt er im ein klugen Fürsten, der Fride helt. Wiederumb wen Gott ein Land straffen vnd plagen will, so giebt er im einen Tyrannen vnd wütrich, der es alles on rath mit der faust wil ausrichten. fol. 53. — *Vnd eben wie alle wol stunden bey Herzog* Eberhards (quem modo laudauerat)

Digitized by Google

zeiten, alſo giengen mit ſeinem leben alle ding unter, denn nach ſeinen Abſterben wurden die leut beſchweret, da ward das land vnrubig, da ſtunde auf der arme Kuntz, *vnnd finge ſich alle jammer an, vnd iſt das land durch ſolche Tyrannen jetz vnd alſo hart beſchweret, das die leut daſelbs weder an leib noch ſeelen frey ſeind. Man webret ihnen das ſie Gottes wort nicht hören müſſen, auch legt man auf ſie ein ſchatzung, vber die ander, das ja dis Spruchwort war ſey*, Gott ſegne ein land durch einen fromen Fürſten, vnd ſtrafe es durch einen Tyrannen. Quod vero his verbis in Vlricum inuectus fuerit AGRICOLA, verbà eius docere poterunt *prouerb.* 284. wer ein ſtein nicht allein erheben kann, der ſol ihn auch ſelbander ligen laſſen. fol. 143. b. ſqq. *Mein liber freund* Philippus Melanchthon *ſagt mir, das zur Zeit der arme* Cuntz *Anno MDxj. im lande* Wirtenberg *ſich erreget hat, ein Mann zu* Stutgart *geweſen ſey, welcher durch newe auffſetze vnnd beſchwerung vervrſacht wurde, dem lande zugut, wie er ſich bedüncken lies das pfund neben andern in den bach zu werffen, wie droben vermeldet iſt im Sprüchwort*, Wenn Gott ein land ſegnet &c. *Da nun Herzog* Vlrich *durch hülffe ſeiner herren, vnd freunde der Landſaſſen mechtig ward, kam dieſer zu* Stutgarten, *auch ins Gefengnis. Endlich hat man ihn auf den platz mit andern bürgern gefüret, ihnen die köpfe abzuſchlagen, als den aufrüriſchen. Da hat diſer Bürger ein Stille begeret, Denn er bette das Volck anzureden, vnnd hat angefangen vnnd geſagt, in beyweſen des Hertzogen mit ſeinem gewaltigen hauffen, Lieben Freund, heut ſolt ir an mir lernen*, wer ein ſtein nicht allein erheben mag, der ſol ihn auch ſelbander ligen laſſen, &c. Vberiorem libri recenſionem dedit Chriſtian. Thomaſius in den *ſummariſchen Nachrichten von auserleſenen in der* Thomaſiſchen *Bibliothec vorhandenen Büchern* P. XXIII. p. 912 ſqq. Conf. Theophili Sinceri *Nachrichten von lauter alten vnd raren Büchern* P. IIII. p. 183 ſqq.

Vitam

Digitized by Google

Vitam JOANNIS AGRICOLAE, islebiensis, Antinomorum Anteſignani, data deſcripſerunt opera, Melchior Adami, in *vitis Theologorum* germanor. p. 195. Paull. Freherus in *Theatro viror. eruditione claror.* p. 211. Wolfgang Krüger in *Catalogo & Hiſtorologia Mille virorum Gente & mente, arte & marte, genio atque ingenio illuſtrium. Erfurt.* 1616. in 4. fol. 154. P. Baile in *Dictionaire* Tom. I. p. 100 ſqq. Jo. Godofred. Vngerus in *Diſſertat. de* JOANNE AGRICOLA, *anteſignano Antinomorum contra* Melodium *Lipſ.* 1732. in 4. Conf. Jo. Franciſc. Buddei *Iſagoge Hiſtorico-theologica* Tom. II. Lipſ. 1727. in 4. p. 1195. Viri ſumme Reu. Joh. Georg. Walchii *Einleitung in die Religions-Streitigkeiten der evangeliſch*-lutheriſchen *Kirchen* P. II. Jen. 1730. in 8. Cap. II. §. X. p. 109 ſqq. §. XI. p. 121 ſqq. Godofred. Arnold *Kirchen- und Ketzerhiſtorie* P. II. Lib. XVI. Cap. XXV. p. 340 ſqq. *Nou-antiqua* an. 1734. p. 16 ſqq.

XVI.

Viri Conſultiſſimi Quem Cultiſſimum vocat Gaſpar Scioppius de Stil. hiſt. p. 124. ANDREAE ALCIATI *Jurisconſulti mediolanenſis* contra Vitam monaſticam, ad Collegam olim ſuum, qui tranſierat ad Franciſcanos, Bernardum Mattium, Epiſtola. Accedit Sylloge Epiſtolarum Giphanii, Vulcanii, Tychonis Brahe, Scriuerii, Pontani, Voſſii, Sibrandi, Siccami, Gronouii, Boxhorni: aliorumque virorum clariſſimorum, quae variam doctrinam continent. Accedunt alia adhuc quaedam, vt & vetera aliquot Teſtamenta, Seculo XIII. & initio ſequentis ſcripta. Primus omnia in lucem protulit, adiectis paſſim notis Antonius Matthaeus,

Digitized by Google

Juris in illustri academia Lugd. Bat. Antecessor. *Lugduni Batauor. apud Fredericum Haaring* 1695. in 8. pp. 559. excepta dedicatione, syllabo epistolarum, & indice folior. 20. & dimid.

Raritatis testem habemus *Catalogum Bibliothecae* Chr. Frid. Schmidii p. 350. *Biblioth.* Daniel. Salthenii *Catalog.* p. 371. ANDREAE ALCIATI *epistola*, vel si mauis, dissertatio, *contra vitam monasticam*, scripta dicitur spatio quatuor dierum die VII. Jun. 1553. id autem hoc anno falsum esse, facile probari poterit, cum omnes fere scriptores, si vnum excepueris Joannem Imperialem, qui in *Museo historico Venet.* 1640. in 4. p. 51. annum 1559. ALCIATO fuisse emortualem, perhibet, illum iam anno 1550. prid. id. Januar. e vita discessisse confirmant. Si coniecturae locus fuerit, ante annum 1520. haec *epistola* scripta, & eadem est, cuius in *epistola* ad Franciscum Caluum, eodem anno 1520. d. XXVI. Sept. scripta, hisce verbis mentionem fecit: *quod vt facias te quoque ipse oro: nec minus vt de vnguibus* Erasmi *reglutines* orationem *illam meam, ad* Matthiam, Minoritam, *cum id quaeso, ne si in cinerariorum istorum manus incideris, parata sint mihi, cum eis aeterna bella.* Exstat illa ad Franc. Caluum *epistola* in collectione *Epistolarum* Marquardi Gudii *aliorumque virorum doctiss.* quam Petrus Burmannus *Vltraiect.* 1697. in 4. edidit, p. 80. Conf. p. 81. 82. vbi valde conqueritur, quod Caluus eam *orationem*, in Erasmi & Frobenii manus deuenire passus sit. Petrus Burmannus in praefatione, eiusdem omnino opinionis est, & nominis Mattii & Matthiae diuersitatem ab exscriptoribus manare potuisse existimat. Nam non videtur illi ex autographo Antonium Matthaeum istam *epistolam* edidisse, id autem affirmare sustinet, in epistolarum autographis, ex quibus epistolae, quas protulit, expressae sunt, Matthiam non Mattium exstare. Conf. P. Baile *Dictionaire*

Tom.

Tom. I. p. 139. not. N. Niceron *Memoires*. Tom. XXXII. p. 330. Maximopere in vitam monasticam, & mores monachorum, inuehitur ALCIATVS, cuius rei haec potissimum caussa esse dicitur. Bernardus Mattius, siue Matthias, vir eruditus, ALCIATI amicus, & olim Collega, relictis amicis, & domesticis, matre in primis vetula, & in re parum lauta versante, posthabita, in coenobium Jacobi anno aetatis XL. se contulerat, & in Minoritarum familiam transierat. Id aegre ferens ALCIATVS, *epistolam* hanc ad eum perscripsit, in qua, monasticae vitae, vt quidem illa tunc temporis comparata erat, peruersitatem, disertis verbis ob oculos posuit, & amicum, rationibus, precibus denique, a proposita vitae mutatione retrahere, conatus est. Ab vberiore nos abstinemus recensione, cum non solum istius *epistolae*, sed & reliquarum, quibus & philologiae, & historiae litterariae lux adfunditur, recensio satis exacta exhibetur, in *Actis Eruditor.* lipsienss. an. 1696. p. 290 sqq. Ne autem plane ἀσύμβολοι simus, lepidam *de halece tabellam*, a Laurentio quodam medico, versibus leoninis conscriptam, & *e coenaculo* Caroli, Gelriae *quondam Ducis depromtam*, quam adtulit Antonius Matthaeus p. 459 sqq. hic adiiciemus:

Halec salsatum, crassum, blancum, graue, latum,
Illud dorsatum, scissum, peruentrificatum,
Huic caput ablatum, sic pellibus excoriatum,
Intus mundatum, crudum, vel igne crematum,
Illi coepe datum, per panem rustificatum,
Hoc si coenatum, dum transis nocte cubatum,
Id theriacatum, velut antidotum preciatum,
Quod parit optatum potamen largisluatum,
Dans de mane ratum guttur vebisondo paratum
Hausium, prostratum, reparat, mediatque palatum
Et caput & pectus desiccat phlegmatisatum,
Dans vrinatum cito, mox deinde cacatum
Dirigit inflatum, penetrando cibum veteratum
Hoc medicamentum fert Laurens *versificatum.*

Plures

Digitized by Google

Plures in exponenda ANDREAE ALCIATI, Jureconsulti mediolanensis celeberrimi, vita, operam collocarunt haud superuacuam. Inter illos digni sunt in primis qui legantur, Guidus Panzirolus *de claris legum interpretibus* Lib. II. Cap. CLXVIIII. p. 279 sqq. P. Baile in *Dictionaire* Tom. I. p. 136 sqq. Alexander Grimaldi in *oratione in funere* ANDR. ALCIATI habita, Ticini, in aede cathedrali, ad XIIII. Cal. Febr. MDL. *Papiae* 1550. in 4. Hieronym. Cardanus, in *vita* ANDR. ALCIATI, quae legitur in calce Tom. VIIII. *Operum* Hier. Cardani, a Jacobo Sponio 1663. euulgatorum. Joan. Boukius in *Oratione de vita* ANDREAE ALCIATI, habita an. 1552. *Rostoch.* 1560. in 4. Conf. Niceron *Memoires* Tom. XXXII. p. 312 sqq. Jo. Dauid. Koehlers *historische Münz-Belustigungen* Tom. XVI. p. 217 sqq. Paull. Freheri *Theatr. viror. eruditione claror.* p. 826. Conrad. Samuel. Schurzfleischii *introductio in Notitiam Scriptor.* P. I. p. 321 sqq. Georg. Richteri *Oratio, de* ANDREA ALCIATO, *male, transfuga iuris, a nonnullis dicto*, exstat in Richteri *Orationibus* Decad. II. *Norimb.* 1644. in 8.

XVII.

APOLLONII *Alexandrini*, de Syntaxi seu Constructione orationis libri IIII. A Franciſco Porto ante aliquot annos e manuſcripto codice paſſim & correcti & ſuppleti: tum latine redditi, & notationibus illuſtrati: Nunc denuo a Friderico Sylburgio cum bonis exemplaribus collati, & notationibus aucti. Addita e Procli chreſtomathia grammatica, Photii Patriarchae CP. Electa; ab Andrea Schotto primum edita, latinitate donata, & ſcholiis illuſtrata; nunc iterum a Sylburgio

Digitized by Google

gio m. s. exemplaris collatione passim emendata, suppleta, notationibus aucta. His accessere quatuor inuentaria, verborum, rerum, auctorum, tum nomaliarum grammaticarum breuis adnotatio: opera & studio Fr. Sylburgii. *Francofurti apud Andreae Wecheli heredes, Claudium Marnium, & Joan. Aubrium MDXC.* (1590). *Cum S. Caesareae Maiestatis priuilegio.* in 4. pp. 446. praemiss. fol. 4. excepr.

Librum esse rarum testatur Cl. Dauid Clement in *Biblioth. historique & critique* Tom. I. p. 415. qui titulum autem in compendium valde redegit. APOLLONIVS DYSCOLVS, alexandrinus, Mnesithei & Ariadnes filius, grammaticus, temporibus Hadriani & Antonini pii Impp. rom. fuit celeberrimus, qui vixisse & sepultus esse dicitur, in famigeratissimo illo πυργοχείῳ alexandrino. Vid. *vita* illius ab anonymo *graece* conscripta, quae editionibus plerumque praefigi solet. Catalogum opusculorum, quae conscripsisse creditur, exhibet Suidas Tom. I. p. 284. edit. Ludolph. Küsteri, & Jo. Alb. Fabricius L. V. *Biblioth. gr.* Cap. VII. p. 3 sqq. sed omnia, si hos *Syntaxeos libros*, & librum περὶ κατεψευμένης ἰσοφίας, a Xylandro, *cum* aliis *scriptoribus mythicis, graece & latine, Basil.* 1568. in 8. & a Jo. Meursio *Lugd. Batau.* 1620. in 4. edito, temporum iniuria perierunt. *Syntaxeos L. IIII.* iam ante Sylburgium, & omnium primum ab Aldo Manutio, cum *grammatica* Gazae, & *de mensibus, & tractatu* Herodiani περὶ ἐφθμῶν *Venet. IIX. Cal. Januar.* 1495. in fol. editi fuerunt. Sed omnes, quae Sylburgianam praecesserunt, editiones, e codicibus exscriptae mutilis, admodum imperfectae sunt. Adrianus igitur Baillet Sylburgii editionem *l'estimée & la plus exacte* appellat Tom. II. des *Jugemens des Savans* P. III. p. 133. Dicauit illam Fridericus Sylburgius, Nicolao

Redin-

Redingero, & Martino Schillingo, patriciis vratislaviensibus, Francof. VII. Id. April. 1590. Obtulerat illi Joannes Franciscus Pinellus, *viri cuiusdam doctissimi*, cuius nomen silentio tegit, *interpretationem syntaxeos* APOLLONII *latinam, & commentarium:* cum autem eodem fere tempore, Theodorus Sebastius, Francisci Porti, in eumdem auctorem *lucubrationes*, a Porto moriente, sibi legatas, ad Sylburgium deferret, hic posterioris *lucubrationes*, prioris auctoris labori praetulit, & APOLLONIVM, ad codicem Michaelis Sophiani, ab Andrea Dudithio acceptum, & codicem palatinum, qui vero capita tantummodo XXI. priora libri I. complectebatur, emendauit. *Epistolam* dedicatoriam excipit *epistola* Francisci Porti, cretensis, ad Theodor. Sebastium scripta anno 1580. Priscianus in *praefat. ad* Julianum, p. 1. edit. *colonienſ.* 1528. in fol. APOLLONII *ſcrupuloſis quaeſtionibus nihil enucleatius inueniri poſſe*, ait, & Gerard. Jo. Vossius L. I. *de arte grammatica* Cap. IIII. p. 14. edit. *Amſtelod.* 1635. in 4. APOLLONII *opus* μετὰ πάσης ἀκριβείας *ſcriptum, & ad poetas intelligendos maxime neceſſarium eſſe* confirmat. Conf. Anton. Posseuini *Biblioth. ſelecta* Tom. II. L. XII. Tract. III. Cap. XIIII. p. 41. edit. *Colon.* 1607. in fol. Adr. Baillet *Jugemens des Savans* l. cit.

Excerptum Photii, e Procli *Chreſtomathia grammatica*, inchoatur in hac editione p. 337. Praefigitur talis titulus Ἐκ τῆς Πρόκλου χρηστομαθίας γραμματικῆς Φωτίου ἐκλογαί. *E Procli chreſtomathia, ſeu laudabilibus, quae* Proclus *e Grammaticis excerpſit, Electa* Photii *Patriarchae* CP. *ab* Andrea Schotto, *nunc primum edita, & latinitate donata: Additis eiusdem, & Petri* Joannis Nunnesii Valentini *Scholiis: Ad* Antonium Augustinum *Archiepiſcopum* Tarraconenſem, *Francofurti, Apud Andreae Wecheli heredes, Claudium Marnium & Joan. Aubrium MDXC.* (1590). Procli, Lycii, qui Syriani discipulus, & in schola athenienſi ſucceſſor fuit, *electa grammatica*, a Photio excerpta, e graeco con-

Digitized by Google

conuerterat Andreas Schottus, iuuenis, Tarraconę, accepto vnico, eoque recentioris ęui exemplari, e Bibliotheca Antonii Augustini, archiepiscopi tarraconensis. Sed iam in Hispania, Andream Schottum editionem euulgasse, colligimus e Friderici Sylburgii *epistola*, ad Schottum scripta, vbi ait: *vt* Procli χρησμασία, *quam* graece *ac* latine *in* Hispania *editam*, ἐν πρόσθηκης μέρει *ad me, cum ceteris mittebas, per has citeriores regiones diffunderetur, commodiorem locum ei non inueniri posse iudicaui, quam si* APOLLONIO, *quem eodem tempore prae manibus habebam, annexa, cum eodem in lucem exiret.* Contulit Sylburgius Schotti editionem, cum exemplo, quod ex Henrici Stephani bibliotheca descripserat; Multo sane id perfectius & emendatius Schotti editione deprehenderat, cum Henr. Stephanus, ad duos codices vetustos, id contulisset. Per istam igitur exemplarium ἀντιγράφων, quae, in Schotti editione deerant, suppleuit. Ipse quidem Sylburgius, vt ad APOLLONII *Syntaxin* fecerat, in Procli *chrestomathiam*, *notationes quasdam* adiecit, sed Schotti & Petri Joannis Nunnesii *notas* prolixiores plane omisit. Reperiuntur illae in alia editione, quae hoc titulo: Procli *chrestomathia poetica, Interprete & Scholiaste* Andrea Schotto Antuerp. *Accessere & notae* Petri Joann. Nunnesii, Valentini. *Item Fragmentum Scriptoris incerti, antea* Censorino *tributum, & cum eius de die natali libro continenter impressum. Nunc correctius & aliquot capitibus, ex veteri libro additis, auctius editum, a* Lud. Carrione, Brugensi. *Cum notis eiusdem* Nunnesii, adiicitur Andreae Schotti *Obseruationum humanarum libris V. Hanou.* 1615. in 4. editis. Conf. *Analecta* nostra *litteraria* p. 827.

De Proclo Diadocho, Lycio, philosopho platonico, vid. Marini, neapolitani, *de vita* Procli, *& felicitate liber*, qui *graece* cum incerti auctoris *interpretatione latina*, praemittitur Procli *libris VI. in* Platonis *theologiam*, ab Aemilio Porto, *Hamb.* 1618. in fol. editis.

Cum

Digitized by Google

Cum vero dimidia parte, haec vita manca esset, illam ex Marquardi Gudii codice descriptam, supplevit, cum versione & notis, & elencho scriptorum Procli, edidit separatim Jo. Alb. Fabricius, *Hamb.* 1700. in 4. Habemus editionem nitidam & satis raram, hoc titulo insignitam: Procli *Philosophi* Platonici *Vita*, *Scriptore* Marino Neapolitano: *Quam altera parte De Virtutibus* Procli *theoreticis ac theurgicis*, *auctiorem*, *& nunc demum integram*, *primus edidit*, *Versionem*, *breues notas*, *atque Elenchum scriptorum* Procli *adiecit* Jo. Albertus Fabricius *SS. Theol. Doct. & Philosophiae Moralis atque Eloquentiae Professor Publ. Praemissa sunt Prolegomena de* Marino, *de aetate*, *gente*, *Magistris*, *& Successoribus* Procli, *tum de septem generibus siue gradibus virtutum*, *quas in praeceptore suo celebrat* Marinus. *Londini Excudit T. Hodgkin*, *pro T. Leigh & D. Midwinter*, *ad Insigne rosae coronatae in Coemeterio D. Pauli* 1703. in 8. form. maior. pp. 94. except. praemiss. pp. 28. Conf. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. graec.* L. V. Cap. XXVI. p. 455 sqq. 465 sqq.

Anomaliae grammaticae, *in* APOLLONII *cursim notatae*, a Friderico Sylburgio, ad Dauid. Hoeschelium scriptae sunt.

XIIX.

JVNII IVVENALIS *Aquinatis* Satyrae Decem & Sex, Ad Imitationem Aldini Exemplaris Emendatae. Praeterea non multo pridem Curionis scholiis margini appositis, nunc vero satyrae cuilibet subnexis, illustratae. Quae vice breuis Commentarii esse possunt.

Hexastichon ad studiosum Lectorem.

Vt confert viciis, purgatum carmen habere
Cum doctis scholiis sic iuuat vsque legi

Quo

Digitized by Google

Quo magis hunc moneo librum nunc esse legendum
Quod careat mendis & niteat scholiis
Est tibi praeterea tanto hic magis autor amandus
Quanto plus aliis anteferendus erit.

M. Benedictus faciebat.

Cracouiae 1529. in 8. folior. 90.

Libros initio seculi XVI. in Polonia litteris exscriptos, esse rarissimos, multis adlatis exemplis passim confirmauit Joannes Daniel Janozki in der *Nachricht von denen in der* zaluskischen *Bibliothec sich befindenden raren* polnischen *Büchern*, P. I. & II. Huic sane caussae tribuendum esse censemus, quamobrem haec IVVENALIS editio, Michaeli Maittaire, Jo. Alb. Fabricio, Nicol. Funccio, aliisque scriptoribus, qui auctorum veterum, & editionum, quae exstant, dederunt notitiam, incognita fuit. Nos sane nullum inuenimus librum, aut bibliothecae catalogum, vbi illius mentio facta fuerit. Litteris impressa est romanis, quas *currentes* siue *cursiuas* typothetae nominare consueuerunt, &, vt in *aldinis* poetarum veterum *editionibus* factum est, litteris initialibus, a reliquo textu, paullo remotis. Primo loco habetur breuis *vitae* IVVENALIS *descriptio*, litteris gothicis excusa, cui *argumenta sexdecim satyrarum*, totidem versibus hexametris concepta, subiiciuntur. Cuilibet *satyrae* adposita sunt Coelii Secundi Curionis *scholia*. In fine *Satyrae XVI.* leguntur duo *epigrammata*, *in satyras* IVVENALIS, alterum Josephi Struthii, posnanensis, archiatri, Sigismundi Augusti regis, celeberrimi, de quo vid. praeter alios, Nicolai Comneni Papadopoli *Historia gymnasii* patauini Tom. II. L. II. Cap. XXIII. num. 100. p. 218. alterum Michael. Wrantii Dal. Ea sequitur *Erratorum*, *per humanam incuriam*, *commissorum index*, satis quidem copiosus. Editioni finis

Digitized by Google

imponitur *Epigrammate* F. Mymeri Ieomontani, quod *adhortationem ad ſtudium* IVVENALIS *Satyrographorum principis*, ob oculos ponit:

Cenſorem eximium lector morum & vitiorum
Hunc manibus verſa, nocte dieque vigil.
Hinc vitam poteris nullus quoque fingere mores,
Vitare & crimen, hoc duce diſce frequens
Non tam perfecte Venerem *formauit* Apelles
Non Zeuſis *botros, & vitia ille aperit*
Hinc latiam *phraſim diſces, & cognitionem*
Rerum multarum, cum metricisque modis.

Typographus haec adſcripſit verba: *Excuſſum* Cracouiae *per* Mathiam Scharffenbergk, *expenſis honeſti viri* Marci Scharffenbergk *bibliopolae ibidem anno ab hominum genere reſtituto M. D. XXVIIII.* (1529) *XXVI. Maii.*

Praeter ſcriptores iam nominatos, & variorum auctorum vitas, quae variis IVVENALIS editionibus praefixae ſunt, legi poterunt Nicolai Rigaltii *Diſſertatio de Satira* IVVENALIS, quae praemiſſa eſt IVVENALIS editioni *per Robert. Stephanum, Pariſ.* 1616. in 12. euulgatae, & illi, quam Henr. Chriſt. Henninius *Vltrai.* 1685. in 4. dedit. Henrici Dodwell *Annales* velleiani, quintilianei, ſtatiani *ſeu Vitae* P. Velleii Paterculi, M. Fabii Quintiliani, P. Papinii Statii (*obiterque* IVVENALIS) *pro temporum ordine diſpoſitae. Oxon.* 1698. in 8. form. maior. Filippo Argelati *Vita di* DECIMO GIVNIO GIOVENALE, in *Corpore poetar.* latinor. *cum verſione* hetruſca editorum Tom. XIIX. *Mediolan.* 1739. in 4. Adrien Baillet *Jugemens des Savans* Tom. III. P. I. p. 331 ſqq. Ea, quae ad Iuuenalis editiones, a viris brixienſibus curatas adtinet, omni qua ſolet ſollertia, & adcuratione expoſuit eminentiſſimus Princeps ANG. MARIA Cardinal. Biblioth. QVIRINVS in *Specimine variae litteraturae* brixienſis P. I. p. 144 ſqq.

XVIIII.

XVIIII.

Αισχυλου Τραγωδιαι Ζ, Προμηθευς δεσμωτης, Επτα επι Θηβαις, Πέρσαι, Αγαμέμνων, Χοηφόροι, Ευμενίδες, Ικέτιδες. Σχόλια εις τας αυτας τραγωδίας. AESCHYLI Tragoediae VII. Quae cum omnes multo quam antea caſtigatiores eduntur, tum vero vna, quae mutila & decurtata prius erat, integra nunc profertur. Scholia in easdem, plurimis in locis locupletata, & in pene infinitis emendata. Petri Victorii cura & diligentia. *Ex officina Henrici Stephani M. D. LVII.* (1557) in 4. pp. 395. exceptis foliis quatuor prioribus.

Editioni, quam Vir Cl. Dau. Clemens in *Bibliotheque hiſtorique & critique* Tom. I. p 68. *belle & rare* vocat Petrus Victorius *praefationem* praemiſit, in qua ſe reliquis Aeſchyli editoribus feliciorem praedicat, quod integrum Agamemnona nactus ſit, cuius fabulae prima tantum pars, atque ea quidem exigua, typis antea excuſa fuerat. Cauſſam vero huius rei his verbis addit: *Nam quod prius, errore quodam non paruo, confuſa haec fabula erat cum* Choëphoris, *originem huius incommodi (niſi fallor) indicabo. Erant in vetuſtiſſimo nobiliſſimoque volumine, quo continentur omnes* Sophoclis *atque* AESCHYLI Tragoediae, *quae ſuperiorum temporum acerbitatem ſubterfugere: nec non* Apollonii Argonautica: (*id autem apud nos eſt*): *ambae hae fabulae, eodem ordine ſcriptae, quo res ipſae geſtae fuere: vt* Agamemnon *praecederet; conſequerentur* Choëphorae, *lapſae autem illinc ſunt paginae nonnullae, ſiue ab improbo quopiam exciſae, in quibus reliqua, ac magna quidem illa, pars* Agamemnonis *continebatur, & initium* Choëphorarum *manebat. neque enim multa e principio huius fabulae videntur deſiderari. Alium autem librum inueneramus, in quo* Agamemnon *integra*

 eſſet:

Digitized by Google

esset: quum tamen nec in illo, nec in altero vllo Choëphoras, *totam reperire potuerimus, quare affirmare ausim, eam partem huius tragoediae, ex hoc nostro exemplari manasse. vnde sane descripta fuerit, postquam id incommodum, quod narraui, acceptum est, quare mutilata capite atque initio suo in manus venit. Quod vero ad* Agamemnonem *pertinet: ne quicquam omitteremus quod ad eius restitutionem faceret quum audissemus* Romae *in bibliotheca* Alexandri Farnesii, *summi antistitis, atque omni re, nobili ac splendido homine digna, instructissimi,* AESCHYLI *volumen inueniri, in quo haec fabula legeretur: conferendam eam, a nobis descriptam, curauimus cum eo exemplari, in quo nobis operam suam fidelem atque eruditam praebuit* Gulielmus Sirletus, *vt cuncta diligenter notaret, quae aliter illic legerentur. Nos autem postea varietatibus illis diligenter ponderatis, in eam opinionem venimus, vt nostrum librum non deteriorem illo putaremus; ac magnam partem eorum, quae variata in eo offenduntur, immutatam ab aliquo crederemus, qui in suos quosdam versus restituere chori cantus voluerit. saepe enim addita aut dempta illic quaedam cognouimus, quae consilium ipsius adiuuarent.* Laudat praeterea Bartholomaeum Barbadorum, quem comitem huius magni & ardui laboris habuerit, Sententiam quoque suam Petrus Victorius, de *scholiis*, quae in AESCHYLVM, Sophoclem, & Euripidem circumferuntur, eiusmodi verbis prodit: *vt autem libere loquar quod sentio de* scholiis *iis, quae in tres nobilissimos tragicos circumferuntur: puto haec quae in* AESCHYLVM *leguntur, in vetustissimo praesertim nostro exemplari, meliora caeteris & eruditiora esse: primasque ipsis libenter detulerim. secundas vero* Sophocleis, *& illis maxime quae* Romae (1518. in 8. vid. Michael. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. II. p. 319. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. graec.* L. II. Cap. XVII. p. 632 sqq.) *primum separatim excusa fuerunt: nam ipsa postea crevere, opera cuiusdam qui magis numerum eorum augere voluerit, quam intelligentiam eius poetae adiuuare studuerit*

Digitized by Google

dueris. immiſcuit enim cum ipſis nonnulla doctrina & acumine priorum illorum indigniſſima. Quae in ſeptem Euripidis *tragoedias declarationes editae ſunt, minores multo inferioresque doctrina eſſe exiſtimo.* Iſta autem *ſcholia*, quae per ſingulas poetae tragici paginas, verbis ſubiecta conſpiciuntur, a Joan. Cornelio de Pauw in *praefatione* editionis, cuius mox adſcribemus titulum, *ſi paucula demantur citimae aetatis, & nullius* eſſe *fructus* dicuntur. P. Victorii *praefationem* excipit, AESCHYLI *vita*, graece conſcripta, Καταλογος των Αισχυλου δραματων, κατα στοιχειον. In fine *tragoediarum* invenitur Tractatus graecus, *de metris, quibus vſus eſt* AESCHYLVS, cuius praeſtantiam, in eo etiam eluceſcere ſcribit Joan. Cornelius de Pauw l. cit. quod omnes verſus, pauciſſimis exceptis, ita exhibeat, vt ad metrorum genera, ab Hephaeſtione enarrata non difficulter reduci poſſint. Henricus Stephanus p. 359—395. *Obſeruationes* adiecit *in* AESCHYLI *locos, qui varie ſcribuntur.* In *epiſtola* p. 356 ſqq. praemiſſa, non pauciora quam quindecim, a ſe eſſe viſa, partim Venetiis, partim Florentiae, partim Romae, partim etiam Neapoli, AESCHYLI exemplaria adfirmat, in quorum autem bona parte, *primas* tantum *tres tragoedias* inuenerit. Conf. die *Merkwürdigkeiten der königlichen Bibliotbek zu* Dresden Tom. II. p. 457 ſqq. vbi haec editio breuibus deſcripta inuenitur.

AESCHYLVS tragicorum poetarum, quos habemus, antiquiſſimus, Joſuae & Cecropis, vt Guilielmus Canterus, in *praefatione* in AESCHYLVM, *Antuerp. ex officina Chriſtophor. Plantini*, 1580. in 12. ab illo editum, exiſtimat, aetate floruit. Sunt qui illum eodem fere tempore, quo Herodotus, celebris fuit, Bacchi inſtinctu, vel cum vino incaluit, ſcribendae tragoediae operam dediſſe commemorant. Sed illorum ſententia cum veritate congruere videtur, qui cum Iſaac. Caſaubono L. I. *de ſatyrica* Graecorum *poeſi*, & Romanor. *ſatira* Cap. V. p. 135. edit. Thom. Crenii in

Digitized by Google

Muſeo philologico Lugd. Bat. 1699. in 8. cum Thom. Stanleio in *vita* AESCHYLI, edition. AESCHYLI quam curauit praefixa, cum Jo. Alb. Fabricio L. II. *Biblioth. graec.* Cap. XVI. p. 602. multisque aliis, AESCHYLVM athenienſem, ex oppido atticae regionis Eleuſine, anno, priusquam ſeruator naſceretur, 525. poſtremo Olympiadis LXIII. Euphorione patre, prognatum eſſe ſtatuunt. Non ſolum *tragoediis* conſcribendis, quas ipſe, pro modeſtia ſua, *exiguas portiones, ampliſſimarum* Homeri *coenarum* adpellauit, nomen ac famam conſequutus eſt, ſed in ſago etiam inclaruit, & caſtra ſequutus, tribus praeliis inſignibus, marathoniae nauali, apud Salaminam, & plataeenſi interfuit, ac fortis intrepidique animi edidit ſigna, & partae victoriae, ſocius particepsque factus eſt. Veterum auctorum, qui id teſtantur teſtimonia, vid. in Joan. Burchard. & Friderici Ottonis Menckeniorum patris & filii *Bibliotheca virorum militia aeque ac ſcriptis illuſtrium*, *Lipſ.* 1734. in 8. p. 19 ſqq. De *Tragoediis* AESCHYLI praeter alios, bene meritus eſt, quem iam nominauimus, Guil. Canterus, quem tamen Thomas Stanleius, Canteri opera vſus, praeteritis temporibus ſuperauit, omniumque optimam AESCHYLI editionem, hoc titulo publicae luci expoſuit: AESCHYLI *Tragoediae ſeptem cum ſcholiis graecis omnibus; Deperditorum Dramatum fragmentis, verſione & commentario* Thomae Stanleii, *Londini typis Jacob. Flesher* 1663. in fol. Splendidae editionis recenſio vid. in *Journal des Savans* an. 1665. p. 112. in Joan. Alb. Fabricii *Biblioth. gr.* l. cit. p. 617. in den *Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dr. l. cit. p. 458. Cum vero haec editio noſtra aetate admodum difficilis inuentu eſſet, vid. Dauid. Clement *Biblioth. hiſtorique & critique* Tom. I. p. 68, recudendam illam curauit Joan. Cornelius de Pauw eiusmodi titulo: AESCHYLI *Tragoediae ſuperſtites*, graeca *in eas ſcholia, & deperditarum fragmenta, cum verſione* latina *& commentario* Thom. Stanleii; *& notis* F. Robor-

Digitized by Google

bortelli, A. Turnebi, H. Stephani, & G. Canteri. *Curante* Joanne Cornelio de Pauw, *Cuius notae accedunt. Hagae Comitum apud Petrum Gosse, Filium & socios anno 1745.* II. Tom. in 4. form. maior. pp. 1138. Describitur editio splendissima, vt alia iam eruditorum diaria taceamus, satis adcurate, in *zuverläßigen Nachrichten von dem gegenwärtigen Zustande, Veränderung vnd Wachsthum der Wissenschaften* P. LXXVI. p. 237 sqq. Conf. die *Merkwürdigk. der königl. Biblioth. zu* Dresden l. cit. p. 459. Id autem singulare Jo. Cornelius de Pauw, in graecis suis notis adfectauit, vt accentus vocibus graecis non sint adpicti: *alii illis vtantur*, voce quasi dictatoria edicit, *per me licet; ego a friuolis & ineptiis semper abhorrui.* Conf. de AESCHYLO, & *Tragoediarum* editionibus, praeter scriptores nominatos, Olai Borrichii *Dissertatio de poetis II.* p. 29. edit. *Francof.* 1683. in 4. Adr. Baillet *Jugemens des Savans* Tom. III. P. II. p. 334 sqq. P. Baile *Dictionaire* Tom. II. p. 1106 sqq. Jo. Meursii AESCHYLVS, Sophocles, Euripides, *siue de eorum Tragoediis Libri III. Lugd. Bat.* 1619. in 4. Librum ex Auctoris autographo auctum, inseruit Jacob. Gronouius *Thesauro antiquit.* graec. Tom. X. col. 398 sqq. Congessit etiam Francisc. Dionys. Camusatus in *Obseruationibus* ad Alphons. Ciaconii *Bibliothecam, Paris.* 1731. in fol. omnia, quae de AESCHYLO, eius scriptis, eorumque editionibus, dici potuerunt.

De Petro Victorio, nobili florentino, qui non modo Hetruriam, sed omnem Italiam, eruditionis gloria illustrauit, magnisque ingenii dotibus ornatus, exteros etiam adduxit, vt amore eum & admiratione prosequerentur, vid. Jos. Simleri *Bibliotheca* p. 568. Ant. Benivieni *Vita di* Piero Vettori, *l'antico gentilhuomo* fiorentino, *in Fiorenza nella Stamperia de' Giunti* 1583. in 4. Eiusdem *elogium* adiectum est Petri Victorii & Jo. Caselii *epistolis Francof.* 1597. in 8. p. 137 sqq. In Tom. III. della *raccolta di Prose* fiorentine, *Firenze* 1719. in 8. legitur p. 81 sqq. Lionardi Salviati *Oratione*

zione delle lode di Piero Vettori. Conf. Thom. Pope-Blount *Censura celebrium auctor.* p. 673. Paull. Freheri *Theatr. viror. eruditione claror.* p. 1378. Conrad. Samuel. Schurzfleiſchii *Introductio in Notitiam ſcriptorum* P. III. p. 219 ſqq. Adr. Baillet *Jugemens des Savans* Tom. II. P. II. p. 96 ſqq. Tom. II. P. III. p. 385 ſqq. Joannes Caſelius in *epiſtola* XVII. quam ad Albertum Clampium ſcripſit, in Collect. *epiſtolar.* caſelianarum Juſti a Dransfeld *Francof.* 1687. in 8. p. 855. illum bono litterarum ac virtutis natum, & quaſi aliquem in montibus hetruſcis fuiſſe Chirona ſcribit. Iis vero viribus corporis animique fuit, vt annum iam agens XXCVI. meditaretur adhuc, doceret, & ſcriberet. Diem obiit ſupremum anno 1585.

XX.

Σοφοκλεους αι ἑπτα τραγῳδιαι. SOPHOCLIS Tragoediae ſeptem vna cum omnibus graecis ſcholiis, & cum latinis Joach. Camerarii. Annotationes Henrici Stephani in SOPHOCLEM & Euripidem, ſeorſum excuſae ſimul prodeunt. *Anno M. D. LXVIII.* Eiusdem Henrici Stephani Diſtichon de ſuis editionibus Aeſchyli & SOPHOCLIS,

Aeſchylon ediderам, SOPHOCLES inuidit: at idem
Cur ab eo poſthac inuideatur habet.

in 4. pp. 461. & 142. non numeratis 4. foliis prioribus.

Ex CXXIII *tragoediis*, quas SOPHOCLES Sophili filius, athenienſis, e nobili genere, Olympiade LXXII. prognatus, compoſuiſſe ſcribitur, *ſeptem* tantummodo ad noſtram peruenerunt aetatem, quarum variae editiones

Digitized by Google

tiones recenſentur a Joan. Alb. Fabricio, in *Bibliothec. graec.* L. II. Cap. XVII. p. 632 ſqq. Inter editiones, quae raro noſtra aetate reperiuntur, haec ab Henrico Stephano, nitide exſcripta, non vltimum ſibi vindicat locum, & a Joan. Alb. Fabricio l. cit. p. 634. *praeſtantiſſima facile earum, quae exſtant & emendatiſſima* adpellatur. Initio conſpicitur Henrici Stephani *epiſtola*, *ad lectorem* φιλοσοφώτατον, e quo adparet, quod Henricus Stephanus in excudendo SOPHOCLE, maxima ex parte Adriani Turnebi ſequutus fuerit editionem, quam *Pariſiis*, *typis regiis*, e codice Aemari Ranconeti, *cum ſcholiis graecis* 1553. in 4. exſcripſerat. Sed neque Ranconeti codicem emendatum, neque Turnebi editionem omnibus fuiſſe numeris abſolutam, perhibet Stephanus, quippe quae illi multum laboris reliquerit, id quod *Adnotationes*, quas in hunc poetam conſcripſit, quemlibet docere queant. *Epiſtolam* Stephani ſequuntur quatuor Simonidis, Erycii, & Dioſcoridis *epigrammata* graeca, ex *anthologia graeca* depromta, vno cum SOPHOCLIS *vita* graeca, ab auctore anonymo conſcripta, & graeco, ex Suida, de SOPHOCLE excerpto. Textus SOPHOCLIS graecus, ſeorſum excuſus eſt a pag. 1–431. Cuilibet paginae, adpoſita ſunt *ſcholia* graeca, a duobus auctoribus, conſcripta. Alia ab auctore anonymo profecta ipſa illa ſunt, quorum ſupra Petri Victorii verbis, ex *praefatione* in Aeſchylum, excerptis, fecimus mentionem, primumque *Romae* 1518. ſeorſum excuſa fuerunt. Alia Demetrius Triclinius compoſuiſſe dicitur, quae ex Ranconeti codice Turnebus iam deſcripſerat, Henricus autem Stephanus, multo emendatiora edidit, & adiecit, quae περὶ σχημάτων idem Demetrius adnotauerat. SOPHOCLIS *tragoediis* graecis ſubiungitur 1) Δημητρίου τοῦ τρικλινίου περὶ μέτρων οἷς ἐχρήσατο Σοφοκλῆς p. 435-461.

Demetrium Triclinium, Maximo Planuda eſſe iuniorem probauit Jo. Alb. Fabricius l. cit. p. 634.

 2) *Com-*

Digitized by Google

2) *Commentatio explicationum omnium* tragoediarum SOPHOCLIS, *autore* Joachimo Camerario, Pabepergensi p. 1. — 142. Seorsum istae *explicationes* prodierant *Basileae ex officina operiniana* 1556. in 8. form. maior. quam editionem, cum iam Tom. I. p. 392 sqq. descripsimus, verbum heic non addimus amplius, in primis cum haec posterior editio, priorem in omnibus adcurate refert. Quae in SOPHOCLIS titulo promittuntur Henrici Stephani *Adnotationes*, *in* SOPHOCLEM *&* Euripidem, in exemplari, bibliothecae portensis, quo vtimur, non exstant. Seorsum illae prodierunt hoc titulo: Henrici Stephani *Annotationes in* SOPHOCLEM *&* Euripidem, *quibus variae lectiones examinantur, & pro mendosis emendatae substituuntur. Eiusdem tractatus de orthographia quorundam vocabulorum*, SOPHOCLI, *cum caeteris tragicis communium. Eiusd. Dissertatio de* sophoclea *imitatione* Homeri. *ap. Henr. Stephanum* 1568. in 8. Omnia postea accesserunt editioni, quam dedit Paull. Stephanus 1603. in 4. Habemus ipsi editionem SOPHOCLIS, quae recentissima & omnium, quas vidimus, nitidissima est. Titulus talis est: SOPHOCLIS *Tragoediae septem, tribus voluminibus comprehensae, nova versione donatae, Scholiis veteribus (tam antebac quam nunc primum editis) notisque perpetuis & variis lectionibus illustratae. Opera* Thomae Johnson, *A. M. Londini apud Gul. Innys, R. Manby, & H. S. Cox, bibliopolas. Etonae apud Jos. Pote, Bibliopolam* 1746. in 8. form. maior. Vol. I. quod Aiacem & Electram ob oculos ponit, paginis absoluitur 14. 247. & 232. Vol. II. in quo leguntur Antigone, Trachiniae, & Oedipus Coloneus pp. 7. 167. & 546. Vol. III. quod Oedipum tyrannum Philocteten, & Demetrii Triclinii libellum *περὶ μέτρων οἷς ἐχρήσατο Σοφοκλῆς* complectitur pp. 369. & 52.

Conf. de SOPHOCLE, praeter Suidam, Auctorem *vitae* anonymum, Joachim. Camerarium & Joan. Albert.

Digitized by Google

bert. Fabricium, Olai Borrichii *Dissertat. de poetis* secunda p. 29 sqq. Adrien Baillet *Jugemens des Savans* Tom. III. P. II. p. 348 sqq. Jo. Meursii SOPHOCLES *Lugd. Bat.* 1619. in 4. & in Jacob. Gronouii *Thesauro antiquit.* graecar. Tom. X. col. 418 sqq. De expeditionibus SOPHOCLIS bellicis vid. Joan. Burchardi & Frider. Ottonis Menckeniorum *Bibliotheca virorum, militia aeque ac scriptis illustrium* p. 434 sqq. Naturae debitum reddidit, cum XC. aetatis annum expleuisset, vid. Lucianus in *Macrobiis* Tom. III. p. 226. edit. Joan. Frederic. Reitzii, *Amstelod.* 1743. in 4. Quo autem mortis perierit genere, non satis constat. Quidam obiisse eum scribunt, cum Antigonen recitaret, & longiorem periodum spiritu vno absoluere vellet, alii, quod victor coronatus, gaudium ferre non posset. Vua passa illum suffocarum fuisse, Lucianus l. cit. & *epigrammata* Simonidis, quae Henricus Stephanus ex *Anthelog.* L. III. Cap. XXV. excerpsit, & vti iam dictum est, suae editioni praefixit, produnt.

XXI.

Epigrammata selectiora e Graecis scriptoribus. Epigrammatum Centuriae duae. *Tiguri Apud Froscb.* (Froschouerum) *MDXLIIX.* (1548) in 8. pp. 95.

Etsi haec collectio, singulari insignita est titulo, illam tamen adpendicem esse libri, quem Joannes Frisius, tigurinus, hoc emisit titulo: Hesiodi Ascraei *poema inscriptum* Ἔργα καὶ Ἡμέραι, *id est, opera & dies. Accedunt in idem breuia scholia a* Jacobo Ceporino *primum conscripta, nunc vero per* Joannem Frisium Tigurinum, *insigniter aucta, in quibus dictiones & sententiae quaedam obscuriores, atque obiter* Graecorum

corum *carminum ratio declarantur. Item selecta aliquot* Graecorum *epigrammata, quibus propter vtriusque linguae studiosos* latinam *translationem adiecimus.* in 8. pp. 119. non solum verba in titulo conspicua produnt, sed id etiam disertis prodidit verbis Rodolphus Gualtherus, tigurinus in *epistola* ad *optimae spei & indolis adolescentem*, Georgium Cellarium, *Patricium* tigurinum, *affinem & filium suum dilectum, epigrammatibus selectis*, praemissa, vbi ait: *Ita enim cum amicus singularis*, Joannes Frisius, *in* tigurinae *iuuentutis gratiam*, Hesiodi *vetustissimi poetae aeditionem adornaret, facile vidit, plurimum vtilitatis, iuniorum studiis accessurum, si & selecta aliquot* Graecorum *Epigrammata adiiceret ---- Quamobrem non potui non probare* Frisii *mei consilium, licet illud maiori fortassis meorum studiorum commodo improbari licuisset. Vt enim hoc mihi tam arridere vidit mox pro suo iure rogare coepit, vt* selectiora *quaedam ex* Epigrammatum libris *in suos ordines seu titulos disponerem, simulque ex* latinis *eorundem interpretationibus* (*quae interdum plures erant*) *eas quae germanae magis viderentur, subiicerem: & si quae infoeliciores aut obscuriores haberentur ipse noui aliquid parturire auderem. Et sane, licet hoc tam exulcerato saeculo multa alia agenda restarent, parui tamen partim amici rogatu motus, partim veteris circa poeticam studii illecebris & consuetudine illectus: & quantum pauciſſimorum dierum iactura fieri potuit, duas hasce* epigrammatum *centurias cum paucis aliis congessi potius quam digessi* &c. Jo. Alb. Fabricius istam collectionem graecam, inter *Anthologiae* editiones & compendia, non memorauit.

Vid. de Rudolph. Gualthero, Theologo tigurino, anno 1519. nato & 1586. mortuo, Joan. Jacob. Huldrici, Gualtherus *rediuiuus siue de vita & morte eiusdem oratio*, in *Bibliotheca* bremensi, Class. IIX. Fascic. IIII. p. 660 sqq. Conf. Jos. Simleri *Bibliothec.* p. 610. Melchior. Adami *vitae theologor.* germanor. p. 282.

Digitized by Google

p. 282. Paull. Freheri *Theatr. viror. eruditione claror.* p. 267. Notari hîc etiam meretur, quod in *lexico eruditorum* Tom. II. col. 765. Jo. Jacobus Frisius, Joannis filius, hunc libellum edidisse minus recte commemoretur. Cum enim Joannes Jacob. Frisius anno 1611. aetatis anno LXIIII. mortuus esset, hic autem liber, vt editionis nostrae docet titulus, anno 1548. in lucem prodierit, rem ita se habere nemo dixerit.

XXII.

Epigrammatum Graecorum Libri VII. Annotationibus Joannis Brodaei Turonensis illustrati, Quibus additus est in calce operis rerum ac vocum explicatarum Index diligentissime conscriptus. *Froben. Basileae M. D. XLIX.* (1549) in fol. pp. 627. exceptis praemissis & indice folior. 13.

Joannes Brodeau siue Brodaeus, excellentis ingenii vir, Caesaroduni Turonum, ex honesta Brodaeorum familia natus, hunc commentarium in graeca *epigrammata*, quorum & bonam partem latina ciuitate donauit, iuuenis vndetriginta annorum conscripsisse dicitur. Id sane Sigismundus Gelenius testatur in *epistola*, ad Joannem Frisium tigurinum Basil. 1549. scripta & *Anthologiae* praemissa, vbi inter alia haec legimus: *Commentariorum autor est iuuenis multiiugae lectionis idemque* μνημονικώτατος Joannes Brodaeus Turonensis, *vt mirum sit in eius aetatem tam variam exactamque omnis generis librorum cognitionem cadere. Aiunt enim vix dum* vndetrigesimum *annum ingressum.* Sed contradicere videtur Gelenio P. Baile in *Dictionaire* Tom. I. p. 665. vbi *J'ai oublié*, ait, *de remarquer que s'il avoit soixante trois ans lorsqu'il mour-*

mourrut en 1563. comme Sainte Marthe *l'aſſure, on avoit fauſſement marqué ſon âge à* Sigismond Gelenius, *qui ne lui donne en 1549. que* vintneuf *ans, & qui fonde ſur cela un nouveau renfort d'eloges.* Varia virorum doctiſſimorum elogia, quibus Jo. Brodaeum ob *commentarium* in *Epigrammata* graeca conſcriptum, ornarunt collegit, & omnium conſpectui expoſuit Thomas Pope-Blount in *Cenſura celebrium auctorum* p. 658. Paullus Colomeſius in Gallia *orientali* p. 28 ſqq. 267 ſqq. edit. Hag. Com. 1665. in 4. & Adrien Baillet in *Jugemens des Savans* Tom. II. P. II. p. 57 ſqq. Iniuriosus autem in illum fuit Anonymus, qui exemplari editionis, quod habuit Michael. Maittaire, in fronte haec adſcripſerat verba: *hae adnotationes, ſi tamen recte coniicio, olent* Jacobi Tuſſani, *regii* Pariſiis, graecae *linguae profeſſoris, quo poſt* Budaeum, Gallia *non habuit* graeci *ſermonis peritiorem, lucernam, quidquid tandem male feriatus* Brodaeus *ſibi adſcribat.* Vid. *Annales typograph.* Tom. II. p. 357. Conf. Tom. III. p. 580. Sigismundi Gelenii *epiſtolam* dedicatoriam ordine excipit *Authorum qui in hiſce libris* Epigrammata *conſcripſerunt, catalogus*, quem graeca *epigrammata* ipſa, ſubiecto Brodaei illuſtrata *commentario* ſequuntur. In fine eorum adpoſitus eſt *index, in Annotationes* Joannis Brodaei *in epigrammata* graeca, ordine alphabeti. Iſtae poſtea Joannis Brodaei *animadverſiones*, e chirographo illius auctae, editioni *Anthologiae* praeſtantiſſimae, quae *Francofurti ex officina wechel iana* 1600. in lucem prodiit, adiectae fuerunt. Vid. Jo. Albert. Fabricii *Biblioth. graeca* L. III. Cap. XXIIX. p. 699. Cl. Dauid Clement *Bibliotheque hiſtorique & critique* Tom. I. p. 364.

De vita & libris editis Joannis Brodaei, Canonici turonenſis, qui anno 1563. aetatis anno LXIII. obiit, pluribus verbis expoſuerunt Thom. Pope-Blount, Paul. Colomeſius, Adr. Baillet, & P. Baile ll. citt. Conf. Scaeuol. Sammarthani *elogia* Gallorum L. II. p. 68 ſqq. Joſ. Simleri *Bibliotheca* p. 340.

XXIII.

Digitized by Google

XXIII.

Ἀνθολογία διαφόρων Ἐπιγραμμάτων παλαιῶν, εἰς ἑπτὰ βιβλία διηρημένη. Florilegium diversorum Epigrammatum veterum, in septem libros diuisum, Magno Epigrammatum numero & duobus indicibus auctum.

Henr. Steph. de hac sua editione distichon.

Pristinus a mendis fuerat lepor ante fugatus
Nunc profugae mendae, nunc lepor ille redit.

Anno M. D. LXVI. (1566). *Excudebat Henricus Stephanus, illustris viri Huldrichi Fuggeri typographus* in 4. pp. 539. non numerat. praemiss. & adpend. fol. 19. & dimid.

Editionem esse admodum raram prae ceteris testatur Cl. Dauid Clement in *Bibliotheque historique & critique* Tom. I. p. 363. Auctor der *Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dresden Tom. I. p. 30. Praemisit Henricus Stephanus *Explicationem notarum sibi peculiarium quibus in huius libri & in* Homeri *aliorumque poetarum editione vsus est*, quam *epistola ad lectorem poetices studiosum* sequitur. Duplici *indici* subiiciuntur σχόλια Μαξίμου ὧν μνείαν ἐποιησάμην σελίδι ξτ! & Henrici Stephani *Annotationes in quosdam* Anthologiae epigrammatum *locos, & potissimum eos, qui secus quam in hac eius editione aut scripti aut interpuncti inueniuntur scholia & adnotationes* folia 8. complent.

Quis Maximus ille auctor *scholiorum* graecorum fuerit, inter viros doctos adhuc disceptatur. Alii illa Maximo Planudae, alii Maximo cuidam, quem Planuda iuniorem dicunt, tribuere solent. Id extra omnem dubitationem positum est, auctorem, quisquis ille demum fuerit, recentiorem fuisse, propterea quod ex libris,

Digitized by Google

bris, qui in virorum doctorum versantur manibus, Suida, Eustathio, *Scholiis* in Apollonium, Athenaeo, Pausania, Stobaeo, & aliis, quos testes producit, *scholia* sua collegit. Conf. Andreae Riuini *praefatio* in *Anthologiam* p. 2. vbi *scholia* disertis verbis Maximo Planudae adscribit, Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. graecae* L. III. Cap. XXIIX. p. 699.

In *epistola ad lectorem adnotationibus* adposita, Henricus Stephanus caussam exponit, qua adductus pro *adnotationibus* dederit *adnotatiunculas*. Ita vero ille, *pro Annotationibus*, ait, *has annotatiunculas dare me coegerunt non temporis sed chartae* (*quod mirum videri possit*) *angustiae. In eas autem me redigebat* Sophocles, *qui quum eodem tempore, eiusdem formae charta excuderetur, plures ab eo paginas nec vi, nec clam, nec precario obtinere potui. Tanti autem meas illas annotationes esse non putabam, vt editioni alterius horum operum moram afferre deberent. Ego igitur ex duobus malis minus eligens, & in mea scripta meo iure vtens, adeo lituris non peperci, vt vix decima pars eorum, quae in opus hoc annotaram, eas effugerit. Quod te celare, lector, nolui, ne aut nimiam harum annotatiunculorum breuitatem pariter & ieiunitatem, aut nimiam harum litterarum miraveris exiguitatem. Quum enim integrae illae annotationes multorum locorum explicationem haberent, quos doctissimus alioqui scholiastes* Brodaeus *praetermiserat, aut in quibus explicandis mihi non satisfecerat, his earum reliquiis ea, potissimum quae ad varias lectiones pertinent, (quae etiam praecipue a me expectatum iri existimaui) persequutus sum* &c. Quid vero editione praestiterit, his verbis refert: *Nunc de hac editione panca. Multos ea locos, sed nullos tamen, (nisi vbi apertissimus erat error) ex coniectura emendatos habet. Ex falsis interpunctionibus ortos errores excipio, in quos ius mihi esse existimaui. Quum autem in caeteris editionibus praefixus vnicuique libro numerus titulorum (qui κεφάλαια hic vocantur) alicubi nume-*

numero qui in ipso libro est non respondeat: quum multa epigrammata *sub eodem titulo de iisdem, rebus & personis in eundem sensum scripta diuulsa sint: quum libro tertio, sub titulo* incelebrium poetarum, Orpheus, Musaeus, *aliique multi* celeberrimi, *&* vetustissimi poetae *positi sint: quum alicubi ad particularem titulum* epigrammata *diuersa tanquam ad generale referantur: quum ibi carmina multa quae separari debent, coniuncta sint, contra quae coniungi vnoque tenore continuari debent, interrupta sint: quum interdum positum sit nomen τοῦ ἐπιγράψαντος pro eius nomine οὗ ἐπιγέγραπται, & vice versa; quum ἄδηλον aliquoties ponatur, vbi author non ignoratur, quum non pauca etiam ψευδεπίγραφα sint: quae his ego aliisque multis vitiis remedia adhibuerim, ex huius editionis cum aliis collatione quam ex meis verbis intelligi malo. At titulis qui ordine alphabetico collocati non erant, sedem suam mutare, aut* epigrammata *ex titulo vno in alium cui magis conuenire videbantur transferre nequaquam ausus sui Sed & nomina eorundem ἐπιγραμματοποιῶν vt varie scripta inveni, ita etiam varie scripta reliqui, dum quid certius de illis comperissem. Sed nec in illis nominibus quae modo cum adiunctione, modo sine illa scripta sunt, quicquam immutaui. Sunt & alia fortasse (imo vero quin sint non dubito) a me hac in editione praestita: sed re quam verbis maiora mea esse volo. Venio igitur ad* epigrammata *quae addidi. Veterum* heroum epitaphia epigrammata, *quibus primum locum dedi, me olim* Florentiae *ex veteri quodam* Mediceae *bibliothecae codice descripsisse antea indicaui: e quibus quae transtul.sse* Ausonium *dixi, ea in posterioribus duntaxat eius poematum editionibus quaerenda esse moneo. Illa quoque γειφώδη pag. 535. ex vetere codice* epigrammatum *descripsi, quod* Louanii *habebat* Johannes Clemens Anglus. *Caetera omnia quibus nomen scriptoris, vnde sumpta sunt, non adscripsi, ex* Herodoto, Pausania, Strabone, Sotione, Athenaeo, Stephano, Diogene Laertio, Suida, Eustathio *descripta esse scito* &c. Reprehendit

Digitized by Google

hendit praeterea, editionis, quae *Venetiis* prodiit, auctorem, quod non erubuerit, *pro magna epigrammatum acceſſione*, quam in titulo pollicitus fuerat, *ſeptem aut octo verſiculos* Anacreontis dare, qui praeterquam, quod nihil cum *epigrammatibus* commune habeant, etiam deprauatiſſimi ſint. Jam vero addit: *nec alia re, quam multis mendorum millibus, locupletata eſſe conſpicitur illa editio, quam tamen ſuperioribus, longe caſtigatiorem praedicare nihil eum puduit. Sed quis pudorem in perfrictae frontis hominibus quaerat.* His ſine dubio verbis perſtrinxit editionem *venetam*, quae vt titulus habet, *cum nonnullis epigrammatis, recens inuentis, reiectis ad calcem, apud Aldi liberos* 1550. vel vt Michael Maittaire in *Annal. typogr.* Tom. III. p. 604. adfirmat, 1551 in 8. prodiit. Extulit Henricus Stephanus poſtremum diſtichon *Epigrammatis* graeci L. VI. Cap. VI. *Anthologiae*, quod inchoatur verbis σὸς πόσις Αγχίσης, in *Adnotationibus in Antholog.* quinquaginta, & in *ſelectis Epigrammatibus* an. 1570. euulgatis, centum & quatuor diſtichis latinis. Sed reprehenditur hoc Henrici Stephani ſtudium a Franciſco Vauaſſore in Libro *de Epigrammate, Pariſ.* 1672. in 8. Cap. XVII. p. 202. cum ſcribit: *Quod ſi eſt in oratione ſoluta* Henric. Stephanus *eiusmodi, qualem deſcripſi* (p. 201.) *quanto in aſtricta vitioſior, qui & inconcinnos plerumque verſus, & duriſſimos fecerit, & inaniter, vt ſic dicam, copioſos? Non diſcedam a re & argumento* epigrammatum. *In notis ad* anthologiae *librum ſextum, titulo ſexto*, epigrammate σὸς πόσις Αγχίσης, *haud equidem ſcio, qui homini venerit in mentem variare, vt poeta loquitur, rem prodigialiter vnam. Vnum enim diſtichum, quo* epigramma *clauditur, diverſis quinquaginta diſtichis extulit eadem ſententia, atque interpretatus eſt; in eoque ſe magnum feciſſe exiſtimauit, ſiue ad prodendam vim atque copiam poeticae facultatis, ſiue ad inflammandam iuuentutem, acuendamque, exemplo propoſito. At iſta re, quaeſo, tota quid puerilius, in qua diſtichorum vel optimum naeuo*

quo-

Digitized by Google

quodam ſuo non careat; cetera in plerisque abſona & incondita, ſi recte attendimus, reperiantur? Quare merito ipſam illam futilem redundantiam, neglectam vidimus fuiſſe & repudiatam ab eo, qui Stephani *tamen* notas, *dum* anthologiam *rurſus ederet, retinendas putavit.* Conf. Jo. Alb. Fabricii *Bibliotheca graeca* l. cit. p. 698 ſqq. Michael. Maittaire Stephanorum *hiſtoria, Londin.* 1708. in 8. p. 280. Eiusd. *Annal. typogr.* Tom. III. p. 737.

XXIIII.

Ἀνθολογία διαφόρων ἐπιγραμμάτων παλαιῶν εἰς ἑπτὰ βιβλία διηρημένη. Florilegium Hoc Eſt Veterum Graecorum Poetarum Epigrammata comprehenſa libris ſeptem. Interprete Eilhardo Lubino. *In Bibliopolio Commeliniano. Anno MDCIV* (1604), in 4. pp. 1011. exceptis 4. foliis prioribus.

Jam ſecúlo praeterito, hanc editionem fuiſſe infrequentem verba teſtantur Andr. Riuini, in *praefat. Anthologiae* fol. 3. vbi ſe rarítate *Anthologiae*, quam Lubinus ediderat, adductum eſſe ſcribit, vt nouum adornaret *Anthologiae compendium.* Illam praeterea raram eſſe diſertis pronunciauit verbis Cl. Dauid Clement p. 364. Eilhardus autem Lubinus, academiae roſtochienſis tunc temporis Rector, & poeſeos Profeſſor publicus cum *epigrammatum* pleraque, vel propter abſtruſiores fabulas, euentus & hiſtorias, vel ob occultiores adluſiones, vel denique ob ingenioſam breuitatem obſcuriora eſſe, & ideo paucos lectores inuenire, cerneret, id ſibi datum eſſe negotium exiſtimauit, vt illa κατὰ λέξιν, verbum, vt aiunt, verbo explicaret, & e regione graeca, graecis oppoſita, in graecanicae ſapientiae & venuſtatis ſtudiorum gratiam

Digitized by Google

publici iuris faceret, vt hac ratione plurimi ad haſce Graecorum delicias deguſtandas inuitarentur. Ipſe id teſtatur in *epiſtola* dedicatoria, ad doctiſſimum ſuae aetatis Principem Mauricium Haſſiae Lantgrauium. Conf. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. gruec.* l. cit. Priusquam autem hoc opus in lucem emitteret, prodromi inſtar euulgauit *Epigrammatum librum primum, cum interpretatione eodem carminis genere expreſſa, vt verſus verſui, & verbum verbo paene reſpondeat. Roſtoch.* 1600. in 8. Inſcripſerat libellum nomine Achillis belgici, Mauricii, Principis auriaci, Comitis naſſouienſis.

Vid. de Eilhardo Lubino, Henning. Wittenii *Memor. Theologor.* Decur. III. p. 305. vbi *programma in eius funere*, academiae roſtochienſis nomine publice an. 1621. propoſitum, legitur, Paul. Freheri *Theatr. viror. eruditione claror.* p. 410 ſqq. P. Baile *Dictionaire* Tom. II. p. 1794. Adr. Baillet *Jugemens des Savans* Tom. II. P. II. p. 217. Tom. VI. P. I. p. 285. & 319 ſqq. vbi de controuerſia quam ob *Phoſphorum, de prima cauſſa & natura mali Tractatum Hypermetaphyſicum*, ſibi contraxerat, agitur. Conf. Gottfr. Arnolds *Kirchen-und Ketzerhiſtorie* P. II. L. XVII. C. VI. §. 35. p. 468.

XXV.

Ἀνθολογία διαφόρων ἐπιγραμμάτων εἰς ἑπτὰ Βιβλία διηρημένη. Seu Florilegium Graeco-Latinum, Diuerſorum Epigrammatum Veterum, e CCLXXVII Auctoribus Graecis Rarioribus, Et Quorum Opera Fere Interciderunt, Ab Agathia Scholaſtico & Maximo Planude jam olim collectorum, & in VII. Libros digeſtorum, nunc in trium Chiliadum Centurias diſtributorum; Recens

Digitized by Google

cens vero & Superioribus Retro seculis a CCCXXX. variarum Nationum Latinis Poëtis famigeratissimis ciuitate praetextaq; Romana donatorum, & carminibus totidem Latinorum translatorum; praemissa sua cuiq; Epigrammati secundum literam & ad verbum prosaica, in bibliopoliis hactenus desiderata Eliae Cuchleri, aut Eil. Lubini versione, junctis rerum, auctorum & interpretum Indicibus. Cura studio atque opera, ut & collectione, confectione & impensis An. Riuini, Halis-Saxonis, Philos. & Med. D. C. P. Caesarei, Poeticaeq; P. P. Collegii Principis Subsen. & Acad. Lipsi. Xuiri. Opus Nou-antiquum, cuni propter miram argumenti varietatem & festiuitatem, jucundissimum & admirandum, tum ob reconditam eruditionem ac sententiarum & exemplorum, quibus vniuersam fere de moribus philosophiam complectitur, copiam nulli non hominum generi apprime utile & necessarium, ut & exercitiis studiosae juuentae aptissimum. *Gothae Prelo Reyberiano excudit Joh. Mich. Schall, Aera Dionys. MDCLI.* (1651). *Venund. Lipsiae ab Editore*, in 8. pp. 1600. si folia 16. priora excepta fuerint.

Hanc collectionem, quam a raritate laudault David Clement l. cit. p. 365. cum omnibus, quas iam descripsimus, editionibus, ipsi possidemus. Cum vero illa satis superque a Jo. Alb. Fabricio, in *Bibliotheca graeca* p. 700 sqq. descripta fuerit, verbum non addimus amplius, sed lectores nostros ad l. cit. able-ga[illegible]. *Trium* quidem *Chiliadum centurias* edere constituerat Riuinus, sed *primum millenarium* tantum ad finem perduxit, & in lucem emisit. Conf. *Noua libror.*

Digitized by Google

bror. rarior. collectio Hal. Magd. 1709. in 8. in praefat. p. 35.

Vitam Andreae Riuini, Medici, Philosophi & Critici lipsiensis, pluribus verbis exposuit Hieron. Kromayer in *Programmate in eius funere*, Academiae lipsiensis nomine, publice proposito an. 1656. in 4. quod Henning. Wittenius inseruit *Memor. philosophor.* Decur. VI. p. 251 sqq. Conf. Niceron *Memoires* Tom. XXXIII. p. 172. *Analecta* nostra *litteraria de libris rar.* p. 783.

XXVI.

Epigrammata Graeca Veterum Elegantissima, Eademque Latina ab vtriusque linguae viris doctissimis versa, atque in rem studiosorum e diversis autoribus per Joannem Soterem collecta.

Αναγνωστη τα ἐπιγεγράμμενα.

Τυτθ' ἔξεις ἐσμὲν καὶ παῦρ' ἐπιγράμματα, πικρα
Ἀμμιν ὅμως ἢ κέντρ', ἢτ' ὀυ λάρις ἔσπετα τύτθα.

Epig. Ad Lect.

Parua licet simus pauca ac epigrammata, amari
Nos tamen aut stimuli, sequitur seu gratia magna.

Friburgi Brisgoiae Stephanus Melechus Grauius excudebat An. M. D. XLIIII. (1544) in 8. pp. 367.

Hoc *epigrammatum compendium*, a Joanne Soto[illegible]ere, siue, vt vernacula adpellabatur lingua, Heyl, typographo colonienſi, linguarum studiosissimo, adornatum, raro nostra aetate occurrit. Praecesserunt eam, quam recen-

Digitized by Google

recenſemus editionem, duae aliae *colonienſes* 1525. in 12. & 1528. in 8. Ad priorem haec *friburgenſis* expreſſa eſt, quod Joannis Soteris praefatio, libro praemiſſa docet. Typographus Stephanus Melechus Grauius, ſuam editionem *ſoteriana* multo caſtigatiorem praedicat, ſuaque opera effectum eſſe ait, vt hoc opus ex emendatiorum codicum collatione, diligenter a mendis repurgatum, locupletiusque non paucis ex graeco exemplari *epigrammatibus* adiunctis, in publicum prodiret. Conf. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. graec.* l. cit. p. 700.

XXVII.

Selecta Epigrammata Ex Florilegio Et Alia Quaedam Ex Veteribus poëtis comicis potiſſimum, Latino Item Carmine conuerſa. *Romae, Apud Bartholomaeum Zannettum MDCVIII.* (1608). *Superiorum permiſſu.* in 12. pp. 363. excepto indice pp. 5.

Quis huius collectionis, a Joan. Alberto Fabricio non memoratae, compilator fuerit, dicere non poſſumus, cum eius rei nec vola, nec veſtigium in libro ipſo exſtet. *Libros ſex epigrammatum*, quae graece & latine adlata fuerunt, ſequuntur p. 273. *Epitaphia & epigrammata varia* gr. & lat. Pag. 287. reperiuntur *Sententiae quaedam e veteribus comicis* gr. & lat. *pluribus verſibus comprehenſae.* Pag. 317. *Sententiae monoſtichae Id eſt ſingulae ſingulis verſibus comprehenſae; quae magna ex parte* Menandri *putantur, ordine Alphabeti diſpoſitae.* Petro Mariono eugubino, *interprete.* Pag. tandem 354 ſqq. occurrunt *Veterum poëtarum fragmenta, ex libro* S. Juſtini Mart. de Monarchia *decerpta*, gr. & lat. Friderico Sylburgio *interprete.* Hiſce omnibus duplex *index*, alphabeti ordine

Digitized by Google

digestus, alter *capitum latinorum epigrammatum*, alter *Sententiarum Monosticharum ex* Menandro, *fere*, adiectus est.

XXIIX.

Anthologia Epigrammatum Graecorum Selecta & ab omni obscoenitate vindicata. Cum Latina interpretatione *κατὰ λέξιν*. *Flexiae Apud Ludouicum Hebert Typographum, sub signo Nominis Jesu prope Collegium M. DC. XXIV.* (1624) in 8. pp. 446. si 4. folia priora non computata fuerint.

Admodum infrequens, haec, in vsum studioforum e Societate Jesu Collegii flexiensis, concinnata, est editio. In secunda tituli pagina, hoc legitur distichon:

Ωα ἀπὸ τῆς βίβλου.

Ἀνθεδίαν τε μέλισσα, ἐπεὶ ὅλην ἄνθος ἐτύχθην
Παντοδαπὸν, πρίει δεῦρ' ἀπ' ἐμοῦ τὸ μέλι.

Editor anonymus librum dicauit *nobilissimis regii* flexiensis *Collegii conuictoribus*. Praemittuntur *anthologiae* ipsi nonnulla epigrammata graeca & latina, quibus partim editor eosdem adolescentes compellauit; partim *ingenui adolescentes*, Joannes de la Barre, chinonensis, Nicolaus de Lormel, parisinus, Francisc. de Vigneral, argentinensis, Jacobus de Brettigneres, vernoliensis, & Vincentius Bahuon, armoricus in *Anthologiam* vario carmine *luserunt*. *Epigrammata* autem, *ex sex* tantummodo vt in editione, quam descripsimus, *romana*, *Anthologiae libris* decerpta sunt. *Septimum librum περὶ ἐταιρικῶν*, propterea quod obscoena complectitur, intactum editores reliquerunt. Finis libro imponitur hoc epigrammate graeco:

Διονυσιου

Διονυσιου του Περιηγητου εκ της του Ιησου εταιρειας εις το σωτηριον Ιησου ονομα.

Χαιρε ιερον καθαρου στελας ηματος, ω ενι Χριστος,
Ανθρωποις βιοτου λαμπρον ανοιξε φαος.
Τουτων απαστραπτον σωτηριον ουνομ' εδεκτο
Τημερον, ουλομενης αντιδοτον σκοτιης.
Δευτ' αγετ' ανθρωποι δειλον γενος, οις φρενα πυκνη
Αχλυς εχει, κακιης κυμασι βρασσομενοις·
Θαρσειτ', ου γαρ τουτο γ' ετωσιον ουνομα κειται,
Ουτοι σωτηρος σωζεμεν αλλοτριον.

Conf. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. graec.* l. cit. p. 700.

XXVIIII.

DIOGENES LAERCIVS. in fol. form. minor. folior. 96.

DIOGENIS LAERTII codex litteris romanis, satis luculentis & nitidis exscriptus, versionem latinam refert, quam Ambrosius camaldulensis composuit, & Benedictus Brognolus recognouit. Prima vice haec versio prodierat *Venetiis, impressa per Nicolaum Jenson, gallicum anno domini 1475. die 14. Augusti*, in 4. mai. vid. Mich. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. I. p. 348. die *Merkwürdigk. der königl. Biblioth. zu* Dresden Tom. II. p. 362. vbi etiam nostra editio memoratur. Praemittitur Benedicti Brognoli *epistola, generosis Patriciis* venetis Laurentio Georgio, Jacobo*que* Baduario dicata. Inter alia scribit, quod epigrammata & versus quosdam, quos frater Ambrosius praetermiserit, in sua versione, componendos curauerit, illique addiderit. Scripta est Brognoli epistola, Venetiis *pridie Idus Augusti MCCCCLXXV.* (1475). Sequitur illam *Fratris* Ambrosii, *in* DIOGENIS LAERTII *opus, ad* Cosmam Medicem *epistola.* In libri fine haec typographi leguntur verba: *Impressum* Venetiis

Digitized by Google

per Philippum Pinzi. *Sumptibus domini* Benedicti Fontana: *Anno dni. M. CCCCXCVII.* (1497) *die XXII. Junii.* His verbis subiecta est *tabula operis*, cuius in fine conspicitur figura putei, e cuius medio prominet arbor, ramis truncata, e quorum truncis aqua defluit, adscriptis litteris B. F. quae Benedictum Fontana, qui libro imprimendo sumtus fecerat, designant.

Cum Ambrosius Trauersarius, monachus camaldulensis, DIOGENEM LAERTIVM e graeco in latinum sermonem conuerteret, rogauerat Philelfum, vt graecos versus, qui in LAERTIO reperiuntur, versibus exprimeret latinis, id quod etiam promiserat Ambrosio Philelphus: sed cum promissis non staret, & Ambrosius hac de re conquereretur, ille ita exacerbatus fuit, vt *satyram* scriberet, in Ambrosium, quae reperitur Decad. II. hecatostich. 7. vbi inter alia haec leguntur:

Ambrosius *queritur Monachus, quod legis amicae*
Officium, Manette, *nihil, nec nomina curem.*
Fallitur Ambrosius: *nam, si scrutabere verum,*
Nomen amicitiae sanctum mihi, sanctus & vsus.
Sed fugit Ambrosium *vis tanti muneris, atque*
Ipsius naturae res tantum vtile confert,
Atque voluptatem quae vim conflauit amoris,
Conseruetque omnem. Nec enim, Manette, *negabo*
Quod minus obsequium cunctis in rebus amico
Praestiterim, quotiens intempestiua popposcit,
Aut consulta minus. Si non epigrammata *largi*
Muneris in Latium *nondum traduximus, atque*
Eulogia, Argiuis *soluentes protinus oris:*
Quod totiens precibus, totiensque popposcit amicus:
Non ideo nobis adeo succenseat, vt nil
Cogitet officium quod sit rerumque, dieque.
Si res plura petit, patitur quam temporis hora,
Aut quod tempus auet, res negligit, audet amicus
Officium culpare meum, quod tempque diemque

Aequali

Aequali expendens trutina, sic ducit vtrique
Se feciſſe ſatis, duce ſi LAERTIVS *vno*
Venerit in Latium; *ne ſi, velut* Iris, *amictus*
Venerit in Latium, *mouear nouus hiſtrio riſum.*
Cantio longa quidem, tot me traducere verſus,
Quot, Graium *vitas deſcribens ille virorum,*
Retulit interpres. Si reddere quaeque latina
Nititur, Ambroſius, *cur non quoque verſibus ornet*
Scripta ſuis? Neſcit metrum &c.

In *epiſtola* ad Donatum Actiolum (Acciaiolum) quam protulit Jacobus Gaddius Tom. II. *de Scriptor. non eccleſiaſtic.* p. 256. Philelphus, hoc de Ambroſii verſione tulit iudicium: *ego* DIOGENEM LAERTIVM *cum proxime attentus legerem, quae ille traduxit, inueni errata prope infinita, adeo vt nihil eſſe ineptius, nihil corruptius audeam adfirmare, carebam enim* graeco *codice, proinde vtebar eo* latino, *in praeſentiarum vero etiam ſum nactus* graecum. *Si quis vero velit rediſcere, legat traductiones* Ambroſii camaldulenſis. Aegidius autem Menagius in *Obſeruationib.* in DIOGENEM LAERTIVM Tom. II. p. 2. edit. *Amſtelod.* 1692. in 4. tanta licentia, Ambroſium, in DIOGENIS libris vertendis, vſum eſſe, ſcribit, *vt ſcriptorem potius hiſtoriae, quam hiſtorici interpretem dixeris.* Conf. Niceron *Memoires* Tom. XVIIII. p. 15 ſqq. Adrien Baillet *Jugemens des Savans* Tom. II. P. III. p. 310 ſqq. vbi Paulli Jouii, & Petri Daniel. Huetii, de hac verſione iudicia exponuntur. Vid. etiam Auguſtini Fortunii florentini L. III. *Hiſtoriarum* camaldulenſium, *Florent.* 1575. in 4. cap. VI. Joan. Alb. Fabricii *Bibliotheca* graeca L. IIII. Cap. XVIIII. p. 603 ſqq.

Benedictus Brognolus ſiue Brugnolus leniacenſis (*Leguano*) vir fuit litteris probe excultus, & grammaticus aetatis ſuae excellentiſſimus, quod inter alia ingenii monumenta, Priſciani *de octo partibus orationis* libri, quos emendauit, teſtantur. Julium Caeſarem

rem Scaligerum habuiſſe *diſcipulum*, refert quidem Aegidius Menagius in *Obſeruationibus* in DIOGENEM LAERTIVM l. cit. p. 3. illiusque rei teſtem producit Joſephum Scaligerum, filium, in *epiſtola*, quam de patris vita, ad Janum Douſam ſcripſit. Nos illam euoluimus, ſed nihil tale potuimus inuenire, id tantummodo refert Joſephus Scaliger p. 48. edit. *Lugd. Batauor.* 1594. in 4. quod Benedictum Brugnolum, iam mortuum, & ſibi nunquam viſum, pater Julius Caeſar, per ſomnium viderit. En, ipſa Joſephi verba: *Cum* heroum *ſuorum* opus (quod prodiit *Lugduni apud Sebaſt. Gryphium* 1539. in 4. pp. 24) *contexens ad multum noctis lucubraſſet, abſoluto libro, poſt caenulam quiete compoſitus imaginatus eſt, in aede* Mariae *antiquae* veronenſis, *vbi ſunt monimenta gentis noſtrae, hominem procerum, ac grauem ſibi obuiam factum ſecum expoſtulare, quod ſe inter* heroas *ſuos non collocaſſet. orare igitur, vt hoc faceret: ſe* Benedictum Brugnolum *eſſe, domo* Leniaco. *qui patrem* Benedictum *ac patruos literas primas docuiſſet: ipſum quoque puerulum aliquando inter vlnas geſtaſſet.* Venetiis *ſe vltimum diem obiiſſe, ibique ſepultum eſſe. Experrectus, ſomnium elegia elegantiſſima expreſſit, quae calci* heroum *addita eſt; Ipſe vero nunquam ſciuit, quis eſſet* Brugnolus *ille, neque quid portenderet ſomnium. Et profecto ego quoque nihil vnquam aliud, quam ſomnium credidi, donec anno 1566. cum eſſem in* Italia, *&* M. Antonio Mureto *expoſuiſſem, me habere in animo* Venetias *proficiſci, ille inter alia, quae in ea vrbe digna cognitu ſunt, refert monimentum eſſe* Benedicti Brugnoli, leniacenſis, *excellentiſſimi aeuo ſuo grammatici, qui, vt eius epitaphium fert, & principes & proceres aeui ſui in* Norico *litteras docuerit. Id ſepulcrum dignum eſſe quod ſtudioſos antiquitatis oculos moraretur. Neque tamen magis meminerat* Muretus *ſomnii patris mei, quam pater meus ſciebat, quis eſſet* Benedictus Brugnolus. *Elegiam*, qua rem ipſe Julius Caeſar Scaliger expoſuit, dignam omnino cenſemus, quae hic legatur.

Digitized by Google

gatur. Inscripsit illam Scaliger hoc titulo: *Somnium non fictum de re tamen penitus ignota mihi:*

Vera canam: vos vera Deae spirate canenti:
Et date nectareos in mea verba modos.
Pinieram heroos *multa de nocte labores;*
Praebuit inde leuem sobria mensa cibum.
Vmbra sibi hybernas bissex exegerat horas:
Membra quies molli blanda refecit ope.
Visus eram, Augusti *sancta in penetralia templi*
Audacem a primo limine ferre pedem.
Lactus ibi tumulos, tumulisque imposta trophaea,
Martiaque armata corpora stare manu,
Quulta Scaligero *sunt conspicienda sacello,*
Quod nostra, Antiqui nomine, signa capit.
Dum miror: celso vox est mihi reddita muro.
Si memini, murum hunc marmora pura tegunt:
Sum Benedictus *ego:* Brugnolum *secula dicunt*
Ipse tuum docui prima elementa patrem:
Et patrem, & patruos, totamque ab origine gentem
In quam sum actitus Norica *terra fuit.*
Noricus *huc a* Leniaco *me Caesar adegit:*
Cui genitor pacis nomina ferre dedit.
Primus eo latias *adduxi candidus arteis,*
Graecaque *non noto tunc elementa sono.*
Te quoque vix natum tremulis gestauimus vlnis:
Profuit & siquid; vota precesque tuli.
Heu quod non licuit. raram tibi texere laurum;
Dum decus hoc aliis fata parare volunt:
Nec noctes vigilare tibi, nec condere luces.
Sors famae ad cumulum defuit illa mihi.
Dura pater, patruique simul sunt arma sequuti.
Me veneta *externo puluere terra tegit*
At tu, per generis monumenta insignia vestri,
Quaeque tibi a magnis gloria venit auis;
Eripe me ingratis o nunquam ingrate tenebris:
Et nouus heroo nomine surgat honor
Ista simul, simul ecce caui de fornice muri
Exilit ingentis maxima forma viri.

Et

Et porrecta meo circundans brachia collo,
Hoc tollam, inquit ego summa sub astra caput.
Magnus ego & celso surrectus corpore: verum
Pectore tum toto grandior ille fuit.
Nunc quoque cum scribo, trepidos rigor occupat artus:
Et stupida a facie lamina splendor habet.
Parcite Brugnoli, *mihi iam noua Namina, manes.*
Nulla aures tetigit nominis aura meas.
Cum pater exactos memoraret sedulus annos;
Posse reor nomen forsan habere tuum.
Te tamen, vt iussisti, habeo pro numine vero
Siue opus est sacro carmine, siue focis.
Sancte vale: patremque meam, patruosque saluta
Teque precor similem saepe redire mihi.

Quae Niceroni, de Brugnoli cura, quam in emendanda Ambrosii versione adhibuit, sententia fuerit, lectores haec eius verba, quae exstant in *Memoires* Tom. XVIIII. p. 14 docere poterunt: *Jusques-là les Vers grecs n'avoient été rendus qu'en prose:* Brugnoli *en procura une traduction en vers latins, que bien des gens,* Erasme *entr'autres, ont pris pour être d'*Ambroise. *Mais quelque bonne opinion que* Brugnoli *ait eu de son travail, il est aisé de reconnoître qu'en voulant retoucher l'ancienne traduction, il l'a gâtée en beaucoup d'endroits. Les vers qu'il a substitués à la* Prose *sont miserables, & ceux qu'a donnés depuis* Michel Bentin, *& qu'* Henri Etienne, *& d'autres ont employés dans leurs editions, ne sont pas meilleurs.*

Digitized by Google

XXX.

Διογένους Λαερτίου περὶ βίων, δογμάτων καὶ ἀποφθεγμάτων τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ εὐδοκιμησάντων, βιβλία ι'. DIOGENIS LAERTII de vitis, dogmatis & apophthegmatis eorum qui in philosophia claruerunt, libri X. In quibus plurimi loci integritati suae ex multis vetustis codicibus restituuntur, & ii quibus aliqua deerant, explentur. Cum annotationibus Henr. Stephani. Pythag. Philosophorum fragmenta. Cum Latina interpretatione. *Anno M. D. LXX.* (1570). *Excudebat Henricus Stephanus.* in 8. pp. 494. 40. & 432.

Inter editiones graecolatinas DIOGENIS LAERTII, omnium haec prima & rara est. Inscripsit illam Henricus Stephanus, nomine Joannis Cratonis, Caesaris consiliarii. Post *epistolam* dedicatoriam, conspicitur φιλοσόφων κατάλογος ὧν τοὺς βίους γέγραφεν ὁ Διογένης. Textum DIOGENIS graecum, qui, prima vice integer lucem adspexerat *Basileae* 1533. in 4. Henricus Stephanus, a tribus Henricis, cum vetustis exemplaribus summa cura diligentiaque conlatum esse scribit, illum ex iis, multorum locorum emendationem, plurimorum etiam quae deerant verborum, & nonnullarum sententiarum integrarum accessionem consequutum esse adfirmat. Inter tres illos Henricos, ipse Stephanus locum occupat, alter Henricus est Scrimgerus, dundeensis (*Dundee*) Scotus, philosophiae & iuris professor geneuensis publicus, anno 1571. aetatis anno LXI. mortuus, quis vero tertius fuerit, nos omnino fugit.

Πυθαγορικῶν τινῶν συγγραμμάτων ἀποσπασμάτια p. 437. initium ducunt & p. 494. finiuntur. Sunt autem *fragmenta* quaedam Hippodami Thurii, Euryphami Me-

Digitized by Google

Metapontini, Hipparchi, Archytae Tarentini, Theagis, Metopi Metapontini, Cliniae Tarentini, Critonis Aegei, & Poli Lucani, in quibus argumenta quaedam ad moralem philosophiam spectantia pertractantur. Primum e Stobaeo, vbi legunturs descripsit, & cum versione latina edidit Guil. Canterus 1566. in 4. Illis adiunxit Henricus Stephanus Ἀνωνύμου τινὸς διαλέξεις, Δωρικῇ διαλέκτῳ, περὶ τοῦ ἀγαθοῦ καὶ τοῦ κακοῦ, περὶ τοῦ καλοῦ καὶ τοῦ αἰσχροῦ, περὶ τοῦ δικαίου καὶ τοῦ ἀδίκου, περὶ τοῦ ψένδους καὶ τῆς ἀληθείας, περὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς ἀρετῆς, εἰ διδακτόν. Vnde descripserit Henricus Stephanus hasce *quinque* διαλέξεις, nullum exstat indicium. Subiecit illis Lysidis, Theanus, Melissae & Myiae *epistolas* graecas.

In *Adnotationibus*, quae post textum DIOGENIS graecum, & pythagoricorum *fragmenta* p. 1–39. locum inuenerunt, id Henricus Stephanus potissimum agit, vt diuersas quorumdam locorum lectiones, praeter multas, quae in textum receptae fuerunt, adferat, deque nonnullis etiam disserat, nonnunquam etiam de quorumdam locorum interpretatione exponat.

Latina *versio*, quae nouo paginarum numero inchoatur, ipsa illa est, quae ab Ambrosio, camaldulensi confecta, & a Benedicto Brugnolo recognita dicitur. Henrici autem Stephani editio, id praecipuum habet, quod Ambrosii versio, a multis, non tamen omnibus mendis vindicata fuerit. Caussam, quod priores, versionis latinae editiones, tot infectae sint mendis, in eo ponit, quod ii, qui primam editionem excuderant, ipsoque auctoris autographo, aut exemplari, ab eo misso, vsi fuerant, compendiarias quasdam notas, quaedam etiam vocabula, integre & absque compendio scripta, legere non potuerint. *Tanti*, inquit, *est exemplaria typographis* ἐυανάγνωστα *mittere. Exemplo vel sola particula* Quamquam *esse poterit, quae posita fuerit alicubi pro* Quamque, *alicubi pro* Quomodo, *alicubi pro alia particula. Memini & Jon quodam in loco haberi pro* Ideo, *quod accidit ex compendio, quo vocu-*

lam

Digitized by Google

lam iſtam nonnulli ſcribunt, nimirum cum i *&* o *titulum habente. Quamuis porro talia menda, non ab interprete ſed a male exemplar eius legentibus (vti dixi) manaſſe manifeſtum eſſet, tantum abeſt tamen, vt ii qui multa ſe in hac interpretatione reſtituiſſe iactarunt, id praeſtiterint, vt ne haec ipſa quidem emendauerint.*

Fragmenta pythagoricorum p. 389–412. conſpicua, Gulielmo Cantero interprete, in latinum ſermonem conuerſa, ſed neque Anonymi διαλέξεις, neque quas ſupra memorauimus *epiſtolae*, ſimul translatae fuerunt. Edidit autem illas recentioribus temporibus, *cum verſione* latina *& notis* Jo. North, & reliquis pythagoricorum *fragmentis* Thom. Gale in *opusculis mythologicis, phyſicis & ethicis, Amſtelaed.* 1688. in 8. form. mai. p. 657 ſqq. *Feminarum* pythagoricarum *epiſtolae*, leguntur etiam *cum verſione* latina, in *Mulierum* graecarum, *quae oratione proſa vſae ſunt fragmentis*, quae curauit Jo. Chriſtian. Wolfius *Londini* (Hamburg.) 1739. in 4. p. 130 ſqq. & p. 224 ſqq. Conf. Jo. Chriſt. Wolfii *Adnotat.* 237. p. 131. vbi plures collectiones nominantur, quibus iſtae *epiſtolae* inſertae fuerunt. Res, quae ad iſtarum *feminarum* vitas ſpectant, expoſitae fuerunt, in Jo. Chriſt. Wolfii *Catalogo foeminarum ſapientia, artibus ſcriptiſue, apud* Graecos, Romanos, *aliasque gentes olim illuſtrium*, qui libro citato adiicitur, p. 399 ſqq. p. 402 ſqq. & p. 646 ſqq. Vid. etiam Aegidii Menagii *Hiſtoria mulierum philoſopharum* Tom. II. DIOGENIS LAERTII edit. *Amſtelod.* 1692. in 4. p 500. 501. 505. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. graeca* L. II. Cap. XIII. p. 527 ſq. De pythagoricorum *fragmentis* idem Fabricius l. cit. p. 529 ſqq.

Index H. Stephani, in DIOGENIS *libros*, cum ipſo volumine p. 432. finitur. Repetita fuit Henrici Stephani editio, ab ipſo Henrico an. 1594. in 8. quae priore melior cenſeri poterit, quod nonſolum cum ipſius *caſtigationibus & recognitionis* brugnolianae *re-*

Digitized by Google

censione, pythagoricorumque *fragmentis*, *& versione* Ambrosii, *e regione posita*, in lucem prodierit, sed potissimum, quod Isaaci Casauboni, in DIOGENEM LAERTIVM, *notas*, quas primum adscito Isaaci Hortiboni nomine, seperatim, *Morgiis* 1583. in 8. euulgauerat, *hac secunda editione auctiores*, *& emendatiores* adiunctas habeat. Conf. de vtraque editione Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. gr.* L. IIII. Cap. XVIIII. p. 605 sqq. Prior quam descripsimus editio, *Lutetiae*, ab Henrico Stephano vulgata dicitur, in *Catalogo editionum* LAERTII, qui editioni *Amstelodamensi* praefigitur.

XXXI.

Λαερτιου Διογενους περι Βιων δογματων και αποφθεγματων των εν φιλοσοφια εὐοκιμησαντων Βιβλια ι΄ LAERTII DIOGENIS de Vitis Dogmatis & Apophthegmatis Eorum qui in philosophia clarueruntˌ Libri X. Thoma Aldobrandino Interprete, cum Annotationibus eiusdem. Quibus accesserunt Annotationes H. Stephani, & vtriusque Casauboni, cum vberrimis Aegidii Menagii Obseruationibus. *Londini, Impensis Octauiani Pulleyn, ad insigne Rosae in Coemiterio Paulino; Typis Tho. Ratcliffe, MDCLXIV.* (1664) in fol. pp. 303. 3. 151. 283. 18. 26. exceptis praemissis, indicibus, & iis, quae passim inserta sunt, foliis 29.

Et haec editio, raro hodie conspicitur. Illius ipse suscepit curam, Octauiani Pulleyni hortatione & precibus permotus Joannes Pearson, regi Carolo II. cui opus dicauit, a sacris. *Epistolae* dedicatoriae, aliam, ad Aegidium Menagium subiecit *epistolam*; Textus DIOGENIS LAERTII graecus, cum Thomae

Digitized by Google

mae Aldobrandini *versione* latina, e regione posita, ad editionem *romanam, apud Aloysium Zanettum* 1594. in fol. quam mortuo iam Thoma Aldobrandino, patruelis eius Petrus Aldobrandinus, romanae Ecclesiae Cardinalis, curauerat, exscriptus est. Illi subiicitur

1) Olympiodori, Aegyptii, alexandrini, qui sub Theodosio II. vixisse creditur, *vita* Platonis, ex eius *praelectionum*, *in* Alcibiadem, hactenus ineditarum, *praxi* siue *lectione prima* excerpta, & e graeco conversa, atque *adnotatiunculis aliquot obiter illustrata* a Jacobo Windet, Medicinae Doctore, Anglo.

2) Hieronymi Frobenii, & Nicolai Episcopii *epistola*, *ad studiosos*, quae editioni *basileensi* graecae 1533. in 4. praemissa est.

3) Henrici Stephani *Adnotationes in* DIOGENEM LAERTIVM, praemissis ex editione 1570. in 8. *epistolis*, ad Joan. Cratonem, & *lectorem*, subiectisque ex editione 1594. *epistolis*, ad Wolfgang. Zundelinum, & *lectionis* DIOGENIS LAERTII *studiosos*.

4) Isaaci Casauboni *Notae*, *ad* DIOGENEM LAERTIVM ex Henrici Stephani *editione auctiore & emendatiore*, cum Casauboni *epistola* dedicatoria, ad Arnaldum *patrem*, & succincta DIOGENIS LAERTII *vita*.

5) Thomae Aldobrandini *in* DIOGENEM LAERTIVM *Annotationes*. Praemittitur illis Petri Aldobrandini, ad Philippum Hispaniarum Principem *epistola* dedicatoria, scripta Romae *X. Cal. Maii* 1594. Praefatiuncula *ad Lectorem*, & Antonii Quaerengi ad Clement. IIX. Pont. Max. *carmen* versibus hexametris. *Adnotationes* ad librum vsque decimum, in quem nullae exstant, pertingunt.

6) Aegidii Menagii *in* DIOGENEM LAERTIVM *observationes*, *& emendationes*. Conscripserat Aegidius Menagius, in vrbe parisiensi, *ingentes in* DIOGE-

Digitized by Google

NEM. LAERTIVM *commentarios*, in quibus veterum philosophorum sectas omnes, explanare, eorumque vitas illustrare constituerat. Sed cum in grauissimum eumque diuturnum morbum incidisset, medicorum iussu; natale solum vrbem andegauensem (*Angers*) repetere, & ad mansuetiora studia, se conuertere coactus, *commentarios* illos philosophicos sepositi, quorum postea maxima pars, amanuensis incuria & negligentia periit. Cum autem in Anglia rumor percrebuisset, de *commentariis amplissimis*, a Menagio, in DIOGENEM LAERTIVM conscriptis, Octauianus Pulleynus, repetitis litteris illum commouit, vt manum denuo admoueret telae, quam texere coeperat, & *obseruationes*, *& emendationes in* DIOGENEM LAERTIVM scriberet, quae, vt in Anglia emendate ederentur, ipsius sumtu *Parisiis apud Eadmundum Martinum* typis 1662. in 8. exscriptae, & ad Joannem Pearsonium missae fuerunt. Conf. Niceron *Memoires* Tom. I. p. 323. Contulit hac occasione, Menagius ipse, DIOGENEM LAERTIVM cum tribus codicibus mss. Bibliothecae regiae, & variis lectionibus vsus est, quas e codicibus romano, & florentino, descripserat in itinere italico, & ad Menagium miserat Emericus Bigotius, cui postea Menagius *Obseruationes* suas dicauit. Quamuis istae Menagii *obseruationes* doctissimae, communi doctorum virorum adplausu exceptae fuerint, vnus tamen exstitit Jacobus Gronouius, cui in *Adnotat.* in Aul. Gellii *Noct. attic.* praefat. p. 8. edit. *Lugd. Bat.* 1706. in 4. *longae ac taediosae* visae sunt.

7) *In* DIOGENEM LAERTIVM *de vitis philosophorum &c. & ἐκδοσιν* aldobrandinianam, Merici Casauboni Is. F. *notae & emendationes.*

8) *Index* qui *nomina philosophorum* ob oculos ponit.

9) *Index rerum, quae in* DIOGENIS *opere continentur.*

10) *Index auctorum, nec non operum illorum, quorum mentio fit, apud* DIOGENEM LAERTIVM, graecus.

11) *In-*

Digitized by Google

11) *Index auctorum, qui in doctissimis observationibus* Aegidii Menagii, *laudantur, notantur, illustrantur, emendantur*, quem Gul. Kings, suadente Octauiano Pulleyno confecit.

Inter editiones, haec olim principem obtinuit locum, sed deturbata quasi illo gradu fuit, ab editione omnium optima, & splendidissima, quae hoc in lucem exiit titulo, & iam nostra aetate rarescere coepit: DIOGENIS LAERTII *de Vitis, Dogmatibus & Apophthegmatibus Clarorum Philosophorum Libri X.* Graece *& Latine. Cum subiunctis integris Annotationibus* Is. Casauboni, Th. Aldobrandini *&* Mer. Casauboni. Latinam Ambrosii *versionem compleuit & emendauit* Marcus Meibomius. *Seorsum excusas* Aeg. Menagii *in* DIOGENEM *Observationes auctiores habet Volumen II. vt & eiusdem Syntagma de mulieribus philosophis; &* Joachimi Kühnii *ad* DIOGENEM *notas. Additae denique sunt priorum editionum Praefationes, & Indices locupletissimi Amstelaedami apud Henricum Wetstenium MDCVIIIC.* (1692) II. Tom. in 4. form. maior. Vt ornatior prodiret haec DIOGENIS splendidissima editio, imagines philosophorum, quorum mentionem facit DIOGENES, aere haud inelegante expressae, illi insertae fuerunt. Recensio vid. in *Actis eruditorum* lipsi. ann. 1692. p. 315 sqq. in Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. graec.* l. cit. p. 608. Conf. Jo. Fabricii *Historia Biblioth.* fabric. Tom. III. p. 444 seqq. Jacob. Bruckeri *Historia critica philosophiae* Tom. II. p. 622 sqq. die *Merkwürdigkeiten der königl. Bibliothek zu* Dresden Tom. II. p. 364 sqq.

De DIOGENE, quem a patria Laërte, Ciliciae oppido, LAERTII cognomen accepisse, & circa tempora Imperatoris Seueri, vixisse existimant viri docti, vid. praeter illa, quae Isaac. Casaubonus & Jo. Alb. Fabricius de illo scripserunt, Aegidii Menagii *Observatio ad* DIOGENEM LAERTIVM Tom. II. p. 1 sqq. edit. *amstelod.* Paull. Daniel. Longolii *praefatio,*

Digitized by Google

fatio, editioni LAERTII, quam *Curiae Nariscor.* 1739. in 8. form. maior. in vulgus edidit, praemissa.

Thomas Aldobrandini, vir, vt ab Aegidio Menagio vocatur, doctissimus, & linguae latinae peritissimus fuit, quare etiam accidit, vt eius versio DIOGENIS LAERTII, satis adcurata, prae ceteris, a viris doctis aestimari soleat, in primis cum illam ad fidem vetustissimorum codicum, & praecipue farnesiani, optimae notae, & mirae vetustatis diligenter emendauerit. Illum Seculo XVI. celebrem fuisse, extra omnem dubitationem positum est, sed quo tempore e vita decesserit, non constat. Anno quidem 1594. illum vixisse, cum Koenigio perhibet *lexici eruditorum* auctor Tom. I. col. 239. sed id falsum esse, ex eo patet, quod editio DIOGENIS LAERTII, illo iam dudum mortuo, anno 1594. a patruele eius Petro Aldobrandino, R. E. Cardinale, Episcopo sabinensi, & Archiepiscopo rauennate, de quo vid. Augustini Oldoini *Athenaeum* romanum p. 529 sqq. edita fuerit. Is sane in praefatiuncula ad lectorem LAERTII translationem, *triginta abhinc annis eoque amplius*, a patruo suo relictam esse scribit. Conf. Merici Casauboni *Notae in* DIOGEN. LAERT. p. I. edit. *londinens.* & Tom. II. p. 578. edit. *amstelod.* vbi inter alia ait: *Cum* Aldobrandinus *diu ante, quam haec* (versio, & adnotationes in LAERTIVM) *in lucem prodirent, viuere desiisset, sed & opus imperfectum reliquisse ex Annotationibus non perfectis appareat: quod aliquis inde colligat, excusari debere, si quid aliter quam debuit, & res ipsa postulabat, in opere posthumo reperiatur; & correcturum illum fuisse, si per mortem licuisset, nos hoc quidem libentissime admittimus, & longe ab eo animo absumus, & doctissimi viri meritis, versionis ipsius (si tamen ipsius) culpis obseruandis, quidquam detractum velimus. Non ideo tamen suspicioni nostrae loci minus relictum, fieri potuisse, vt in tot annorum spatio, illorum imperitia, quibus editio commissa, aliqua mutatio interueniret* &c.

Joan-

Digitized by Google

Joannes Pearſonius, Theologiae Doctor, Anglus, in oppido norfolcienſis comitatus, quod Anglorum lingua *Creake* dicitur, anno 1615 natus, & poſt varia, quae geſſit, munia eccleſiaſtica, epiſcopatui ceſtrienſi (*Cheſter*) anno 1672. praefectus fuit. Mortuus eſt anno 1681. aetatis anno LXXII. vid. Niceron *Memoires* Tom. XXXVIIII. p. 171 ſqq. qui illum hoc elogio ornauit: *C'étoit un des plus ſçavans hommes du parti des* Epiſcopaux *d'*Angleterre, *& il avoit joint à l'étude de l'hiſtoire eccleſiaſtique, qu'il poſſedoit parfaitement, une grande connoiſſance des langues & des antiquités payennes.* Conf. Guil. Nicols *de litteris inuentis* L. V. p. 161. vbi ſcripſit:

— — *valedixit mundo* Pearſonius *ingens*
Ille animata quidem Bibliotheca fuit.

XXXII.

Heptalogium VIRGILII *Salzburgenſis &c.* ex diuerſis paginis atque auctorum officinis congeſtum, cuius compendiaria & vniuerſaliſſima particio. in ſubdito effigiatur typo. in 4. folior. 107.

Auctor libri VIRGILIVS WELLENDORFER, ſalzburgenſis, artium magiſter, & theologiae baccalaureus, in academia lipſienſi, initio ſeculi XVI. vixit, & portentoſi ingenii homo, varios libros, inſolitis titulis inſignitos in lucem protruſit, qui omnes raro noſtra aetate occurrunt. Edidit praeter hoc *Heptalogium*, etiam *Trilogium*, *Decalogium*, *Moralogium*, *Oecologium*, *Polilogium*. *Valelogium*, *Eleutherologium*, *Encaeniologium*, *Phyſiologium* &c. *Heptalogium* litteris gothicis *impreſſum* eſt Lyptzk *per* Melchiorem Lotter. *Anno milleſimo quingenteſimo ſecundo* (1502). Vid.

Digitized by Google

Joan. Henr. Leich *Annal. typogr.* lipſ. p. 80. & Chriſt. Schoettgenii *Continuat. Biblioth.* fabric. *med. & infim. Latinit.* L. XX. p. 839. Dicauit librum auctor ſuis *ſtudioſis, & in maiori collegio* liptzenſis *gymnaſii commorantibus dominis ſtudentibus, atque diſcipulis*, qui ſaepius atque ſaepe ſuis illum defatigarunt adhortationibus, vt aliorum more, per dies aeſtiuos, caniculares, ſiue vacantiarum aliquot in vnum ſermologum ſiue compendiolum redigeret problemata artibus applicanda liberalibus, inſuper & quaedam iucunda, eorum quotidianis vſibus opportuna, ex diuerſorum auctorum editionibus compendioſe coaceruaret. Etſi quidem initio haeſitabundus in ſua officinula delitescebat, & diu ſilebundus, a prouincia ſcribendi abſtinebat, cum quorumdam acerrimam cenſorum emendationis collimaturam, & nonnullorum maleuolorum expaueſceret mordacitatem, ſuique ingenioli animaduerteret fragilitatem & paruitatem, hiſce tamen rogatibus compulſus, nonſolum fructuoſum *problematum* Ariſtotelis *librum* ad manus legendo accepit, verum etiam aliorum & antiquorum philoſophorum libros atque codices, imo venerandorum praeceptorum ſuorum ſcholae lipſienſis, collectoria, editiones, commentariolos oberrando curſimque perluſtrauit, & pro ſuarum virium imbecillitate, inſtar apeculariorum, more denique formicularum, hoc *Heptalogium* conflauit atque congeſſit. In *ſeptem* illud diuiſum eſt *ſermones*, quorum

I. vt auctoris verbis vtamur, oſtendit *ſeptenarii numeri dignitatem atque potentiam, per ſepties ſeptem in diuerſis facultatibus applicata exempla.* Sic ſeptem *in orthographia* ſemiuocales, & 7. vocales; *in etymologia* 7. partes orationis, omiſſo aduerbio, quod ad interiectionem pertinere ſcribit, 7. verba defectiua; *in diaſyntbetica* 7. conſtructionis ſpecies; *in proſodia* 7. ſpecies allegoriae, 7. pedum genera; *in veteri logica* 7. proprietates; *in noua logica* 7. fallacias extra dictionem, 7. locos dialecticos, 7. conſiderationes ex

parte

Digitized by Google

parte eligentis: *in rhetorica* 7. ſpecies generum cauſſarum, 7. partes orationis oratoriae; *in arithmetica* 7. nomina regulae computandi; *in muſica* 7. litteras, a quibus clauium ordo initium ſumit, 7. *in muſica organica* 7. chordas principaliores, & 7. partes harmoniae; *in aſtronomia* 7. planetas; *in geometria* 7. climata; *in philoſophia naturali* 7. colorum nomina, 7. ſaporum nomina, 7. metallorum genera, 7. in genitura hominis mutationes; *in philoſophia morali* 7. documenta ſeruanda inter virum & vxorem, 7. commutationes inuoluntarias occultas, 7 modos voluntariarum commutationum, 7. circumſtantias moralium actuum; *in politica* 7. principatus; *in poetica* 7. poetices inſtrumenta; *in hiſtoricorum facultate* 7. nomina ſapientum graecorum, 7. nomina regum romanorum, 7. nomina collium vrbis; *in medicorum facultate* 7. genera morborum ex humore ſuperfluo, 7. cellas matricis; *in iurisperitorum facultate* 7. horas canonicas ſacerdotum, 7 modos probationum, 7. poenarum genera; *in theologorum facultate* 7. eccleſiae ſacramenta, 7. eccleſiae ordines ſacros, 7. dona Spiritus ſancti, 7. nomina fratrum & martyrum, 7. nomina dormientium, 7. ſpecies luxuriae; *Artes mechanicas ſeptem*, lanificium, armaturam, agriculturam, venationem, nauigationem, medicinam, & theatricam; *Septem artes inutiles & prohibitas* Pyromantiam, aeromantiam, hydromantiam, geomantiam, chiromantiam, necromantiam, & nigromantiam; *Septem in chiromantia*, manus quantitatem, qualitatem, colorem, tactum, neruos & venas, pilos, planetarum characteres, & lineas; *Septem in arte maleficarum*; *ſeptem* tandem *artes liberales* inueniri, multis verbis, multisque adlatis exemplis, & auctorum teſtimoniis pronunciat. Subiecit primo ſermoni, *quaeſtionem*, quam ipſe *impertinentem* vocat: *vtrum ſeptenarius mendacii potius, quam veritatis dicatur numerus.* Prius multis argumentis refellit.

II. Sermo *ſeptem problemata, ſeptem artibus adcommodata*

Digitized by Google

modata liberalibus. Cum descriptionibus & diuisionibus problematum, aliis plerisque cum annexis, ob oculos ponit

III. *Septem laudatiuncula artium liberalium, cum generalissimis earundem descriptionibus, cum multis istarum artium appendicijs.*

IIII. *Septem auctoritates* in medium profert *septem rationes, septemque argumenta, quibus topice saltem, animae humanae declaratur immortalitas.*

In V. occurrunt *septem considerationes generalissimae, circa astronomiam & astrologiam occurrentes, septem cum argumentis.*

VI. *Septem capitulis,* exponit Aristotelis, *maximi philosophi, originem, vitam, studium, fortunam, corporis formam, famam atque mortem, cum septem argumentis, & duabus quaestionibus* 1) *vtrum* Socrates, Plato, Aristoteles, *ac consimiles philosophi, vnius dei cultores, bonis moribus instituti, ante* Christi *natiuitatem defuncti, in naturali disciplina, cum lege* mosaica *vitam agere non fuerunt astricti, inferos poterant vitare, & ad superos vt saluati transferri.* Cum auctor id adfirmauerit, illius argumenta, haec integra adscribemus.

Conclusio prima.

Quia philosophi vnius dei cultores, veram hominum felicitatem, in contemplatione primi entis eleuate cognouerunt. Ideo determinatam reuerentiam castumque amorem cum firma inhesione ipsi primo enti voluntarie exhibuerunt.

Correlarium primum.

Quamuis huiusmodi philosophi bonis moribus instituti. defuncti ante Christi *natiuitatem poterant nihilominus tunc in nature lege per reuelationem cognoscere primum ens & eius veram sempiternitatem.*

Correlarium secundum.

Philosophi & gentes quae lege praepucii & mosaica *vitam agere non erant obligati. sibi ipsis fuerunt lex.*

Digitized by Google

lex. & opus legis ſcriptum in cordibus eorum apte oſtenderunt.

Concluſio ſecunda.

Multae virtuōſae gentes in diſciplina naturali. per lumen naturae ita bene ad ſtatum ſalutis ſe diſponere potuerunt. Sicut filii Iſrael *ſingularem recipientes a Deo legem, ſecundum quam agere vitam ſoli obligati fuerunt.*

Correlarium primum.

Ex quo noſtri philoſophi tantam & rerum naturalium & bonorum morum habuerunt cognitionem creditur hanc eos recepiſſe ſcientiam per diuini luminis impreſſionem & illuſtrationem.

Correlarium ſecundum.

Hoc lumen diuinitus impreſſum philoſophis quod lex naturae dicitur. Nulla poterat delere concupiſcentia. & iniquitas. praecipue quia ipſi fuerunt ſuarum paſſionum moderatores. in eisque relucebat ſumma agendi rationis perſpicacitas.

Concluſio tertia.

Homines ſecundum intellectum & rationem operantes. & eius curam habentes. Deo amiciſſimi dicuntur. quia ſecundum hanc operationem deiformes affirmantur. &

Correlarium primum.

Ex quo Socrates. Plato. Ariſtoteles *maxime operati ſunt ſecundum intellectum vnde & amici Dei ſunt conſtituti potuerunt ſic euadere inferos. & inſtar aliorum amicorum Dei conſequi optimam felicitatem vt veraciter beati.*

Correlarium finale

Moderamen eſt totius poſitionis.

Vid. quae contra eiusmodi argumenta protulit Gisbert. Voëtius in Diſſertationibus tribus *de gentilismo & vocatione gentium* P. II. *Selectar diſputat. theologicar. Vltraiect.* 1655. in 4. p. 579 ſqq. Conf. *Analecta litteraria de libris rarioribus* p. 844 ſqq. vbi alios nomi-

Digitized by Google

nominauimus auctores, qui eamdem, cum VIRGILIO WELLENDORFER de salute philosophorum ethnicorum, libris scriptis defenderunt sententiam.

Quaestio 2) *impertinens attamen communis vtrum magistri artium, atque alii non graduati, libros componentes, ex se vel aliis scripturis comportantes, sua nomina his debeant praeponere propria?*

Sermo VII. ostendit *septem dubia, circa nomen magisterii obuiantia, septem paedagogorum defectus; septem praeceptorum conditiones, septem Studentum defectus, septem iuuenum proprietates, septem studiorum impedimenta, septem scolarium conditiones, cum multis atque variis accessoriis.* Capiti *de septem praeceptorum conditionibus* subiicitur *quaestio sub venerabili viro* Hinrico Greue de Gottingen *Artium magistro &c. & quodlibetario, in studio* Liptzensi *Anno M. CCCC. XCVII. determinata, atque mota, ad honorem magistrorum principaliter effigiata: vtrum artium liberalium professor docens actualiter triuium, ab onere tutelae & curae excusatus, & priuilegiatus, sit dignitate maior milite, Theologiae, Jurium, & Medicinae licentiato. Non obstante eo, quod adsumto magisterio realiter non est immutatus.* Sermoni VII. omnique *Heptalogio*, eiusmodi *oblatione: & conclusione* Auctor finem imposuit: *Accipite hoc accipite iocundissimi discipuli.* heptalogium *chartulariorum opera. eneoque officio taliter vt cernitis effigiatum. exiguum mee fatigationis effectum. Insuper hoc munusculum a conuentore. nomine vestro dedicatum in sue humanitatis & familiaritatis atque dilectionis erga vos singulare testimonium. benigno atque grato excipiatis animo. Juxta illud* Catonis. Exiguum munus cum dat tibi pauper amicus. Accipito placide & plene laudare memento. *In quo siquid minus officiose atque scolastice positum inueneritis, ignorantie potius quam presumptuositati ascribite. Que vero philozophice. catholice congesta videbitis in deum omnium bonorum largitorem referatis. Cui cum allegatis auctoribus*

Digitized by Google

ribus innumeras graciarum actiones. ab his profecto totius heptalogii *emanauit congeſtio. deuotiſſime agatis. Veſtris denique chariſſimis preceptoribus cuiuscunque dignitatis conditionis meriti & promotionis extiterint. maioris Collegii academie* Liptzenſis. *collegiatis dominis patribus doctoribus & promotoribus vtique venerandis. veſtrum Conuentorem plurimum commendate. Et quatenus ipſi fraterne correctionis lima ſuperflua huius* heptalogii *reſecent. neglecta ſuppleant. & erronea concellando elidant. inſtantiſſime rogate. Quocirca* heptalogium *taliter a ſordibus purgatum nouiciis & famoſiſſimi eorum collegii inquilinis vtile & delectabile fiat. tam nobilium pueris quam patriciorum* Liptzenſis *oppidi chariſſimis filiolis. Ymo plebeis & quocunque ſanguine natis. pro ſtudii aliquali incremento conducere valeat. deinde fiducialiter & ſuppliciter veniam ſuper neglectis maleque poſitis ab omnibus lectoribus* VIRGILIVS *ipſe precatur. Quoniam difficulter hominis natura errorem euadere poteſt. ſecus de eternis. vt* nono metaphiſice *demonſtratur. Finaliter ad collaudandum deum Lectores adhortatur. Sine quo nulla natura ſubſtitit. & nulla doctrina inſtruit. nullius denique rei vſus expedit. Ipſe igitur vbi nobis omnia ſunt ſecura queratur. Ille etiam vbi ſunt nobis omnia certa intueatur. Et demum iſte vbi ſunt omnia recta diligatur. Huic propterea. laus benedictio. ſit honor & gloria Amen. In ſeculorum ſecula dei aſſit nobis omnibus ſolamen.* Vltimum in libro occupant locum *Correctorium* Heptalogii *& repertorium.* VIRGILIVM WELLENDORFFER anno adhuc 1514. in viuis fuiſſe, teſtatur Anonymus, qui *Scriptorum inſignium, qui in celeberrimis, praeſertim* lipſienſi, wittenbergenſi, francfordiana ad Oderam *Academiis, a fundatione ipſarum, vsque annum 1515. floruerunt*, conſcripſit *Centuriam*, quam Joachim. Joan. Maderus *Helmeſtad.* 1660. in 4. edidit, num. LXI. vbi reliqua VIRGILII ſcripta nominat. Conf. Joſ. Simleri *Bibliotheca* p. 680.

XXXIII.

Digitized by Google

XXXIII.

In hoc opuſculo tractatur de his quibus vtimur in menſa De naturis rerum videlicet cibi & potus De queſtionibus menſalibus variis ac iucundis quibus in menſa recreamur deque conditionibus eorum quibus in menſa conuerſamur. Philoſophice hilariterque proceditur. Quare hoc opus merito appellatur Menſa Philoſophica. in 4. folior. 52.

Nondum inter viros doctos conuenit, cuinam auctori, iſta *menſa philoſophica* ſit tribuenda. MICHAELI SCOTO, dunelmenſi, Anglo, Mathematico celeberrimo, & philoſopho, qui in magiae ſuſpicionem venerat, illam tribuunt Joan. Albert. Fabricius in *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. XII. p. 233. Joan. Godofred. Olearius, in *epiſtola*, quam teſte Vincentio Placcio in *Theatr. Anonymor.* p 322. ſcripſit d. XIII. Mart. 1680. Hala Saxonum, & ipſe Vincent. Placcius l. cit. Jacob. Boileau in *Hiſtoria flagellantium* p. 229. Carolus Du Fresne Dominus Du Cange in *Gloſſar. med. & infim. Latinit.* Tom. III. col. 1529. Exſtant etiam nonnullae editiones in primis recentiores, e. g. *argentoratenſis* 1602. in 12. lipſienſis 1603. in 8. & francofurtana 1608. in 12. quae MICHAELIS SCOTI nomen in fronte gerunt, vid. Niceron *Memoires* Tom. XV. p. 101. Miramur autem, quod neque P. Baile in *Dictionaire* Tom. III. p. 2558. neque Joannes Godofredus Schmutzerus inter libros, a MICHAELE SCOTO editos, quorum indicem exhibet, in *diſſertatiuncula de* MICHAELE SCOTO, *veneficii iniuſte damnato, Lipſ.* 1739. in 4. iſtius libri, nullam prorſus fecerit mentionem.

Sed adſenſum iis, ſupra memoratis, ſuum, praeter alios denegant Bernardus de la Monnoye in *Menagianis* Tom. IIII. p. 50. edit. *Amſterd.* 1716. in 12. & Chriſt. Schoettgenius in *Continuat. Biblioth.* fabric. *med.*

Digitized by Google

med. & infim. Latinit. L. XVIIII. p. 622. vbi *Menſam philoſophicam*, ab THEOBALDO ANGVILBERTO, Hiberno, artium, & medicinae Doctore, euulgatum eſſe ſcribunt, & editionem *pariſienſem apud Franc. Regnault.* 1507. in 8. & 1517. in 8. ſub eius nomine in lucem exiiſſe confirmant. Conf. Vincent. Placcii *Theatr. anonymor.* l. cit. Michael. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. II. p. 182. Tom. I. *Annal. typogr.* p. 720. adducitur editio, hoc inſignita titulo: *Menſa philoſophica edente* THEOBALDO ANGVILBERTO Hybernien. *Artium & Medicine Doctore: Venundatur* Pariſiis *a* Johanne Petit *ſub interſignio lilii aurei;* Parriſii *impreſſ. anno ab orbe redempto quingenteſimo ſupra milleſimum* (1500) *pridie Idus Apriles.* in 12.

Editio, quam ad manus habemus, nullum auctoris nomen praefixum habet, & litteris gothicis impreſſa, in libris rarioribus collocari meretur. Tituli verbis, quae adtulimus, ſubiicitur Mariae virginis imago, lunae falcatae inſiſtentis, dextraque paruulum Jeſum geſtantis, ligno inciſa. Libro, qui in quatuor diſpeſcitur partes, praemittitur *Tabula titulorum*, & *probemium*. Epiſtola autem dedicatoria, e qua particulam Bernardus de la Monnoye in *Menagiauis* protulit l. cit. in noſtra editione non exſtat. In *probemio* memorato, auctor de ſuo opere hac ratione diſſerit: *Videtur omnino expediens vt ſermo menſalis vel ſit de natura rerum quibus veſcimur & potamus. vel de queſtionibus menſalibus quibus in menſa exercitamur vel de his & illorum moribus & conditionibus, quibus in menſa ſociamur. vel de bis iocis & ſolaciis honeſtis quibus in menſa recreamur. Ideo preſens opuſculum* menſam philoſophicam *intitulare decreui. & in* quattuor tractatus *partiales diſtinxi.* Primus *erit de harum rerum natura, quas per modum cibi vel potus in menſa ſumimus.* Secundus *erit de natura & moribus eorum cum quibus in menſa ſumus, vt in verbis menſe eorum moribus honeſte & vtiliter conformemur.* Tercius *de queſtionibus*

Digitized by Google

stionibus mensalibus, quibus in mensa philosophice exercitamur. Quartus *de honestis iocis & solaciis quibus in mensa hilariter iocundamur.* In editionis calce haec leguntur verba: *Presens liber,* (*quem* mensam philosophicam *vocant*) *vnicuique perutilis compendiose pertractans. in primis quid in conuiuiis pro cibis & potibus sumendum est. deinde qui sermones in illis secundum exigentiam personarum habendi sunt & que questiones discutiende que insuper facecie siue ioci interserendi feliciter explicit. Impressus* Colonie *apud predicatores. Per me* Cornelium de Zyryckzee. *alme vniuersitatis* Colonien. *suppositum Anno salutis nostre M. CCCCC. VIII.* (1508) *Mensis vero Martii die XVII.* Circumfertur & alius liber seculo XV. impressus, qui inscribitur *Mensa philosophica & Responsorium curiosorum.* In folio litteris gothicis fol. 132. impressus est & in fine haec refert verba: *Explicit tractatus mense philosophice & Responsorii Curiosorum.* Lubek *impressus Anno Dni M. CCCC. LXXVI.* (1476). Auctor illius CONRADVS *de Media ciuitate* siue *halberstadiensis* Ordinis Praedicatorum monachus est, qui seculo XIIII. exeunte & initio seculi XV. vixisse dicitur. Opus ab illo, quod descripsimus, plane esse diuersum, haec, quemlibet, auctoris verba, docere poterunt, quae leguntur in *prologo: Presens opusculum quod de variis, & curiosis questionibus, ex diuersis breuiter compilaui,* Responsorium Curiosorum *nominaui. Quia breues in eo responsiones ad huiusmodi quaestiones ordinaui, sicut ex auctoritatibus autenticis melius & aptius potui inuenire. Et istum librum in* quatuor *libros partiales distinxi.* Primus *est de corporibus superceleſtibus, siue elementis simplicibus & aliquibus mixtis scilicet mineralibus & vegetabilibus.* Secundus *est de animalibus in generali & eorum membris & partibus.* Tertius *de homine in speciali.* Quartus *de animalibus in speciali* &c. Prae ceteris de CONRADO halberstadiensi, (ex quo vno, nonnulli, duos vel tres faciunt), quem Hippolyt. Maraccius P. I. *Biblio-*

Digitized by Google

bliothec. marianae p. 293. *Theologum praestantissimum & in diuinis scripturis vsque adeo eruditum* adpellat, *vt vniuersum V. ac N. Testamentum memoria teneret*, legi merentur Jacob. Echardi *Scriptores ord. Praedicator.* Tom. I. p. 466 sqq. 610. 632. Tom. II. p. 820. Casimir. Oudini *Commentar. de Scriptor. & scriptis eccles.* Tom. III. col. 1023 sqq. Jo. Andr. Schmidii *Dissertatio de Triumuiris* halberstadiensibus Clemente II. *Pont.* rom. Joanne Semeca *Praeposito maiore* & Conrado de Halberstad, *Ordin.* Domin. *Helmstad.* 1715. in 4. Jo. Henr. a Seelen *Selecta litteraria* p. 589 sqq. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinitat.* L. III. p. 1158 sqq.

XXXIIII.

Scala celi. in fol. form. minor. folior. 168.

Omni titulo codex oppido rarus, charactere litterarum gothico exaratus, destituitur. Nomen auctoris, in *prologo* inuenitur, qui hac ratione inchoatur. *Incipit Prologus in* Scala celi. *Venerabili ac carissimo in* Xpr. *patri* Hugoni de coluberiis *sancte* aquensis *ecclesie preposito.* Frater JOHANNES JVNIOR *ordinis fratrum predicatorum filius vester humilis seipsum cum recommendatione humili & deuota.* Integrum prologum adtulit Joannes Henricus a Seelen in *Selectis litterariis Lubecae* 1726. in 8. p. 586 sqq. In adducendo auctoris nomine, scriptores, qui huius libri fecerunt mentionem, mirifice discrepant. Josias Simlerus in *Bibliotheca* p. 357. Antonius Possevinus in *Apparat. sacr.* Tom. II. p. 161. Mich. Maittaire in *Annal. typogr.* Tom. I. p. 414. illum JOANNEM COLVMBERIVM nominant, sed sine dubio errorem admiserunt, qui ex verbis *prologi* initialibus, haud intellectis, originem duxit. Pellegrino Antonio Orlandi,

Digitized by Google

in *origine e progressi della stampa e notizie delle Opere stampate da 1457. fino al 1500.* p. 177. Lucas Waddingus, de *Scriptor. ordinis Minorum* p. 140. Henricus Wharton in *Appendice ad* Guilielmi Caue *Histor. litterar. scriptor. ecclesiasticor.* p. 73. Casimir. Oudinus Tom. III. *Commentar. de Scriptor. & scriptis eccles.* col. 2226. Christianus Schoettgenius in *Continuat. Biblioth.* fabric. *med. & infim. Latinit.* L. XXI. p. 914. *Lexicon Eruditorum* Tom. IIII. col. 2110. *Scalam caeli* a FRANCISCO EXIMENEZ siue XIMENIO, gerundensi, Hispano, Episcopo elnensi, & Patriarcha hierosolymitano, qui circa annum 1400. vixisse dicitur, compositam esse, & editionem illius *Barcinone* 1501. prodiisse memorant. Sed forte JOANNIS JVNIORIS & FRANCISCI XIMENII *Scalae caeli*, opera sunt plane diuersa, quod aliis indagandum relinquimus. Veritati propius accedere videtur eorum sententia, qui cum Jacobo Quetif in *Scriptor. ordinis Praedicator.* Tom. I. p. 633. JOANNEM GOBIVM, ordinis Praedicatorum monachum, qui circa annum 1350. vixerit, & *Junior* dictus fuerit, vt distinguatur a *Seniore*, eodem nomine gauiso, qui circa annum 1314. mortuus est, *Scalae caeli* nominant auctorem. Conf. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. VIIII. p. 228. Jo. Henr. a Seelen *Selecta litteraria* l. cit. Omnium primam libri vocat editionem Michael Maittaire in *Annal. typogr.* Tom. I. p. 414. not. 2. quae teste Joanne Halleruord. in *Bibliotheca curiosa* p. 366. Valentino Ernesto Loeschero in *Stromateo* p. 242. & Jo. Henrico a Seelen l. cit. *Lubecae* anno 1476. in fol. folior. 242. euulgata dicitur. Conf. *Annal. typographic.* Tom. I. p. 363. not. 1. Typographus quidem isti editioni nomen suum non adposuit, sed Pellegrino Anton. Orlandi l. cit. p. 433. Michael Maittaire l. cit. p. 363. & Jo. Henr. a Seelen l. cit. p. 589. opus a Luca Brandis de Schas excusum esse perhibent. Ex accurata istius operis recensione, quam Jo. Henr. a Seelen

&

Digitized by Google

& Michael Maittaire ll. citt. exhibuerunt, illos etiam errare patet, qui cum Cornelio a Beughem in *incunabulis typograph.* p. 164. Pellegr. Anton. Orlandi l. cit. p. 177. & Jacobo Quetif l. cit. p. 164. editionem *lubecenſem* ad annum 1477. reiiciunt.

Editio, quae manibus noſtris verſatur, adlata fuit a Joſia Simlero, Antonio Poſſeuino, & Michael. Maittaire ll. citt. Eius in fine, haec typographi leguntur verba: *Anno milleſimo quadringenteſimo octuageſimo* (1480) *Liber iſte vocatus* Scala celi. Vlme *impreſſus per* Johannem Zainer *Explicit feliciter.* Quae Jo. Henrici a Seelen de hoc opere fuerit ſententia, haec eius verba p. 589. lectores docere poterunt: *Pertractantur in hoc ſummae barbariei monumento, ſeria litterarum, varia argumenta ſacra & moralia* e. c. Abſtinentia, Accidia, Adulacio, Adulterium, *&c. ſed intermixtis tot ridiculis fabellis, quisquiliis ac ſuperſtitionibus, vt male rebus ſuis conſulat, qui huius* ſcalae *ope ad* caelum *velit adſcendere. Copioſiſſimum huius libri argumentum quo conſideratur virgo Dei genitrix* fol. 161. 179. (edit. lubecenſ. noſtrae fol. 110-123.) *Μαριολατρειαν oſtendit plane ſtupendam. Ob titulum* de Purgatorio *rectiſſime etiam notatur haec* ſcala *in perexim̃io* Nicolai Gryſenii *libro* Spegel des Antichriſtiſchen Paweſtdoms *fol. V. iii.* Vt hiſce viri clariſſimi dictis fides confirmetur, vnum alterumue florem, ex hoc roſario decerpemus. Fol. 37. ſub voce *Clericus*, haec occurrit narratio: *Legitur quod Clericus quidam pauper in domo militis hoſpitatus requiritur: quid* pariſius *dicidiſſet. Qui reſpondit* ſcientiam naturalem & diuinitatis. *Tunc dominus habens anſerem, & voluit quod clericus diuideret eum ſecundum* ſcientiam naturalem. *Qui renuens. ſed coactus ita diuiſit. caput dedit domino: collum & alas filiabus, pedes famulis, crura filiis. & ait* mihi clerico debetur eccleſia. *Tunc in craſtino retentus a domino Cum in prandio quinque haberet perdices voluit vt ſecundum* ſcientiam diuinitatis *eos diuideret.*

Digitized by Google

deret. Tunc clericus. in diuinitate Trinitas eſt principium. & ideo vobis & domine do vnam, & ſic eſtis tres. duabus filiabus vnam & ſic ſunt tres. duobus filiis vnam & ſic ſunt tres. Mihi ſoli duas & ſic ſumus tres. Fol. 71. ſub titulo *de cruce ſignatis*, haec legimus: *Quidam miles probiſſimus dum inuaſiſſet* Sarracenorum *aciem. ſic alloquutus eſt equum ſuum.* O bone Maurelle per multas dietas velociter portaſti me ad torneamenta ad haſtiludia ad guerras contra deum & etiam aduerſus infernum. modo emenda mihi. vt in hac die portes me ad paradiſum. & hoc in virtute crucis quae equitauit ſuper lignum. *Tunc equus ita virtuoſum impetum fecit ſuper inimicos* Xpi. *vt quot tangebat tot interficeret. finaliter equus interficitur cum dño ſuo. Et in morte eius viſa eſt columba lucida. in cuius capite anima illius militis portabatur ad eternam gloriam cum magna comitiua ſanctorum.* Ex his ſimilibusque *gradibus* haec *ſcala* componitur. Auctores, ex quibus illos contulit Joannes Junior, nominat in prologo: *Gradus huius* ſcale *ſunt diuerſe materie que ſecundum alphabeti ordinem contexuntur. que ne contemnantur a legentibus expono libros a quibus flores elegi ſecundum quod a Deo eſt mihi donatum. Ex* vitis Patrum Jero. *ex libris* dyalogorum Gregori. *ex* floribus Sanctorum Jaco. de Voragine. *ex* hyſtoriis ſcolaſticis. *ex* Speculo exemplorum Jacobi de Vitriaco. *ex* gloſa Jero. ſuper bibliam. *ex* ſumma Fratris Vincencii. *ex libro magno* de donis ſpiritus ſancti. *ex* mariali magno. *ex libro* de vita & perfectione fratrum predicatorum. *ex* alphabeto narrationum. *Verum aliqua interdum inſerui applicando ad mores vel recitando que ita conſcripta non reperi ſed in predicationibus aliorum audiui* &c.

Digitized by Google

XXXV.

Ortulus anime cum oraciunculis aliquibus superadditis, que tamen in prioribus libris non habentur. in 12. folior. 237. si *calendarium* praemissum folior. 20. non numeraueris.

Quinque editiones istius libri, *argentinensem* per Jo. Knoblauch 1509. in 12. *lugdunensem* impensis Joan. Koberger, arte & industria Joan. Clein 1516. in 8. *moguntinam* per Joan. Schieffer 1516. *lugdunensem* per Jo. Clein 1517. in 12. & *nurenbergensem* per Federicum Peypus 1519. in 8. a raritate commendauit Cl. Dauid Clement in *Bibliotheque historique & critique des livres qui sont difficiles à trouver* Tom. I. p. 349 sqq. quibus nostram tum ob antiquitatem, tum ob raritatem longe praeferendam esse censemus. Aetatem illius haec, in fine conspicua, verba produnt: *Elaboratum per prouidum vtrum Magistrum* Johannem Grüninger *in insigni ac libera ciuitate* Argentina. *Anno incarnationis 1. 500. Pridie vero kalendas februarii.* Hisce verbis typographi insigne rubro colore decoratum adponitur. Michael Maittaire nullam prorsus illius notitiam habuisse videtur. Litteris gothicis partim rubris, partim nigris, vt nostra aetate fasti, siue *calendaria* exscribi solent, variisque sanctorum, sanctarumque imaginibus, satis nitide ligno incisis, subinde ornata est. *Calendarium* praemissum, sequitur *registrum* libelli; Ipse libellus his inchoatur versiculis:

Ortulus anime.

Ortulus *exiguus varias vt sepe salubres*
Herbas producit, quas medicina probat
Ortulus *hic* anime (*quem lumine cernis aperto*)
Proferet en iustum quod pietatis opus.
Hinc flores anime: poteris decerpere sancte
Plures: & mentis pharmaca multa sacre.

Digitized by Google

Folio IIdo. incipit *officium, siue cursus beate* Marie *virginis. iuxta statutum* Vrbani *pape secundi. editum in concilio, apud* Clarum montem *celebrato.* Comparent quidem in hac etiam editione *quindecim orationes de passione dñi. reuelate sancte* Brigitte, *regine* Suecie, *deuotissime mulieri;* at vero non vltimum in illa occupant locum, sed sequitur illas, *Accessus altaris prout ponit magister* Wilhelmus (Durandus) *in* rationali diuinorum *parte IIII. Rubrica* celebraturus. qua particula libello imponitur finis. Cum isti libelli ad ritualia ecclesiastica pontificiorum pertinent, illos omnes inter se discrepare, & pro diuersitate locorum & paroeciarum, in quibus adhibebantur, diuersas eorum esse editiones suspicamur. Locus enim, quem Cl. Clement l. cit. p. 349. *orationibus* S. Brigittae, & quidem ex editione *lugdunensi* 1517. in 12. adtulit, in nostra editione hac ratione legitur: *Sequuntur nunc quindecim orationes de passione domini reuelate* S. Brigitte *regine* Suetie *deuotissime mulieri. Cum esset* Rome *recluſa apud sanctum* Paulum. *Cum enim diu scire desiderasset numerum vulnerum domini* Jhesu. *Quadam die apparauit ei dominus dicens.* Corporis mei vulnera tot erant. scilicet quinque millia quadringenta & octoginta Que si veneratione aliqua prosequi volueris XV. pater noster. & totidem Aue Maria. dicens quotidie per annum integrum. Sicque reuoluto anno. vnum quodque vulnus venerabiliter salutasti. *Eamque docuit sequentes orationes ad vnum quodque Pater noster vnam orationem adiiciens: quam quicunque per circulum anni vnius easdem orationes deuote frequentauerit de eius progenie XV. anime de purgatorio liberabuntur. & XV. iusti eiusdem progeniei in bono statu confirmabuntur. & XV. peccatores adhuc in mundo exsistentes conuertentur & cum hoc ipse consequitur gradum perfectionis & agnitionem & amaram contritionem omnium peccatorum* &c. Alterum locum, quem Cl. Clement excerpsit, in praesenti exemplari frustra quaesiuimus.

XXXVI.

Digitized by Google

XXXVI.

Oratio HERMOLAY BARBARI *laureati poete* ad federicum & maximilianum principes cum Gratulatione LVDOVICI BRVNI *laureati poete* de regis romanorum coronatione. in 4. folior. 14.

Cum Maximilianus, Friderici III. Imperatoris Romanorum princeps filius, & Auſtriae Archidux, communi Electorum & Principum Germaniae adſenſu, Rex eligeretur Romanorum, respublica Venetorum, gratulandi cauſſa, in aulam Imperatoris, quae tunc temporis Brugis in Belgio commorabatur, legatos miſit HERMOLAVM BARBARVM, & Dominicum Triviſanum. Primus ex iis HERMOLAVS BARBARVS hanc, cuius titulum adſcripſimus, *orationem* recitauit gratulatoriam, non quidem talem vti legitur, ſed in compendium quaſi redactam. Cauſſam iſtius rei in *epiſtola* ad Joannem Carandeletum, Romanorum Regis cancellarium, *orationi* in noſtra editione, ſubiecta, his ipſe verbis exponit: — *Tu docte vir obſecro ne mirere ſiqua legas in hoc libello que tunc dicta non fuerunt. nec enim addidi nunc ea. Sed detraxi tunc. admonitus ab aulicis extemplo quam limen attigi ne longus eſſem. ambicioſa reciderem. optima quaeque dicerem. patientiſſimis omnino ſed occupatiſſimis tamen principibus parcerem amputaui ſubito conſilio multa. quamquam quod poteſt conſilium fuiſſe ſi ſubitum. ea que tunc reſecui modo ſunt annexa. vtcunque veterum exemplo facimus quos* Fabio Quintiliano *teſte conſtat longe aliter ſcripſiſſe quam egiſſent. ---- Verum non dubito quin niſi amor te fallat. vt audiendo tunc. ita legendo non parum multa tibi diſplicitura ſint. Sed aequum queſo te nobis & cognitorem & iudicem prebe. conſideraṇs hoc & exiſtimans quod ſesquiboram antequam principes adirem ſignificatum nobis fuerit non duas orationes ſeorſum vt cogitabamus & parauerammus. ſed vnam duabus iunctim habem-*

habendam & recitandam esse. Plena difficultatis plena discriminis res erat. Tota mihi ratio dicendi puncto temporis immutanda fuit. orationis filum vniuersè retexui, atque vt breui rem complectar & cutis & facies ipsa prorsus interpolata est. &c. Perorauit *orationem* III. Non. Augusti, *ad* Brugas *siue* Gesoriacum anno 1486. non 1488. vt per typothetarum errorem in Niceroni *Memoires* Tom. XIIII. p. 25. legitur. Respondit ad illius *orationem*, nomine Imperatoris & Romanorum Regis, ex tempore, Antonius Abbas admontensis, quae *responsio extemporanea*, etiam, in hac, qua vtimur, editione locum inuenit. Idibus autem Augusti HERMOLAVS BARBARVS, vna cum collega suo Triuisano, a Rege Romanorum Maximiliano, Friderici Imperatoris iussu, Brugis, *eques auratus* creatus, *& aurea veste*, vt in nostra legitur editione, *donatus* fuit. Etiamsi haec *oratio*, plus vice simplici, exscripta, variisque collectionibus inserta fuit, raro tamen nostra aetate, seorsum excusae editiones in conspectum veniunt. Haec editio, curante Petro Danhüsser Nüenbergensi, *arcium magistro*, monente in primis *facundo doctoque vate* Joanne Beckenhaub, litteris gothicis impressa fuit. Annus & locus impressionis quidem non adscriptus est, sed id *Norimbergae* anno 1490. factum esse, nos docet subscriptio *epistolae*, qua Petrus Danhüsser opusculum *claro & nobili* Conrado Stepeck consecrauit. Forte eadem editio est, cuius Jo. Henricus Leichius mentionem fecit in *Supplemento* Maittairiano p. 146. Adiicitur editioni praeter *responsionem* Joannis Carandeleti ad memoratam HERMOLAI BARBARI *epistolam*,

De sereniſſimi ac inuictiſſimi Maximiliani *Archiducis* Austrie Burgundieque *&c.* Romanor. *Regis nuper electi coronatione* LVDOVICI BRVNI poete laureati *ac* iuris vtriusque doctoris *gratulatio*, quae ex 411. hexametris composita est, & huius editionis raritatem auget. Paucissimis enim virorum doctorum, illam videre

Digitized by Google

re contigit, quia, cauſſam ob quam neſcimus, a Marquardo Freherо, aliisque *rerum* germanicarum *ſcriptorum* collectoribus omiſſa fuit. Initium illius tale eſt:

Sancta per eternum petra fundata tonantem
Chriſticolum claſſis magnum protenſa per orbem
Tempus adeſt. iam leta deo da carmine grates
Huncque diem iubeas memores celebrare nepotes
Ornentur iam templa nouis hinc frondibus. inde
Floribus. aulæisque & gratos turis odores
Vndique pereipiant altaria. lumina micant
Cerea phoebeam *miſſamque per ethera lucem*
Atque ſacerdotes ſolennia ſancta canentes
Reliquias & ſacra ferant diuina per vrbes
Atque ſuburbanos populos. Comitentur ad vnum
Quisquis adeſt. puruſque puer mundeque puelle
Plebeiue chori cuncti gratentur ouantes
Nanque eſt ille dies memorabilis omne per euum
Quo generi humano Chriſtus *pietate ſuperna*
Contulit optanti quo nil potuiſſet haberi
Maius. quod recto delectum Maxmilianum
Judicio heroum iubet ante vocari
Nunc romanorum *ſacri tum deinde parentis*
Sufficere imperio. primamque hinc referre coronam
Inde aliam atque aliam patrum de more vetuſto
O deus omnipotens quis dignas reddere grates
Officii tanti valeat mortalis. habere
Ni capias. clemens pio reddere. ſume precamur
Sume igitur grates imo de pectore noſtras
Et pietate tua preſentia gaudia firma
Vt ſint perpetua. ac fatis illeſa futuris
Gaudeat vt Ceſar nato impoſuiſſe coronam
Imperii primum. natus ſumpſiſſe labores
Atque graues ſenio curas. quo publica poſſit
Auſpiciis res noſtra regi felicibus. atque
Sancta fides Chriſti *toto dominarier orbe.* &c.

Digitized by Google

Prima ſine dubio *orationis* editio eſt, quam Michael Maittaire anno 1486. prodiiſſe memorat in *Annal. typogr.* Tom. I. p. 476. Forte eadem eſt, quae in Thom. Hyde *Catalog. Biblioth.* bodleianae Tom. I. p. 63. *eodem anno Brugis* in 4. vulgata dicitur. Niceron l. cit. editionem adducit, ſine loci & temporis indicio in 4. emiſſam. Anno 1520. prodierunt *panegyrici veteres, & aliqui recentiores*, cum praefatione Beati Rhenani *Baſil. per Joan. Frobenium* in 4. pp. 569. vbi iſta *oratio* etiam locum inuenit, vid. Niceron l. cit. die *Merkwürdigk. der königl. Biblioth. zu* Dresden Tom. III. p. 403. In *orationibus clarorum hominum, vel honoris officiique cauſſa, ad Principes vel in funere de virtutibus eorum habitis, in Academia* veneta 1559. in 4. haec *oratio* etiam reperitur. Exſtat quoque in *orationibus gratulatoriis, in electione, coronatione, natiuitate, triumphis, nuptiis &c. pontificum, imperatorum, regum, principum &c. habitis, a legatis, viriſue ſuae aetatis doctiſſimis, Hanouiae* 1613. in 8. p. 85--94. Adiecta eſt Libro XII. *Epiſtolarum* Angeli Politiani, & quidem in editione *Operum* Politiani omnium *Venet.* an. 1498. in fol. vid. quae ſupra Tom. I. p. 669. diximus. Marquardus Freherus illam inſeruit Tom. II. *Scriptor. rer.* germanicar. p. 185 ſqq. edit. *Francof.* 1637. in fol. & in editione Burc. Gotth. Struuii *Argentorat.* 1717. p. 408 ſqq. Alias editiones vid. in Chriſtoph. Hendreich *Pandect.* brandeb. p. 410. De HERMOLAO BARBARO vid. quae ſupra Tom. I. p. 128. a nobis prolata fuerunt.

LVDOVICVS BRVNVS italus, e marchionatu montisferratenſi oriundus, vixit adhuc Joan. Trithemii aetate, anno circiter 1494. Mentionem illius facit in libro *de Scriptor. eccleſ.* Cap. CMLVI. p. 229. edit. Jo. Alb. Fabricii, & illum elogio *viri vndecunque doctiſſimi, vtriusque iuris profeſſoris & celeberrimi interpretis, poetae laureati, philoſophi, & oratoris inſignis, ac diuinarum ſcripturarum non ignari, ingenio excel-*

Digitized by Google

lentis, & diſerti eloquio, ornauit, qui vtroque genere ſcribendi, multa praeclara ediderit opuſcula, quorum vero nihil ad ſuas peruenerit manus, quam *carmen de coronatione* Maximiliani ſupra memoratum. Conf. Joſ. Simleri *Biblioth.* p. 461. Jo. Alb. Fabricii *Bibliotheca. med. & infim. Latinit.* L. XI. p. 854. Quod in aula Maximiliani Imperatoris diu vixerit, patet ex Jacobi Wimphelingi *epiſtola ad* Jacobum Spiegel, *nepotem, iureconſ.* in Marquardi Freheri *Scriptor. rer.* German. Tom. II. p. 767. edit. Struuii, vbi illum *eloquentiſſimum* & ſibi *familiariſſimum* nominat.

XXXVII.

Vniuerſalis doctoris ALANI de planctu nature liber.

Epitaphium ſepulchro ALANI inſcriptum

ALANVM breuis hora breui tumulo ſepeliuit
Qui duo: qui ſeptem: qui totum ſcibile ſciuit.

in 4. folior. 60.

Praeter rem, hoc opuſculum Joſias Simlerus in *Bibliotheca* p. 15. ALANO cuidam, quem fingit Siculum, poetam & clarum oratorem, tribuit. Illud ſane ab ALANO AB INSVLIS fuiſſe compoſitum, nemo dubitat. Inter *opera* igitur eius, cura Caroli de Viſch, iunctim *Antuerpiae* 1654. in fol. edita illud opuſculum, quo in ſodomiae crimen inuehitur, ab editore p. 279 ſqq. relatum fuit. Qua tituli diuerſitate, illud ab auctoribus citari ſoleat, iam expoſuit Polycarpus Leyſerus, in *hiſtoria poetarum & poematum medii aeui* p. 1043 ſqq. vbi etiam carmina, ſiue vt vocantur *metra*, libro inſerta, trium codicum manuſcriptorum ope, emendata leguntur. Chriſtophor. Hendreichio, Caſimiro Oudino, Polycarp. Leyſero, Jo. Alberto

Digitized by Google

Alberto Fabricio, aliisque, editio, cuius adſcripſimus titulum, incognita fuit, neque aliam adducunt, praeter Caroli de Viſch editionem, id quod huius editionis inſignem raritatem confirmat. Memoratur a Joan. Gebhardo, in *vita* ALANI AB INSVLIS, quam praemiſit eius *parabolis* ab Andrea Senftlebio, notis philologicis, illuſtratis, *Lipſ.* 1663. in 8. p. 10. & a Jo. Henric. Leichio in *Annal. typogr.* lipſienſ. p. 68. Litteris exſcripta eſt gothicis, oppido luculentis & nitidis, & in fine haec refert verba: *Explicit* ALANVS *de planctu nature feliciter. Impreſſus* Lyptzk *per* Arnoldum Colonienſem. *Anno gratie. M. CCCC. XCIIII.* (1494).

Quod ad *epitaphium*, in libri titulo conſpicuum adtinet, illud non integrum eſt, ſed verſu deſtituitur, qui talis fuiſſe dicitur:

Scire ſuum moriens, dare vel retinere nequiuit.

Hoc enim elogio, eius ſepulchrum marmoreum ornatum fuiſſe, quod Ciſtercii, in clauſtri parte laeua, templum ingredientibus, olim conſpiciebatur, contendit Caſimir. Oudinus in *Commentar. de Scriptor. & ſcriptis eccleſ.* Tom. II. p. 1390. Habemus de quo mox dicemus, ALANI *doctrinale altum*, commentario illuſtratum, in quo ALANI *epitaphium*, hac ratione expreſſum legitur:

ALANVM *breuis hora breui tumulo ſepeliuit*
Qui duo qui ſeptem totum qui ſubdidit orbem
Scire ſuum moriens, dare vel retinere nequit (nequiuit).

Eosdem verſus poſtea retulit, huius *commentarii* auctoritate permotus Caeſar Egaſſius Bulaeus in *Hiſtoria vniuerſitatis* pariſienſis Tom. II. 437. ſed illos errare demonſtrauit Oudinus l. cit. Cum autem hi tres verſus, ob vetuſtatem & lituram, vix legi poſſent, *epitaphium* anno 1501. renouatum fuit, additis quatuor nouis verſibus

ALANVM

ALANVM *breuis hora breui tumulo sepeliuit*
Qui duo qui septem, qui totum scibile sciuit
Labentis seculi, contemtis rebus egens sit.
Intus conuersus, gregibus commissus alendis
Mille ducenteno, nonageno quoque quarto
Christo *deuotus mortales exuit artus.*

Insigni, hi quatuor versus, recens additi, controuersiae, de anno ALANI emortuali, occasionem dederunt. Casimirus Oudinus autem l. cit. firmissimis argumentis, multisque scriptorum testimoniis demonstrauit, versuum auctorem erraſſe, & ALANVM non anno 1294. sed iam anno 1203. mortuum esse.

XXXIIX.

Doctrinale altum, seu liber parabolarum ALANI metrice descriptus, cum sententiis & metrorum expositionibus vtilis valde ad bonorum morum instructionem. in 4. folior. 25.

Non quidem liber ipse adeo rarus est, qui semel, iterumque, & saepius editus fuit, sed editiones tantummodo inter libros rariores sibi vindicant locum, quae ad primum artis typographicae seculum referri debent. Varias editiones recenset Christophor. Hendreich in *Pandect.* brandenb. p. 76. Guil. Caue in *Histor. litterar. Scriptor. eccles.* p. 709. Casimir. Oudinus l. cit. col. 1406. Jo. Alb. Fabricius in *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. I. p. 92. Polycarp. Leyserus l. cit. p. 1063 sqq. vbi integer liber insertus legitur. Inter recentiores editiones non vltimum sibi vindicat locum, quae hoc insignitur titulo: ALANI AB INSVLIS *parabolae, & ad easdem* Andreae Senftlebii, *Jcti*, vratisl. *Notae philologicae. Opus posthumum. Wratislauiae sumtibus Esaiae Fellgibelii Bibliop. Lipsiae Typis Colerianis* 1663. in 8. pp. 184. Edi-

Editionis curam mortuo Senftlebio, in se susceperat Joannes Gebhardus, Prof. Conr. & Bibliothecarius elisabethanus vratislauiensis.

Haec, quam manibus iam tenemus editio, charactere typorum gothico impressa est, & haec in fine, ob oculos ponit verba: *Doctrinale altum parabolarum* ALANI, *cum glosa finit feliciter. Impressum* Colonie *per* Henricum Quentell. Anni indicium non comparet. *Glossae*, siue *commentarii* auctor non nominatur, sed sine dubio Matthaeus ille Bonhomme monachus cistercienſis est, quem *commentarium in parabolas* ALANI, composuisse perhibet Caesar Egassius Bulaeus l. supra cit. Casimir. Oudinus l. cit. col. 1390. aliique plures. Absurda enim de ALANO narratio, quam ex eius *Commentario* auctores citati retulerunt, ipsis iis, in nostro exemplari verbis legitur. Non solum autem haec narratio, sed omnis etiam *commentarius*, ab auctore inepto profectus est, quare valde miramur, quod Oudinus l. cit. col. 1406. *commentarios eruditos* vocauerit. In Caroli Vischii, Dunarum Prioris, ordinis cistercienſis collectione, *Operum* ALANI, libellus insertus inuenitur, p. 421 sqq. Plura de libro, vid. apud Auctores supra cit. Versio sine dubio gallica est, quam Michael Maittaire Tom. I. *Annal.* p. 547. hoc produxit titulo: *Les Paraboles de Maistre* ALAIN *en François. Paris par Antoine Verard, XX. de Mars. mil quatre vings & douze* (1492) in fol.

Sunt inter viros doctos, qui versibus epitaphii, supra adductis permoti, duplicem ALANVM DE INSVLIS exstitisse, sibi persuadent, vid. Guil. Caue l. cit. p. 674. & 708. Carolus de Visch in *historica differt. de vita & morte* ALANI *magni* DE INSVLIS, *Doctoris vniuersalis*, Operibus ALANI praemissa, & in *Bibliotheca Scriptorum ordinis* cistercienſis. *Colon. Agrip.* 1656. in 4. p. 12 sqq. Caesar Egass. Bulaeus in *historia vniuersitat.* parisiens. Tom. II. p. 432 sqq. & p. 719 sqq. Tom. III. p. 19 sqq. sed suam illis sententiam

Digitized by Google

tiam relinquimus defendendam, & vnum ALANVM DE INSVLIS, ex ciuitate insulana, Flandriae gallicae metropoli oriundum, doctorem parisinum, Ripatorii Abbatem, antissiodorensem Episcopum, atque tandem monachum Ordinis cistercienſis fuisse, & apud Cistercium anno 1203. mortuum esse existimamus, quod etiam singulari *dissertatione* probauit Casimir. Oudinus l. cit. col. 1389 sqq. Conf. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. I. p. 89 sqq.

XXXVIIII.

Speculum naturalis coelestis & propheticae visionis: omnium calamitatum tribulationum & anxietatum: quae super omnes Status: Stirpes & nationes christianae reipublicae praesertim quae cancro & septimo climati subiecte sunt: proximis temporibus venture sunt. in fol. folior. 18. cum figuris ligno incisis.

Insignem libri raritatem, ex eo colligere licet, quod nullus bibliothecae nobis se obtulerit catalogus, qui auctoris, & libri fanatici fecerit mentionem. Librum etiam vernacula lingua exscriptum extare, legimus in *Lexico eruditorum* Tom. II. col. 1216. vbi illius titulus, his verbis adfertur: *Spiegel natürlicher himmliſcher vnd prophetiſcher Sehungen. Nürnberg* 1508. in fol. & Jacobus Bruckerus in *Originibus typographiae* auguſtanae, *hiſtorico filo deductis*, quae leguntur in *Muſeo* heluetico Tom. VI. Part. XXIII. *Turici* 1752. in 8. §. XIIX. p. 385. librum vernacula lingua editum, & a Joanne Schoenspergero *Auguſtae Vindelicorum* 1522. prelo subiectum fuisse, e *Catalogo Bibliothecae* ebnerianae Millenar. III. num. 198. p. 21. memorat. Auctoris nomen in libri fronte quidem non comparet, sed a JOSEPHO GRÜNPECKH *presbytero*

Digitized by Google

terq indigno, illum esse compositum, patet ex *epistola* illius dedicatoria, *ad reuerendissimum in* Christo *patrem & dominum*, *dominum* Bernhardinum: *sanctae* romanae *ecclesiae*, *titulique sanctae Crucis Cardinalem legatum*. &c. Quo tempore vixerit, definire non sustinemus. Libro enim haecce typographi, in fine subiecta sunt verba: *Impressum* Nurnberge *per me* Georgium Stuchs *ciuem* Nurnbergen. *Anno M. D. VIII.* (1508) *Septimo Kalendas Nouembris*: Epistola autem ad Bernhardinum, scripta dicitur *Ratisbone imperiali vrbe tercio idus Augusti. Anno a nataliciis Christi diebus octauo supra millesimum atque quadringentesimum* (1408). Si coniecturae locum dare licuerit, per typotheratum errorem, annum *quadringentesimum*, pro *quingentesimo*, in exemplari nostro, legi facile nobis persuaderemus. Queritur auctor de abusibus, qui in ecclesiam romanam irrepserant. Illi nisi abusus e medio tollantur, vltima imminere fata, tribus potissimum e fontibus, *ex coniecturis rerum christianarum*, *astrorum scientia*, *& prophetarum*, *certissimis*, *aeternae veritatis testimoniis* dicit, quapropter, cum hic liber ante Lutheri reformationem, in lucem prodierit, Matthias Flacius Illyricus in *Catalogo Testium veritatis* Tom. II. p. 900 sqq. edit. Simon. Goulartii *Lugdun.* 1597. in 4. auctori locum quemdam adsignauit. Ad Germaniam autem potissimum eius spectare praedictiones, verba testantur tituli: *super stirpes & nationes christianae reipublicae*, *praesertim quae cancro & septimo climati subiectae sunt*. Nam Geographiae studiosi, probe norunt Germaniam potissimum cancro, septimo & octauo, vt vocant, climati subiacere. In memorata ad Bernhardinum *epistola*, inter alia his illum compellat verbis: *Coniice considerationis tuae oculos in sequens* speculum: *& videbis omnem spurcissimarum abusionum atque contaminationum saburram: qua nauigium ecclesiae nimis oneratum altis mergitur afflictionum paludibus*, *cernes & innumera multo atrociora*, *quam hactenus in hanc suspiriorum*

Digitized by Google

rum colluuionem iaculata sunt calamitatum spicula: quae fatorum ex officinis pendentia: & corporibus & animabus nostris (si non vel summe prouidentie armis: vel deuotissimarum ad Deum supplicationum machinis restiterimus) minitantur internitiem. Quibus quidem visis & sedulo animaduersis: facile poteris aliquorum cataplasmata consiliorum & remediorum adhibere: quibus imperii vlcera & inde vulnera totius christianae reipublicae ex toto sanentur, nisi fortasse istud meum speculum *offenderis inculti sermonis scabritie: scholasticeque latinitatis rubigine obscurum: nec scripturarum auctoritate & grauitate satis politum & perspicuum. Admoue precor doctas manus tuas: & pauxillulum effunde melliflue doctrinae fauoris & benivolentiae: & reddetur terssissimum, hii denique principes, quibus hanc meam lucubrationem exhortationis loco dedico: tanto libentius capessent: bonamque in partem interpretabuntur: quanto licentius & emendatius: ac etiam liberaliori ex animo tanti patroni processit* &c. Eadem fere longa orationis repetit serie, in *praefatione ad reuerendissimos in* Christo *patres & dominos, dominos* N. Maguntinen. Colonien. Treueren. *ecclesiarum Archiepiscopos, sacri* Romani *imperii electores. ceteros omnes maiorum ecclesiarum moderatores Episcopos, Abbates, Prelatos & omnes ecclesiasticos ceteros*, in qua illos hortatur, vt tandem aliquando euigilent, e negligentiae somno, animorumque confusionis tenebris, in debiti officii, diligentiae, & celeritatis lucem. Liber in *duodecim* diuisus est *capita*, quorum cuilibet figura ligno incisa, si temporis genium spectauerimus, haud inelegans praemittitur. Capitum argumenta haec sunt:

I. *De mutatione status christianae reipublicae: quae ex manifestis signis caeli deprompi potest, & liquido probari.*

II. *De confirmatione praedictorum, per vatidicos sermones: cuiusdam sancti vatis & preconis* Jesu Christi,

qui iam per omnia ecclesiae limina: instar Jone *prophetae discurrens, christicolas exhortatur ad poenitentiam.* Illud caput hac ratione inchoatur: *Expergiscimini o viri christiani, e graui scelerum somno: atraque mortis caligine: auriumque & omnium sensuum vestrorum corda rescindentes verba mea intentissime percipite. Quia legem domini dei nostri in latrinam, & omnes eius diuinos sermones in obliuionis & contemptus cloacas abiecistis: coepistis virtutum in exercitatione prorsus delirare: in malicia sapere & prudentissimi esse: omnem aequitatem & iusticiam subuertere: pupillorum & viduarum sudore inebriari: patrimonium,* Christi *scortorum deliciis dissipare: ac etiam efferatam libidinem vestram stupris: adulteriis: incestu: & omni illicito concubitu, inexplebilem vero habendi voracitatem furtis & sacrilegiis explere. denique dei templum per scelus & summam iniquitatem vestram constitutum est lupanar & domus furum atque latronum, in quo non celebres hymni: sed blasphemiae caelestis principis resonant. propterea extant adhuc pauci dies: & vniuersa ciuitas katholica corruit, vsque ad fundamentum. Induite igitur vos saccis poenitentiae & contritionis. & a maiore vsque ad minorem occurrite domino lachrymis: tum miserebitur vestri, sicut* niniuitarum *misertus est. Sin autem poenitentiam reieceritis: illucescent e vestigio dies luctuum: quibus a conspectu malorum quae in vos crassabuntur: fugere volentes: flumina in littoribus acclamabitis: vt vitam vestram propicio fluxu excipiant: abrupta montium inuocabitis: vt lacera corpora vestra in ipsa praecipitatione molliter delanient: arbores in syluis lachrymabilibus oculis implorabitis: vt ceruices vestras ad ramos suspendendas indulgenter ferant,* &c.

III. *Quo autore rumor iste exortus sit: scilicet naucula* Petri *debeat istis annis ad multos periculorum scopulos concuti: & prope naufragari: ecclesiasticique multifariam conturbari.* Hoc capite JOSEPHVS GRÜNPECKH lectoribus persuadere cupit, praedictiones

nes istas alium habere auctorem, cuius modo vestigiis ipse insistat. Ita enim scribit: — *hinc effluxit ille rumor de cleri, ecclesiaeque conturbatione. cuius quidem author est vir iustus, recti cordis: sincere conscientiae & flagrantissimi in Deum amoris: qui tali ex corruptela: aliisque presciendi modis: expiscatus est ista futura mala; que vbiuis locorum modo predicto per ora hominum volitant. ea certe cum vel amoris vel terroris causa: in propatulum enunciauit: cœpit mox phama, (ceu omni volucri velocius efferri solet) de hac re longe lateque diffundi. huius profecto sancti viri auctoritati & diuinandi generibus innixus calamitatum seriem quae christianam super rempublicam his temporibus peculiariter venture sunt: ita vestris sensibus subiiciam: ac si illo temporis momento: saeuitiae sue grandines in terram iaculaventur* &c.

IIII. *de reipublicae christianae conturbatione: quae ex coniecturis prauis & corruptis christianorum moribus confirmari potest.*

V. *de secunda confirmatione fluctuationis christianae reipublicae, ex solis & lune obtenebrationibus: magnisque erraticorum siderum congressibus.*

VI. *de tercia predictorum approbatione, ex certissimis prophetarum & aeterne veritatis testimoniis.*

VII. *de primo* Esaie *prophetae testimonio: quo probantur reipublicae christianae incommoda sub forma vinee quae cum bonos fructus ferre debebat, labruscas protulit.*

IIX. *de secundo* Ezechielis *prophetae testimonio quo declarantur ecclesiae discrimina, propter horribiles idololatrias: quas sub forma templi* Salomonis *preuidit.*

VIIII. *de tercio* Ezechielis *prophetae testimonio, quo exhibentur poene & afflictiones vtriusque status ecclesiasticorum & secularium: sub forma duarum sororum turpiter fornicantium: & in primis laicorum.*

Digitized by Google

X. *de quarto* Ezechielis *prophetae teſtimonio: quo enumerantur calamitates ſpiritualium ſub forma ſororis minoris.*

XI. *de quinto* Ezechielis *prophaete teſtimonio: quo pateſiunt generalis ſtatus chriſtianae reipublicae abuſiones: eiusque calamitates: ſub forma mulieris pauperrime nate: & a magno viro educate: atque etiam tandem matrimonialiter deſponſate; quae tamen omnium ingrata beneficiorum exponit ſe omnium adulterio.*

XII. *de enumeratarum calamitatum rerumque omnium concluſione: cum adiectione quorundam articulorum concordantium aſtronomicam certitudinem cum theologica veritate: liberantiumque autoris dicta ab erroris decipulis.* Septem tantummodo in medium profert *articulos*, reliquos CXIII. quos in promtu habuit, in tertium *mutationis mundi* librum, tres quidem libri ita, qui, vt ait, *incude adhuc pendebant*, inſcripti fuerunt, retulit. Vtrum eiusmodi tres libri lucem viderint, ignoramus. In concluſione *ſpeculi naturalis, caeleſtis, & propheticae viſionis*, barbarum & hiſpidum ſcribendi genus, & figuras, quas cuilibet libro praemiſit, excuſat. Deſcripſit librum, & ex illo excerptum, cum duabus figuris dedit, Johan. Wolfius in *Lectionum memorabilium & reconditarum* Tom. II. *Lauingae* 1600. in fol. p. 326 ſqq. Idem Wolfius l. cit. p. 324. inſeruit D. JOSEPHI GRÜNPECK *prognoſticon, ab anno trigeſimo ſecundo vsque ad annum quadrageſimum Imperatoris* Caroli Quinti *plerasque futuras hiſtorias continens.* Exſtat etiam liber, qui ſine loci anni, & typographi indicio, in 4. hoc titulo inſignitus prodiit: *Prophezeien vnd Weiſſagungen, Vergangene, Gegenwärtige, vnd künftige Ding, Geſchichten vnd Zufäll aller Stände, den Frommen zu Ermahnung vnd Troſt, den Böſen zum Schrecken vnd Warnung, bis zum Ende verkündent, als* Doctoris Paracelſi, Johann Liechtenbergers, M. JOSEPHI GRÜNPECK,

Digitized by Google

PECK, Joan. Carionis, *Der* Sibyllen *vnd anderer.* Inueniuntur in hoc libro fol. 97 -- 100. M. JOSEPHI GRÜNPECK *von Reformation der Chriſtenheit vnd der Kirchen.* Num excerptum ex *Speculo naturalis, caeleſtis, & propheticae viſionis*, aut opuſculum plane ſit diuerſum, dicere non poſſumus, cum nobis tam felicibus eſſe non licuit, vt librum euoluere potuiſſemus. Illius nobis ſuppeditauit notitiam M. C. H. *Berichs von* Johan Liechtenbergers *Weiſſagungen* 1689. in 4. p. 8 ſqq. Sine dubio eiusdem libri teutonici, repetita eſt editio, quae in *Catalogo Bibliothecae* vockerodtianae p. 222. an. 1620. in 4. prodiiſſe dicitur. Conf. Wilh. Ernſt Tenzelii *monatliche Vnterredungen* an. 1689. p. 979. vbi editio memoratur an. 1549. & p. 852.

Non confundendus eſt JOSEPHVS GRÜNPECKH *presbyter*, cum eiusdem nominis, *medico*, burghuſano, Bauaro, qui ſeculo XV. ad finem vergente vixit, & Auguſtae Vindelicorum medicinam exercuit, & inter primos fuit, qui de *mentulagra* ſeu *morbo gallico* ſcripſerunt. Liber eius non facta anni & loci mentione in lucem exiit hoc titulo: *Tractatus de peſtilentiali ſcarra ſiue malo de* francos, *originem remediaque eiusdem continens, compilatus a venerando viro Magiſtro* Joſepho Grunpeck *de* Burckhauſen *ſuper carmina quaedam* Sebaſtiani Brant, *vtriusque iuris doctoris* in 4. plagg. 12. vid. Joſ. Simleri *Bibliotheca* p. 432. Friderici Boerneri *Bibliothecae librorum variorum phyſico-medicorum, hiſtorico-criticae Specimen I. Helmſtad.* 1751. in 4. num. XIIII. p. 29 ſqq.

Digitized by Google

XXXX.

P. FAVSTI ANDRELINI *Foroliuiensis Poetae laureati atq. Oratoris clarissimi* Epistolae proverbiales & morales longe lepidissimae nec minus sententiosae. in 4. folior. 14.

PVBLII FAVSTI ANDRELINI *epistolas prouerbiales* raras esse, praeter Jacobum Burckhardum in *Commentario de linguae latinae in* Germania *per XVII. Secula amplius fatis* Tom. I. *Hanouer.* 1713. in 8. p. 467. not. (q), Jo. Ludolph. Bünemannum in *Catalog. libror. rariff* p. 80. & Theophil. Sincerum in *librorum nonnisi rariorum notitia* Tom. I. p. 24) nos docuit Cl. Dau. Clement in *Bibliotheque historique & critique* Tom. I. p. 323. Sed vehementer miramur, quod nemo eorum, qui *epistolas* hasce recensent, & in primis posterior, qui septem diuersas produxit editiones, nostrae editionis fecerit mentionem, cuius in fine haec leguntur verba: *Finis nouem epistolarum adagialium* P. FAVSTI ANDRELINI *iuxta musarum videlicet numerum & trium (quot Charites sunt) epigrammatum ex aedibus* Matthiae Schürerii Selestatini, *Kalen. Julii Anno post dominicum natalem M. D. X.* (1510). Illam ad editionem *argentoratensem* anni 1508. exscriptam esse, testatur Beati Rhenani ad Hieron. Gebwiler, Selestati bonas litteras profitentem *epistola*, scripta *Selestati. pridie Kalen. Septembris. Anno MDVIII.* Beati Rhenani *epistolam* sequitur 1) FAVSTI ANDRELINI; *ad illustrem* Franciae *Cancellarium*, Joannem de Ganay, *epistola nuncupatoria*, & eiusdem FAVSTI, *ad illustrem* Franciae *Cancellarium*, Guidonem Rupefortem, epigramma. *Epistola prouerbialis* I. ad eumdem Guidonem Rupefortem, argumentum pertractat: *quod hactenus in procudendo tantum carmine insudauerit, nunc demum solutam orationem adgrediatur.* II. *Amico reconciliato, aut raro aut nunquam fidendum.* III. *Quod* Aeneis *non ab omnibus intelligatur, dubiam habens*

Digitized by Google

habens cum Iliade *palmam.* IIII. *Non esse antiquatis obliteratisque verbis vtendum.* V. *Non habendum esse cum foemina commercium.* VI. *Temporis iactura nihil esse neque pernitiosius neque detestabilius.* VII. *Quod pueri ab optimo praeceptore, candidis, tum litteris, tum moribus sint imbuendi.* IIX. *Labores otio anteponendos.* VIIII. *Quod ideo epistolas scribat, adagiis scatentes, quia paucis magna & moralia complectuntur.* His *epistolis* subiiciuntur tria *epigrammata* 1) *in obitum* Guidonis Rupefortis, Franciae *Cancellarii, nunquam satis laudati,* P. FAVSTI ANDRELINI epigramma. 2) *Eiusdem de eodem* epigramma, 3) *eiusd.* epigramma, *de* Joanne Ganeo, Guidonis Rupefortis, *quam diligentissimo successore.* Insertae fuerunt P. FAVSTI ANDRELINI Epistolae *Farragini epistolarum laconicarum Basil. per Robert. Winter* 1565. P. II. p. 497 sqq. Conf. Silu. Jo. Arenhold *Conspect. Biblioth. epistolar.* p. 69. Specimen prouerbialis stili ex epistola VIIII. dedit Jacob. Burckhardus l. cit. Joannem Arboreum, laudunensem, Theologum parisiensem, in istas *epistolas* scripsisse *commentarium* testatur P. Baile in *Dictionaire* Tom. I. p. 230. & *Catalog. Biblioth.* bodleianae Tom. I. p. 38. & 245. Christ. Schoettgenius in *Continuat. Biblioth.* fabrician. *med. & infim. Latinit.* L. XVI. p. 58.

XXXXI.

P. FAVSTI ANDRELINI *Foroliuiensis, Poetae & Oratoris clarissimi,* de virtutibus cum moralibus tum intellectualibus, Carmen dignissimum. *Eiusdem* elegiae quaedam castiores, sanctioresque. in 4. folior. 23.

E rarioribus iste liber, P. FAVSTI ANDRELINI opusculis est, cum omnes fere, qui vitam illius expo-

Digitized by Google

fuerunt, & opera edita recenſuere, ſcriptores, ſilentio illum praetermiſerunt. Editionem, qua vtimur, curavit Beatus Rhenanus, & nomine Jacobi Fullonii, Bernenſium Rhetoris, inſcripſit. FAVSTVM ANDRELINVM in *carmine*, quod DCV. abſolvitur hexametris, *pro Archetypo* habuiſſe ſcribit *Iſagogen in Ethicorum libros*, a Jacobo Fabro, ſtapulenſi, concinnatam. Scripſit hoc *carmen panegyricum* P. FAVSTVS ANDRELINVS, regius poeta laureatus, *ad* Robertum Briſſonetum, *Archiepiſcopum* remenſem, *&* Franciae *Cancellarium*, & *ad* Petrum Coardum, *primum Praeſulem* parrhiſienſem. In *epiſtola* ad poſteriorem, *carmen* ſe excogitaſſe ait, cum ſaeuiente tum febre, tum cancro, mirum in modum diſcruciaretur. Caeterum peripateticos hac in re, potiſſimum ſequendos cenſuit, quod illi non e quatuor tantum, vt ſtoici, ſed e duodecim fontibus, omne honeſtum decorumque deriuari contenderint. *Elegiae nouem*, carmini philoſophico adiectae, ſine dubio ex *elegiarum libris III. Pariſ.* 1494. editis, excerptae a Beato Rhenano fuerunt, in primis cum ille, in *epiſtola* ad Fullonium, ſe *elegias* tantummodo *caſtiores* adiunxiſſe *molles* autem, *vt teneras aetatulae perniciosas*, reieciſſe confirmat. In fine editionis, haec typographi leguntur verba: P. FAVSTI ANDRELINI *de virtutibus carmen atque eiusdem elegias*, Mathias Schürerius Heluetenſis, *ſtamneis vſus calamis* Argentoraci *exſcripſit Menſe Februario. Anno M. D. VIIII.* (1509). *Dn.* Maximiliano *P. F. Aug.* Romanis *Imperitante.* Neque Niceron in *Memoires* Tom. XXXIIX. p. 270 ſqq. in catalogo librorum a Beato Rhenano editorum, neque Michael Maittaire in *Annal. typograph.* iſtius editionis fecerunt mentionem. Forte eadem editio eſt, quam Adr. Baillet in *Jugemens des Savans* Tom. IIII. P. I. p. 114. *Argentorat.* 1508. in 4. vulgatam ſcribit. Locus praeterea, ob *carmen philoſophicum*, P. FAVSTO ANDRELINO, fuiſſet adſignandus a Jo. Chriſtophor. Gottſchedio in *Commentatione de poetis philoſophis*, quam

Digitized by Google

quam eminentiſſ. R. E. Cardinalis Melchioris de Polignac *Anti-Lucretio, Lipſ.* 1748. in 8. praemiſit.

XXXXII.

Heus lector nouarum rerum ſtudioſe, Hic habentur de Fortuna Franciſci Marchionis Mantuae, F. BAPTISTAE MANTVANI Cramen (*Carmen*) elegantiſſimum. Videbis in eo carmine; quanti *celeberrimus poeta* inuictiſſimum Caeſarem Maximilianum faciat, quid de Rege Francorum Ludouico, ac Venetis ſentiat. Epiſtola elegiaca FAVSTI ANDRELINI, qua Anna Franciae regina Ludouicum Franciae regem maritum ſuum, poſt ſubactos Venetos, ad ſe reuocat. ANTONII SYLVIOLI *Pariſienſis* chilias, de triumphali atque inſigni Chriſtianiſſimi Francorum regis Ludouici Duodecimi in Venetos victoria. PETRI DE PONTE *Brugenſis Caeci*, de abitu & reditu pacis carmen. Sunt in eo multa ad Maximiliani Caeſaris ac Margaritae Maximiliani filiae laudem pertinentia. *Domini* ZACHARIAE *Abbatis* ad Venetos elegia, de dominio eorum breui diruendo, & vt ad cor reuertantur. in 4. folior. 39.

Collectionem iſtorum opuſculorum poeticorum, in lucem emiſit Beatus Rhenanus, & Thomae Aucuparo, poetae laureato dicauit, *ex vrbe ſeleſtatina, bonarum litterarum nutrice quinto idus Junias an. 1510.*

Primum locum F. BAPTISTAE MANTVANI *carmen*, in quo, vt Beatus Rhenanus ſcribit, *Principis* mantuani, magnedici *tyranni*, *ſacratiſſimique Imperatoris* Maximiliani, *ac* Ludouici aurelianenſis, Franco-

Digitized by Google

rum *regis, bellicam aduerſitatem, captiuitatem & miſeram in hoſtiles manus prolapſionem graphice complectitur.* Beati Rhenani *municeps* Kierherus, id ſua manu Pariſiis exſcripſerat, & Humelbergii ope adiutus, ad archetypum recognouerat. Inſertum fuit poſtea *carmen operibus* MANTVANI in vnum corpus collectis.

De PVBLIO FAVSTO ANDRELINO foroliuienſi Italo, poeta XXII. annorum, laurea Romae coronato, & poſtea per triginta annos, academiae pariſienſis Profeſſore, qui diem obiiſſe dicitur anno 1518. vid. Joſ. Simleri *Bibliotheca* p. 550 ſqq. P. Baile in *Dictionaire* Tom. I. p. 230. Georg. Viuiani Marcheſii *vitae virorum illuſtrium* foroliuienſium, *Foroliuii* 1726. in 4. p. 230 ſqq. Adr. Baillet *Jugemens des Savans* Tom. IIII. P. I. p. 110 ſqq. Chriſt. Schoettgenii *Continuat. Biblioth.* fabric. *med. & inf. Lat.* L. XVI. p. 58 ſqq. Quae de titulo *poetae regii*, & *reginei*, quem nomini ſuo, in libris editis nonnunquam adſcripſit ANDRELINVS, iudicauerit P. Baile, vid. l. cit. not. A. *Menagiana* Tom. I. p. 115. & quae Bernardus de la Monnoye Tom. IIII. p. 93. hac de re adnotauit. Conf. Bartholom. Caſſanaei *Catalogus gloriae mundi* Part. X. Conſiderat. XXXXV. fol. 231. a. edit. *Francof. ad Moen.* 1586. in fol.

De ANTONIO SYLVIOLO pariſienſi, apud omnes fere ſcriptores altum eſt ſilentium. Joſias Simlerus in *Bibliotheca* p. 55. haec pauca tantum de illo retulit: ANTONIVS SYLVIOLVS Pariſien. *poeta & orator inſignis, ſcripſit* comoedias *plures*, elegiarum lib. I. epigrammatum lib. I. dialogos *plures & graues*, de Venetis triumphum. Poſterius opuſculum ſine dubio illud eſt, quod in noſtra editione inſcribitur, *de triumphali atque inſigni chriſtianiſſimi inuictiſſimique* Francorum *regis* Ludouici *duodecimi in* Venetos *victoria, Chilias heroica.* Adiicitur illi *exultantis* Galliae *paean, intercalaribus verſibus, pro reſtituta reuerendiſſimo patri*

Digitized by Google

patri et duo. Georgio Ambasiano, *summæ authoritatis legato, incolumitate* Mediolani.

De PETRO DE PONTE caeco, brugensi, infra plura dicemus, cum editionem Lucani rarissimam, illius adnotationibus instructam, recensebimus. Hoc *carmen ad circumspectissimum dominum* Robertum du Gast coqueriticeae *porticus moderatorem* perscripsit.

De ZACHARIA Ferrar. Vicentino, Abbate subasiensi nihil compertum habemus. In Antonii Possevini *Apparat. sacro* Tom. III. p. 378. & 379. tres Zachariae inueniuntur, qui iisdem fere temporibus vixerunt. Nimirum Zacharias Ferrerius, Vicentinus, Episcopus gardiensis, qui *hymnos* composuisse dicitur, Zacharias Lilius, Vicentinus, quem *de gloria & laudibus beatorum* scripsisse perhibet, & Zacharias, Vicentinus, cartusianus, quem Maximiliani I. Caesaris tempore vixisse, & *ordinis sui originem carmine* (vid. quae de hoc carmine eiusque auctore Zacharia Benedicto, vicentino, Tom. I. p. 309. a nobis prolata fuerunt) *heroico, & quidem fuse* cecinisse memorat. Sine omni dubio aut prior, aut posterior, *carminis*, quod in collectione reperitur, auctor est. In fine illius haec leguntur typographi verba: Argentorati, *in* Schüerianis *aedibus Ecclesiae* Julio II. Maximiliano *imperii* Deo Opt. Max. *Totius machine rectore. M. D. X.* (1510) *Junii XX.* A Michaele Maittaire nulla, in *annalibus typographicis* editionis mentio facta fuit.

XXXXIII.

LEONHARDI (BRVNI) *Aretini* de Studiis & litteris ad illustrem dominam Baptistam de Malatesta Tractatulus in 4. folior. 6.

Haec editio admodum rara, litteris gothicis excusa, & Jo. Alb. Fabricio, Joanni Petro Niceron, Viro Cl. Lau-

Digitized by Google

Laurentio Mehus, & aliis, incognita fuit, qui editionem non antiquiorem, quam *argentinensem* anno 1521. ab Alexandro Brassicano, editam in 8. memorant. Eadem forte est, quam Joan. Henric. Leichius in *Annal. typogr.* lipsiens. p. 79. adtulit. Verba enim, quae nota 5) leguntur, typothetarum errore, vt saepius in hoc libro, factum esse conspeximus, transposita, & ad alium spectare librum credimus, cum non credibile sit, vno eodemque anno, ex eadem officina typographica, duplicem libelli editionem, in lucem exiisse. In fine exemplaris, quod ad manus habemus, haec leguntur verba: *Impressum* Liptzk *per Baccalarium* Martinum Lantzberg Herbipolensem *Anno Xpr. 1501.* Transscripsit vero & impressori tradidit hunc *tractatulum* Georgius Arnoldi Kemnitzensis, *artium magister*, & consecrauit praemissa *epistola Liptzk, pridie kalendas Maias 1501.* scripta, Nicolao Bachmann *Plebano* kemnitzensi. Teste Nicerono Tom. XXV. p. 286. idem libellus a Gabriele Naudaeo editus fuit hoc titulo: LEONARDVS Aretinus *de studiis & litteris, ad* Isabellam Malatestam, *ex Bibliotheca* Gabriel. Naudaei, *cum eiusdem* Naudaei *praefatione ad* Lucretiam Barberinam, *lectissimam nobilissimamque puellam, Parisiis apud viduam Guilielm. Pelé* 1642. in 8. Conf. Tom. VIIII. *Memoires* p. 93. *Catalogus omnium operum* Gabriel. Naudaei, parisini, *Cardinalis* Mazarini *Bibliothecarii*, qui adiicitur *Naudaeanis, Amsterd.* 1703. in 12. p. 249. Insertum etiam esse opusculum Hugonis Grotii, *& aliorum dissertationibus de studiis instituendis, Amstelod.* 1645. in 12. p. 414 sqq. & *variorum Auctorum consiliis & studiorum methodis, collectis a* Thom. Crenio, *Roterodami* 1692. in 4. Tom. I. Num. X. testatur idem Niceronus in *Memoires* Tom. XXV. l. cit.

De LEONARDO BRVNO, arretino, vid. praeter scriptores, in *Analectis* nostris *litterariis* p. 37 sqq. citatos Gerard. Joan. Vossius *de Historicis latinis* L. III. Cap.

Digitized by Google

Cap. V. p. 508. Barthol. Facius *de viris illuſtribus* p. 9 ſqq. Jannotius Manettus in *Oratione in funere* LEONARDI BRVNI arretini recitata, quam Laurentius Mehus, etruſcae academiae cortonenſis, ſocius praefixit LEONARDI BRVNI, arretini *epiſtolis*, quas hoc titulo in lucem emiſit: LEONARDI BRVNI Arretini *Epiſtolarum Libri VIII. Ad Fidem Codd. Mſs. ſuppleti, & caſtigati. Et plus quam XXXVI. Epiſtolis, quae in editione quoque* Fabriciana *deerant, locupletati Recenſente* Laurentio Mehus Etruſcae *Academiae* Cortonenſis *Socio, Qui* LEONARDI *vitam ſcripſit*, Manetti, *&* Poggii *Orationes praemiſit, Indices, Animadverſiones, Praefationemque adiecit, Librumque Nonum, ac Decimum in lucem protulit. Acceſſere Eiusdem Epiſtolae Populi* Florentini *nomine ſcriptae nunc primum ex Codd. Mſs. in lucem erutae. Florentiae 1741. Ex Typographia Bernardi Paperinii. Sumptibus Joſephi Rigaccii. Superiorum permiſſu.* Pars I. pp. 128 & 142. excepta, ad Eminentiſſ. ac Reuerendiſſ. Principem ANGELVM MARIAM, R. E. Cardinalem Presbyterum QVIRINVM, Sedis apoſtolicae Bibliothecarium, Epiſcopum brixienſem cc. *epiſtola* dedicatoria folior. 4. Pars II. pp. 24. & 256. Conf. etiam merentur quae de LEONARDO BRVNO leguntur in Jo. Georg. Schelhornii *Amoenitat. litterar.* Tom. III. p. 225 ſqq. in *Anmerkungen* zu des Hrn. von Voltaire überſetzten *Verſuche einer Abhandlung von der epiſchen Dichtkunſt*, in Hamburgiſchen *Magazin* Tom. IIX. p. 375 ſqq. in Jacobi Lenfant *Poggianis* Tom. I. P. I. p. 11 ſqq. in Giovambatiſta Recanati *Oſſervazioni critiche, ed apologetiche ſopra il libro del Sigr.* Jacopo Lenfant *intitulato* Poggiana p. 30 ſqq. in Jacques George de Chaufepié *Dictionaire hiſtorique & critique* Tom. I. p. 442 ſqq. in Adr. Baillet *Jugemens des Savans* Tom. II. P. I. p. 337 ſqq. & Tom. II. P. III. p. 287 ſqq. in David Clement *Bibliotheque hiſtorique & critique des livres qui ſont difficiles à trouver* Tom. II. p. 26 ſqq.

Digitized by Google

XXXXIIII.

BASILII *Magni* Liber de Studio poetarum & oratorum quo pacto qualiterque legi debeant. in 4. folior. 10.

Multae huius versionis, quae Leonardum Brunum, arretinum, habet auctorem, exstant editiones, quae omnes fere, alio & diuerso titulo insignitae fuerunt, id quod variis virorum doctorum hallucinationibus locum dedit. Sic. v. c. Niceron in *Memoires* Tom. XXV. p. 287. S. BASILIVM *de liberalibus & ingenuis artibus* Leonardo arretino *interprete, & de inuidia* Nicolao Perotto *interprete Bonon.* 1497. in fol. & *Paris.* 1543. in 8. prodiisse scribit, & mox BASILIVM M. *de legendis antiquorum libris, ab* Leonardo Bruno, in latinum sermonem conuersum, veluti librum a priore diuersum, memorat, variasque eius editiones recenset. In omnibus fere codicibus mss. hunc librum diuersis titulis instructum esse adfirmat vir Cl. Laurentius Mehus, in *vita* Leonardi Bruni, arretini. l. cit. p. LXX. & vt dictis constet fides, e diuersis bibliothecis, VI. protulit Codices mss. quorum quilibet, alium prae se fert titulum, quod etiam postea in editis libris factum esse conspicimus. Sic e. g. liber titulo *Magni* BASILII *de institutis iuuenum, Brixiae per Boninum de Boninis de Ragusia* 1485. cum aliis opusculis in 4. prodiit, vid. Michael. Maittaire *Annal. typographic.* Tom. I. p. 462. Eodem teste Tom. I. p. 631. S. BASILIVS *de liberalibus studiis, & ingenuis moribus* Leonardo arretino *interprete, & de inuidia* Nicolao Perotto *interprete, per Benedictum Hectoris bononiensem. Bonon.* 1497. in fol. excusus fuit. Conf. Niceron l. cit. Jo. Henric. Leichius in *Annal. typogr.* lipsiensis p. 82. editionis mentionem fecit, cui talis praefigitur titulus: M. BASILIVS *de poetarum, oratorum, historicorum ac philosophorum legendis libris cum commentario* M. Jo. Honorii cubitensis, *Lipsi. per Jacob.*

Digitized by Google

eob. Thanner 1504. in 4. Cl. Dauid Clement in *Bibliotheque hiſtorique & critique* Tom. II. p. 486. editionem ſine loco & anno impreſſionis, vulgatam hoc titulo adtulit: *Magni* BASILII Ceſarie Capadocie *Arch. ad nepotes, quo pacto gentilium libros legere Chriſtianos oporteat, per* Leonardum Aretinum *traductus*, eamque admodum raram eſſe dixit, hoc addito elogio: *Cette verſion merite l'attention des curieux parcequ'elle eſt de* Leonard Aretin, *& très peu connuë*. De aliis editionibus vid. Joan. Albert. Fabricii *Biblioth. graec.* L. V. Cap. XVIIII. p. 74 ſqq. qui Leonardi verſionem *diſertam* & *elegantem* nominat. Niceron l. cit.

Editio, qua, dum haec ſcribimus, vtimur, charactere litterarum gothico, non addito indicio anni, per Arnoldum de Colonia excuſa fuit, vnde adparet, quod *Lipſiae* natales acceptos referat. Id ſine dubio, ſeculo XV. ad finem, properante factum eſſe, ex eo coniicimus, quod nulla adhuc littera initialis opuſculo addita fuerit. Dicauit Leonardus Brunus verſionem ſuam Colutio Salutato.

Poſuerunt autem praeter Leonardum Brunum, in conuertendo in latinam linguam BASILII λόγῳ πρὸς τοὺς νεούς, ὅπως ἂν ἐξ ἑλληνικῶν ὠφελοῖντο, operam ſuam Raphael Maffeus volaterranus, Janus Cornarius, Juſtinus Goblerus, Franciſcus Craneueldius, Martinus Hayneccius & Hugo Grotius. Varias iſtarum verſionum editiones recenſuit Joan. Alb. Fabricius l. cit. Poſterioris verſio, cum textu BASILII graeco, & Plutarchi libro *de audiendis poetis*, hoc titulo nitidiſſime in lucem edita fuit: Πλουτάρχου Χαιρωνέως Βιβλίον πῶς δεῖ τὸν νέον Ποιημάτων ἀκούειν. καὶ BASILEIOY Μεγάλου Ομιλία πρὸς νέους Οπως ἂν ἐξ Ἑλληνικῶν ὠφελοῖντο λόγων. *Cum interpretatione* Hugonis Grotii. *Variantes lectiones & notas adiecit* Joannes Potter A. B. Εκ Θεατρου εν Οξονια Ετει Θεογονιας 1694. in 8. form. maior. Recuſa haec *potteriana* editio, vna cum nouis Jo. Henr. Maii,

Digitized by Google

Maii, filii, *adnotationibus* & adiecta in calce Leonardi Bruni *versione* fuit *Francof.* 1714. in 4.

Scriptores varios veteres, & recentiores, qui in exponenda BASILII magni, Neocaesareae circa annum Chr. CCCXVI. nati, & anno CCCLXXIX. cum per octo annos, ecclesiae caesareensi Episcopus praefuisset, mortui, vita versati sunt, longa serie recenset Joan. Alb. Fabricius l. cit. p. 61 sqq. quibus addi poterit Apollinare Agresta *vita del Protopatriarca S.* BASILIO magno *In Mesina, nella stamperia di Vicenzo d'Amico* 1681. in 4. Casimir. Oudini *Commentar. de Scriptor. & scriptis eccles.* Tom. I. col. 543 sqq. Joan. Georg. Werenberg *Dissertatio de prudentia* BASILII magni in *refutandis haereticis, Lipsi.* 1724. in 4.

XXXXV.

De laudibus liberalium disciplinarum Oratio Luculentissima complurium ex eis principes Authores continens: in Auspicatu studii Senensis habita. in 4. folior. 12.

ADOMINICO PICCOLOMINEO senensi, *in initio studii oratio* habita dicitur, fol. II. opusculi, quod nullo addito loci, typographi, & anni indicio editum est. Illud initio statim seculi XVI. in lucem exiisse, existimamus, propterea quod litteris romanis, si titulum exceperis, vbi characteres conspiciuntur gothici, satis luculentis exscriptum est. Istam vero officinam typographicam, e qua *oratio* prodiit, typis litterarum graecis destitutam fuisse, ex eo adparet, quod lacuna in nostro exemplari reperitur, verbis Basilii magni, de insigni musices in hominum animos efficacia, graecis destinata. Operam etiam perdidimus in indagando DOMINICO PICCOLOMINEO, cum apud

apud scriptores & bibliothecarum catalogos, quos ideo euoluimus, neque illius, neque libri ab ipso editi, mentionem factam fuisse inuenimus, ex quo opusculi nostri insignem colligimus raritatem. In altera tituli pagina, haec leguntur epigrammata:

Jo. Baptistae adueduti *hexasticon.*

Pone malum virus procul hinc quicunque sororum
Munera sacra cupis nec secus accipies.
Plaraque cum niteant moneant te dogmata flacci:
Ne proprium feriant taela retorta caput.
Plura benigne legens paucis arcana mineruae
Alterius digne sancta labore feres.

DOMINICVS *ad lectorem.*

Quisquis ad ingenuas totum sese applicat artes:
Haec legat: hic laudes: fructus: & author inest.
Quisquis ab ingenuis studiis discessit amaris:
Haec legat: haec reuocant ad studium iuuenes.
Nec tamen ipse legas ciliis oculisque retortis:
Inuidia: tabie liuida frons abeat.
Tandem si qua forent reprehensa digna: benigne
Nos moneas: monitis ipse fauebo tuis.
Nec mirum est peccasse: meo ter quinque sub aeuo
Bisque super: tauri lumina sol rapuit.
Quod nisi consiliis multis parere putarem:
Non prolata palam haec inuidiosa forent.
Si cupis Antaea *rabie lacerare maligne;*
Senseris esse meis viribus herculeam.

Nisi plane fallimur, verba:

meo ter quinque sub aeuo
Bisque super: tauri lumina sol rapuit.

DOMINICVM PICCOLOMINEVM, ante XVII. aetatis annum, mense Februario, luminibus fuisse orbatum, & illum ideo in *catalogis eruditorum caecorum*, locum obtinere demonstrant. In *oratione* laudantur grammatica, dialectica, rhetorica ac eloquentia, poetica, historia, arithmetica, geometria, musica, astrono-

mia, philosophia, medicina, quibus legum adiicitur encomion. Omnia veterum auctorum testimoniis & exemplis, ex sacra & profana historia depromtis, illustrantur.

XXXXVI.

Habes in hoc volumine lector optime. diuina LACTANTII FIRMIANI opera nuper per Ianum Parrhasium accuratissime castigata: graeco integro adiuncto: quod in aliis cum mancum tum corruptum inuenitur. In hoc vero emendatissimum inuenies. Eiusdem epitome. Carmen de Phoenice. Carmen de Resur. Dni. Habes etiam Joan. Chry. de Eucha. quandam expositionem. & in eandem materiam Lau. Vall. Sermonem. habes Phi. adhortationem ad Theodo. & aduersus gentes Tertul. Apologeticon: habesque tabulam noviter impressam. *Cum gratia & priuilegio:* in fol. folior. 160. & 22. si titulum, operis elenchon, & rerum ac vocum indicem, folior. 12. exceperis.

Perrara haec editio, & nitide impressa est litteris romanis, qua iam vsus est Joannes Ludolph. Bunemannus, quod in *praefatione* suae editionis, disertis testatur verbis, seque ex vsu compertum habere scribit, plures mutationes, quas recentiores editores, vel Tuccio Correctori florentinae iuntinae, vel Aldo adscribunt, a Parrhasio esse profectas. Christophorus Sandius in *Nucleo historiae ecclesiasticae* illam inter eas refert editiones, quae reliquis antiquioribus correctiores sunt limatioresque, quod illum recte feciisse adserit Bünemannus l. cit. Jo. Alb. Fabricius illam addu-

Digitized by Google

adduxit Tom. III. *Biblioth. lat.* L. IIII. Cap. III. p. 397. & Nicolaus Lenglet Dufresnoy in *Catalogo variarum editionum* LACTANTII, edit. *Lutet. Paris.* 1748. II. Tom. in 4. praemisso p. XXXVIII. sed illam ipse non vidit. Michaeli Maittaire incognita fuisse videtur. In fronte comparet imago S. Joannis baptistae ligno incisa, manu vexillum tenentis, cum his verbis: *Ecce agnus Dei*, qui etiam pedibus adpositus cernitur. In altera tituli pagina legitur *epistola* Joannis Tacuini *ad Reuerendiss. in* Christo *patrem & Dominum* D. Marcum S. Mariae in porticu, *Diaconum Cardinalem* Cornelium, scripta *Venetiis anno M. CCCCC. X.* (1510) *quinto decimo Kalendas Januarias.* Haec sine dubio *epistola* est, quam Bünemannus l. cit. Parrhasii adpellat *praefationem*, praeter illam enim non alia in nostro exemplari reperitur. In fine *adhortationis* Philippi *ad quemdam* Theodosium *Judaeum*, vt Christi religionem, relicta Judaeorum superstitione coleret, ex Suida, haec Joan. Petri Valeriani bellunensis *ad pios lectores* exarata est *epistola*, quam omissis scribendi compendiis heic adscribimus:

Nequid christianae pietatis amatori desit impresso iam elegantissimo LACTANTII FIRMIANI *opere: In quo ea, quae ad Deum & Trinitatem spectant luculenter admodum elucubrauit, visum est cum iis* Tertulliani *dissertationem, qua deliram haereticorum opinionem reprobat, diluit, ac refellit, & aliquid de eucharistia subiungere: quod mysterium a* LACTANTIO *aut intactum: aut incuria temporum deperiisse constabat. Quare praeclaram* Joan. Chrysostomi *viri & sanctitate & eruditione clarissimi enarrationem, in diui* Pauli *ad* Corinthios *particulam quae legitur in coena domini ab* Hieronymo Donato P. V. *viro vndecunque laudatissimo latinitate donatam, addere collibuit, neque non sinceriſſimam* Laurentii vallensis *in eandem materiam oratiunculam, ac in* Judaicam *perfidiam manifestarium ex* Suda (*Suida*) *testimonium, ex quo deprehenditur,*

Digitized by Google

quod ipſi quoque Jeſum Chriſtum *Sotera noſtrum dei filium eſſe non inficiantur, quae omnia benigne lector & vſui & oblectamento futura chriſticolis omnibus opinabamur. Vale.*

Huic *epiſtolae* talia typographus adſcripſit verba: *Diuina opera* LACTANTII FIRMIANI *& aliorum ſupradictorum Impreſſa* Venetiis *mira arte & diligentia* Joannis de tridino *cognomento* Tacuini *finiunt. M. CCCCC. IX.* (1509) *die III. Januarii dominante inclyto principe* Leonardo Lauredano. Tertulliani vero *Apologetico* haec ſubiecta ſunt verba: Quinti Sep. Tertulliani *apologeticus aduerſus gentes cum ſermone pulcherrimo de aeterna vita explicit. Quod opus arte & impenſis* Joannis Tacuini *fuit impreſſum* Venetiis *anno Domini M. D. IX.* (1509) *die nono Nouembris: dominante* Leonardo Lauredano *principe illuſtriſ.* Reliqua, quae in hac editione digna memoratu ſunt, expoſita iam fuere in *Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dresd. Tom. II. p. 227 ſqq. quorſum lectores noſtros ablegamus. Id autem addendum exiſtimamus, quod fol. 164. in fine carminis *de Phoenice*, praeter particulam ex Ouidii *Metamorphos.* L. XV. vbi de Phoenice agitur, Dantis quoque legantur verſus:

Coſſi per li gran ſaui ſe confeſſa
Che la phaenice *more e poi rinaſce*
Qñ alcinque centeno anno ſe ꝓpꝫſa
Herba ne biada in ſua vita non paſce:
Ma ſol de incenſo lachyme & amomo
E nardo: e myrrha ſon le vltime faſce.

Non autem vnica editio eſt quam deſcripſimus, quae ex Joannis Tacuini de Tridino, officina in lucem prodiit typographica. In *catalogo* enim Nicolai Lenglet Dufresnoy, *variarum* LACTANTII *editionum* praeter noſtram inuenimus p. XXXVII. editionem *Venetiis cura Joan. de Tridino* 1502. in fol. & p. XXXIIX. *Venet.* 1511. *a Ja. de Tridino.* Illam vero, quam an-

Digitized by Google

no 1509. ex officina Joannis de Tridino, prodiisse scribit, non diuersam esse ab illa quae an. 1510. prodiisse dicitur, esse suspicamur, quoniam *epistola* typographi, editioni, quam descripsimus, praemissa, annum vti iam diximus 1510. prae se fert. Vtrum editio *Veneta* 1521. in den *Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dresden, & a Nicol. Lenglet Dufresnoy ll. citt. memorata, ex eadem Joan. Tacuini de Tridino emulgata fuerit officina, pro certo adfirmare non sustinemus, cum typographi nomen ll. citt. adpositum non legitur.

Omnium prima & rarissima LACTANTII est editio, cuius in calce haec leguntur verba: LACTANTII FIRMIANI *de diuinis institutionibus aduersus gentes libri septem, nec non eiusdem ad* Donatum *de Ira Dei liber vnus, vna cum libro de opificio hominis, finiunt sub anno Domini MCCCCLXV.* (1465). *Pontificatus* Pauli *Papae secundi anno eius secundo, Indictione XIII. die vero antepenultima Mensis Octobris. In venetabili Monasterio* Sublacensi. *Deo gratias.* Vid. de illa Michael. Maittaire in *Annal. typogr.* Tom. I. p. 6. vbi Opus romano charactere cusum, & *ea artis pompa ad amussim exactum* fuisse scribit, *vt nemo qui viderit, nomen Typographi abesse non indigneturus.* Ab opificibus germanis, qui artem typographicam ex Germania primum in vrbem transtuleruit romanam, editionem excusam esse existimat eminentissimus Princeps ANGEL. MARIA R. E. Cardinalis QVIRINVS in *vindiciis*, quas Pauli II. Veneti Pontif. Max. *vitae* per Michaelem canensium Episcopum castrensem conscriptae & ex codice angelicae bibliothecae, editae, *Romae* 1740. in 4. form. mai. praemisit Cap. I. p. XV. cum ad sublacense monasterium, ob hospitalitatem monachorum teutonicorum, quos eo tempore, monasterium illud incoluisse, deprehendit eminentissimus Princeps, diuerterent, priusquam Romam concederent. Conf. *Appendix qua comprobatur* Paul-

Digitized by Google

li II: *pontificatus felicitati deberi optimorum scriptorum editiones, quae* Romae *primum prodierunt, post divinum Typographiae inuentum, a* germanis *opificibus in eam vrbem aduectum*, quae ab eminentiſſ. QVIRINO eidem Paulli II. *vitae* ſubiecta eſt, §. I. p. 107 ſqq. vbi etiam aliae LACTANTII editiones vetuſtiores & rariores, ita quidem adcurate, vt nihil poſſit ſupra, deſcribuntur. Legi etiam meretur de prima editione ſublacenſi, quam Bernardus de Montfaucon in *Diario* italico, *Paris.* 1702. in 4. Cap. XXII. p. 339. minus recte ad annum 1461. retulit, Joan. Ludolph. Bünemanni *praefatio*, editioni LACTANTII *Lipſ.* 1739. in 8. form. mai. praefixa, num. 1. & Nicolai Lenglet Dufresnoy *Catalog. variar. editionum* LACTANTII, p. XXXVII. vbi variae nominantur bibliothecae, in quibus rariſſimus codex adſeruatur.

XXXXVII.

L. COELII LACTANTII FIRMIANI Diuinarum inſtitutionum Libri VII. De ira Dei Liber I. De opificio Dei Liber I. Epitome in libros ſuos liber acephalos. Phoenix. Carmen de dominica reſurrectione. Carmen de paſſione domini. in 4. pp. 433. ſi 10. folia priora non fuerint memorata.

Inter editiones *Operum* LACTANTII, quae *ex officina Andreae Cratàndri*, euulgatae fuerunt, haec ſine dubio, omnium prima eſt. Id *Baſileae menſe Februario* anno 1521. accidiſſe, verba in fine conſpicua, docent. Litteris italicis ſiue currentibus editio exſcripta eſt, cui Andreas Cratander, praefatiunculam, *ad omnes ſolidioris theologiae ſtudioſos*, praefixit, in qua, haec LACTANTII *opera, quanta potuit diligentia, ad plurium exemplarium fidem recognita* eſſe adfirmat. Orae

Orae paginarum, variae lectiones pauciſſimae adſcriptae fuerunt. Prima, praeterea, omnium haec eſt editio, quae *carmen de paſſione domini* additam habet, quod *in vetuſtis exemplaribus inuentum* eſſe ſcribit editor. Praeter Hieronymi ſuccinctam LACTANTII *vitam*, initio voluminis conſpicitur, *Annotatio* ſiue index *Capitum in libros* LACTANTII. In fine autem legitur: *Interpretatio dictionum graecarum, quae in* LACTANTIO *reperiuntur, de verbo ad verbum facta, idque vt rudium tyrocinio conſulatur, recenſente emendanteque* Marco Muſuro. Jo. Ludolphus Bünemannus, in indice editionum LACTANTII, quem in *praefatione* exhibet, hanc editionem num. 22) repoſuit, & hoc elogio ornauit: *Eſt haec correcta ſane editio, quae varias lectiones, ſed minus multas in margine ſolet indicare. Plerumque cum ed.* Aldina 1515. *conuenit.* Sandius *in* Nucleo Hiſt. Eccleſ. *teſte* Jo. Fabricio *in* Hiſt. ſuae biblioth. *Part. I. p. 176. hanc editionem praefert editioni* Betuleii. *Eſt quidem nitidior & emendatior; ſed* Betuleii *editio, non paucas lectiones* Aldina *veriores nobis dedit.* Repetita fuit in *officina Andreae Cratandri. Baſil.* 1524. in 4. vid. Jo. Ludolph. Bünemann. l. cit. num. 23). Nicol. Lenglet Dufreſnoy *Catalogus* p. XXVIIII.

XXXXIIX.

L. COELII LACTANTII FIRMIANI Diuinarum inſtitutionum Libri VII. De ira Dei Liber I. De opificio Dei Liber I. Epitome in libros ſuos, liber acephalos. Phoenix. Carmen de dominica reſurrectione. Carmen de paſſione Domini. Praeterea, eorum quae in toto hoc opere notatu digniora viſa ſunt, index copioſiſſimus. *Baſileae, apud Andream Cratandrum, & Jo. Bebelium,*

Digitized by Google

lium, mense Januario, Anno M. D. XXXII. (1532) in fol. folior. 149. non numeratis 10. fol. prioribus.

Sine omni praefatione, editio satis nitida, adcurata, & rara, in lucem prodiit, quae Michaeli Maittaire plane incognita fuit, & Joanni Ludolpho Bünemanno, ex aliorum tantummodo relatione, nota fuisse videtur. Conf. Nicol. Lenglet Dufresnoy *Catalogus editionum* p. XXXIIX. Ea potissimum, cum ederet LACTANTIVM, vsus fuit editor cantabrigiensis. In illa primum occupat locum, excerptum *de* LACTANTIO, *ex* Hieronymo *de viris illustribus*, & *index eorum, quae in* LACTANTII *operibus, praecipua habentur.* In fine, reposita fuit *Interpretatio dictionum graecarum, quae in* LACTANTIO *reperiuntur, de verbo ad verbum facta, adque vt rudium tyrocinio consuleretur, recensente emendanteque* Marco Musuro.

XXXXVIIII.

L. COELII LACTANTII FIRMIANI Opera, quae quidem extant, omnia; videlicet Institutionum Diuinarum Libri VII. De Ira Dei Lib. I. De opificio Dei Lib. I. Epitome Librorum Diuinarum Institutionum. Phoenix. Carmen de Dominica resurrectione. Accesserunt Xysti Betuleii Augustani pia ac erudita Commentaria, nunc primum in lucem edita. *Cum gratia & priuilegio Caes. Maiest. & Christianiss. Gallorum regis. Basileae per Henricum Petri.* in fol. pp. 559. si praemissa folior. 12. & index 10. folior. exceptus fuerit.

Ante nouem iam annos, nimirum anno 1554. mortuus erat Xystus Betuleius, cum LACTANTIVS eius com-

Digitized by Google

commentario illustratus, a filio Emanuele Betuleio, verbi Dei, Sulzbergae, in Brisgoia, ministro anno 1563. in lucem ederetur. Dicauit illum editor, partim suo, partim vniuersi betuleiani generis nomine, Joanni Baptistae, *reipublicae* augustanae *Consuli*, & Paulio Heinzelliis *fratribus germanis*. Epistolam dedicatoriam quinque foliorum sequitur Xysti Betuleii *praefatio*, scripta *mense Augusto* 1545. in qua disputatur contra Lactantiomastigas, vtrum lactantiana scripta, recte in scholis iuuentuti praelegi, & enarrari conueniat; id quod variis argumentis confirmatur, simulque ostenditur, quod recte LACTANTIVS, in scholam augustanam fuerit receptus, & institutis in eum, a Betuleio, praelectionibus illustratus. Suo id comprobare dubitauit adsensu Richardus Simon, qui in *Lettres choisies* Tom. II. *Amsterd.* 1730. in 8. Lettr. XXV. p. 178. *Cette edition*, ait, *n'est recommandable que par le Commentaire de cet Auteur* (Betuleius) *& par une preface où il agite cette question, s'il est utile de lire dans les écoles aux jeunes gens les livres de* LACTANCE. Betuleius *prend l'affirmative contre quelques* Giceroniens *qui associoient à* Ciceron, Terence, Cesar, Saluste, *&* Tite Live. *Il veut qu'on y ajoûte* LACTANCE: cur igitur non ego LACTANTIVM addam? *Pour moi je ne suis pas de ce sentiment: car* LACTANCE *avec toute son élegance est bien éloigné de la pureté du langage de ces anciens Ecrivains.* Subiuncta est praefationi *vita* Xysti Betuleii, a Joanne Nysaeo conscripta, quam breue eiusdem Nysaei, ad Emanuelem Betuleium praecedit *carmen*. Libris LACTANTII ipsis, praemissa est LACTANTII *vita*, a diuo Hieronymo descripta, cum Sophronii graeca versione. Cuilibet capiti subiungitur Betuleii *commentarius*, quem auditoribus suis, in schola augustana, in calamum dictauerat. Quod autem ipse Betuleius hosce *commentarios*, non in lucem emiserit, factum esse, ait Emanuel filius, ob difficilia & funesta bella, quibus vniuersa fere Germania, tunc temporis oppressa

fuit, & mors Betuleii, quae poſtea interuenit. Quale pretium, viri docti, huic editioni, & Betuleii *commentariis* ſtatuerint, vid. in Jo. Ludolph. Bunemanni *praefat.* in LACTANTIVM num. 34. Cum in editione *aldina* an. 1535. textus LACTANTII, nonnullis additionibus, quae tamen, ne lectoribus fraudem facerent, duobus aſteriſcis notatae fuerunt, auctus eſſet, Xyſtus Betuleius nonnullas ex iſtis additionibus, in ſuam editionem recepit, & pro genuino LACTANTII textu omnino habendas eſſe contendit. Id vehementer diſplicuit, Michaeli Thomaſio, de cuius editione, mox plura nobis dicenda erunt, qui iſtas additiones *ab haereticorum manu potius, quam a Codicum fide* obueniſſe exiſtimat, & in *praefatione* dictatoria quaſi voce edicit, ſe LACTANTII textum a multis erroribus liberaſſe, *qui eius libris dolo, & fraude veterum haereticorum additi fuerant.* Conf. eminentiſſ. ANGELI MARIAE Cardinal. Bibliothecar. QVIRINI *Adpendix* cit. *ad vitam* Paulli II. p. III. In fine editioni betuleianae, additus fuit *index rerum & verborum*, in LACTANTIO praecipue memorabilium.

De Xyſto Betuleio, vid. quae ſupra Tom. I. p. 155. adnotauimus.

L.

L. COELII LACTANTII FIRMIANI Diuinarum inſtitutionum Libri VII. De ira Dei Lib. I. de opificio Dei Lib. I. Epitome in libros ſuos, liber acephalos. Carmina aſſcripta LACTANTIO. Phoenix incerti auctoris. Venantii Honorii Clementiani Fortunati presbyteri Italici ad Felicem Epiſcopum carmen de Paſcha, Incerti auctoris carmen de paſſione. Omnia ſtudio Michaelis Thomaſii emendata, cum notis eiusdem. Graecarum

Digitized by Google

rum vocum latina interpretatio. Index in LACTANTIVM amplissimus. *Antuerpiae ex officina Christophori Plantini M. D. LXX.* (1570) in 8. pp. 560. si ea, quae praemittuntur, & editioni adiiciuntur, folior. 52. non computata fuerint.

Michael Thomasius Taxaquetius, ex insula Baleario-maioricensi oriundus fuit. Studia, in academia ilerdensi, & bononiensi, tanta tractauit sollertia, vt iuris canonici Doctor, & an. 1556. regis Hispaniae Consiliarius, & Secretarius, tandemque Episcopus ilerdensis crearetur. Quae eius fuerit in negotiis publicis pertractandis dexteritas, quae eruditio, ex eo coniicere licet, quod nonsolum ad concilium tridentinum missus, sed etiam a Gregorio XIII. iis adiunctus fuerit, quibus *decreti* Gratiani, emendatio commissa fuerat. Scripta eius edita, atque inedita recensentur ab Antonio Possevino Tom. II. *Apparat. sacri* p. 446. a Nicolao Antonio in *Bibliotheca* Hispan. *noua* Tom. II. p. 117. Controuersiae hoc loco ὡς ἐν παρόδῳ mentionem facere liceat, quae inter Jo. Ludolph. Bünemannum, & Christoph. August. Heumannum agitata fuit. Posterior nimirum in *praefatione* sui LACTANTII not. (b) Richardum Simon, Jo. Alb. Fabricium & Jo. Lud. Bünemannum, recte quidem incusauerat erroris, quod Josephum Isaeum, Caesenatem, sequuti, ex vno viro duos fecerint, & Michael. Thomasium, a Michaele Thoma Taxaquetio distinxerint. Hoc aegre ferens Bünemannus suam defendere sententiam, & Isaei potissimum auctoritate, comprobare studuit in *praefat.* sui LACTANTII num. 15) codic. mss. Thomasium & Taxaquetium, homines omnino fuisse diuersos, quod profecto minime scribere sustinuisset, si Nicolai Antonii l. cit. euoluerit, vbi haec leguntur: Michael Thomasius Taxaquet Balearis majoricensis *Caesareo ac pontificio iuri operam nauauit, cum* Ilerdae *apud* Catalanos, *tum* Bononiae *in* Italia. *Praeclaram*

Digitized by Google

claram eius doctrinam eruditionemque scripta prodiisse ferunt; *scilicet* LACTANTII FIRMIANI opera *emendauit & notulas addidit Antuerpiae ex officina Plantiniana* 1570. Sententiae tamen suae fautorem nactus est Bünemannus, eminentissimum QVIRINVM, qui in *Adpendice ad* Paulli II. *vitam*, semel, iterumque, & saepius cit. Michaelem Thomasium, a Michaele Thoma Taxaquetio, distinguere omnino videtur. Conf. Nicolai Lenglet Dufresnoy *Elenchus manuscriptorum codicum* LACTANTII, qui p. XXXI. mentem suam de ista controuersia hac ratione expoſuit: *Miror saepissime a doctis appellari codicem MS.* Taxaquetii, *cum* Taxaquetius *non sit alius a* Michaele Thomasio LACTANTII *editore*, *qui* Balearo-Maioricanus *erat. Is Medio seculo XVI.* Bononiae *Iuri Pontificio ac Ciuili, cum, vt ait ipse*, (in epistola ad Grauuellen. Cardin. LACTANTIO anni 1570. praefixa), *operam daret, vidit, non antiquissimum modo codicem* LACTANTII *saepius decantatum, sed etiam aliud exemplar in eadem Bibliotheca* S. Saluatoris Bononiensis, *minus equidem antiquum, at non impar illi antiquissimo.* Nicolaus Antonius Bibliothecae hispan. nouae *Tom. II. in fol.* Rom. *1672. pag. 117. hanc controuersiunculam dirimit. Sic enim ait*, (vid. verba quae iam excerpsimus) --- *Alia eius opera recensens* Nicolaus Antonius: *sed suspicor, vnde natus sit error:* Latinus Latinius *haec manu sua notauit initio* lactantianae *editionis* aldinae *1535. in qua varias lectiones* bononienſium *MSS. descripsit:* Emendare coepi (*inquit*) Libros hosce LACTANTII ex variis lectionibus duorum codicum, quorum alter ex bibliotheca S. Saluatoris bononiensis, litteris longobardicis descriptus mirae vetustatis, alter itidem Bononiae ab erudito viro Michaele Thoma Taxaquetio, ex Balearium maiore insula orto, diligentissime excussus, atque examinatus est. Earum vero emendationum copiam fecit mihi Taxaquetius cum Romae esset, neque mirifice diligeret: quae est hominis humanitas. *Haec porro eadem* Latinii *manu, ad calcem*

lactan-

Digitized by Google

lactantianae Epitomes *scripta sunt*. Emendationi huic primam adhibui manum Romae 1558. tertio Cal. Junii. *Hinc procul dubio ansam arripuerunt* Isaeus, *aliique viri eruditi, secernendi* Michaelem Thomam Taxaquetium *a* Michaele Thomasio, LACTANTII *editore. At error ab uno semel patratus, facile ad plures dimanauit: Non igitur culpandus erat* Heumannus, *quod* Michaelem Thomasium, *a* Michaele Thoma Taxaquetio *non distinxerit aut separauerit. Si ergo doctis occasio euenit eruditorum errata reprehendendi, id sobrie, id modeste fiat, velim, nec illos vnquam inueniliter exagitent.*

LACTANTII editionem, iussu Pii V. Pontificis romani adornatam, inscripsit nomine Antonii Perenoti Cardinalis. Rom. *IIII. Non. Januar.* 1569. Vsus fuit codice manuscripto, litteris maiusculis, ante octingentos, vt ille quidem existimauit, aut mille annos, ante Gothorum in Italiam irruptionem, exarato, qui in bibliotheca S. Saluatoris bononiensi adseruabatur. Describitur iste codex a Bernardo de Montfaucon in *diario* italico p. 409. a Nicolao le Nourry Tom. II. *Adparat. ad Biblioth. SS. Patrum* p. 646. a Nicol. Lenglet Dufresnoy in *Elencho MS. codicum* LACTANTII p. XXVII. cui 900. annorum aetatem superare non videtur, cum litterae non sint quadratae nec capitales. Contulit illum codicem Thomasius cum alio eiusdem Bibliothecae codice, satis vetusto, & septem optimis, Bibliothecae vaticanae exemplaribus, editisque codicibus, & discrimen lectionis, quod in sexcentis & amplius locis, deprehendit, *notis* editioni adiectis, exposuit, praecipuasque variantes marginibus adscripsit. *Carmina*, quae in libris impressis, LACTANTIO tribuuntur, in nullo antiquo codice inuenit, illa tamen & suae editioni adiecit. Accessit praeter ea illi, *index in* LACTANTIVM *per capita; interpretatio dictionum graecarum, quae in* LACTANTIO *reperiuntur, de verbo ad verbum, facta, idque vt rudium Tiro-*

Digitized by Google

Tirocinio consulatur, recensente emendanteque Marco Musuro; *index nominum & rerum in* LACTANTIO.

Quod pretium editioni, hodie satis rarae statuendum fuerit, perspici poterit ex Jo. Ludolph. Bünemanni *Praefatione* num. 35), ex Nicol. Lenglet. Dufresnoy *Catalogo variar. edition.* LACTANTII p. XXXVIIII. Conf. *Lettres choisies* de Mr. Simon Tom. II. p. 172. vbi editio vocatur *la plus éstimée de toutes.* Etsi quidem Caspar. Barthius ad Statii *Thebaid.* V. p. 101. Thomasium ob hanc editionem, *bonam optimi auctoris* vocauit *vindicem* & Petrus Faber L. II. *Semestrium* Cap. XVI. p. 237. illum *diligentissimi & eruditissimi Scholiastae, & a veterum librorum copia instructissimi*, elogio ornauerit, inter viros tamen, recentioribus temporibus, doctos fuere, quibus Thomasii labor, non omnibus, vt aiunt, numeris absolutus videretur. Sic v. c. eius editio Gronouio minus placuit, nec omnino placuit Isaeo, qui obseruat Thomasium nonnullis quidem Lactantii vulneribus opem tulisse, verum pleraque intacta, ac prope innumera remansisse, se vero sublatis mendis plus minus trecentis meliores lectiones ex optimis exemplaribus, & doctissimis scriptoribus restituisse. Nicolaus etiam Lengletus Dufresnoy in *praefat.* p. XI. Thomasium, ieiune admodum vsum esse duobus antiquissimis bononiensibus exemplaribus, & vaticanis septem quae viderat, neque illum plane & perfecte medicam manum omnibus lactantiani textus vulneribus adhibuisse, affirmat. Cum vero Richardus Simon l. cit. p. 173. de Thomasio scribit: *On ne peut douter, que ce savant homme n'ait été habile dans la critique. Mais je considere que* Thomasius *a travaillé sur* LACTANCE *par l'ordre du Pape* Pie V. *qui avoit formé un nouveau plan, pour l'impression des auteurs ecclesiastiques, afin de les rendre orthodoxes, autant qu'il seroit possible. Ce Pape avoit prescrit pour cela de certaines maximes qui ne s'accordent pas toutes avec les regles de la critique.*

Il

Digitized by Google

Il eſt donc à craindre, que Thomaſius *n'ait ſuivi trop exactement les regles preſcrites par* Pie V. *Je conviens qu'il cite pour garans de ſes corrections d'anciens Exemplaires MSs. & qu'il marque même les bibliotheques d'où il les a tirez. Mais quelque antiquité qu'ayent ces Manuſcrits, ils n'en ſont pas plus vrais. Il y a très-long tems que les Reviſeurs des MSs. ſur tout dans les monaſteres, ont pris la liberté d'en ôter ou au moins de retoucher les endroits où il y avoit des erreurs contre la foi* &c. In eo Thomaſio iniuriam feciſſe Richardum Simon, iam obſeruauit Jo. Ludolph. Bünemannus l. cit. cum ille loca tantum quaedam proſcripſerit prolixiora, a Codicibus Mſs. antiquis aliena, maxime Manichaeismum redolentia, de quibus Chriſtophorus Matthaeus Pfaffius, doctiſſime egit in *diſſertat. praeliminari* ad *epitomen diuinarum inſtitutionum*, quam integram, e codice mille annorum taurinenſi, *Paris.* 1712. in 8. in lucem edidit. Conf. Chriſtophor. Aug. Heumanni *praefatio* LACTANTII. Recuſa fuit editio Michaelis Thomaſii Taxaquetii *Antuerp. apud Plantinum* 1587. in 8. nihil tamen in ea fuit immutatum.

LI.

L. COELII LACTANTII FIRMIANI opera, quae extant omnia, videlicet Diuinarum Inſtitutionum aduerſus gentes libri ſeptem. Earundem Inſtitutionum Epitome ἀκέφαλος. De Ira Dei Liber vnus. A Joſepho Iſaeo, Caeſenate, olim Diui Petri de Vrbe Canonico, Cambettolae, Buſchi &c. Comite, ſumma diligentia recognita, & non modo ex antiquiſſimis MSS. codicibus, ac probatioribus impreſſis, ſed etiam ex Doctiſſimis ſcriptoribus emendata, & Notis illuſtrata. *Romae*

ex

Digitized by Google

ex typographia Maſcardi, Anno Jubilæo MDCL. (1650) *ſumtibus Blaſii Diuerſini, & Zenobii Maſotti,* in fol. pp. 380. excepti. praemiſſis.

Edidit Joſephus Iſaeus, LACTANTII *opera, Caeſenae, ex typographia Nerii,* 1646. in fol. cui editioni Bibliopolae romani, vt fucum emtoribus facerent, nouum praefixerunt titulum. Omne diſcrimen quod inter vtrumque librum intercedit, poſitum eſt in *titulo*, & in *dedicatione.* Editio ſic dicta prior *caeſenatenſis* dicata eſt a Sigismundo Iſaeo, Joſephi patruele, *Sacri Senatus Apoſtolici iubari praefulgido, Lumini inoccidquo,* Hieronymo Veroſpio, *Vere pio, Vero Hoſpiti Virtutum, Vero Hoſti Vitiorum.* Secundae *romanae* praefigitur dedicatio ad Theodorum *Principem* Triuultium, *Cath. Regis ad* Innocentium X. *P. M. extra ordinem Oratorem.* Editionem Iſaei rariſſimam eſſe, nos docuit nota marginalis mſ. Jo. Georg. Graevii ad *Catalog. Biblioth.* heinſianae p. 8. Jo. Ludolph. Bünemanni *praefat.* num. 43) & 44.), die *Merkwürdigkeiten der königl. Bibliothek zu* Dresden Tom. II. p. 230. Vberiore recenſione iam ſuperſedemus, cum illa editio, ſatis ſuperque a Bünemanno, & ab auctore der *Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dr. ll. citt. deſcripta fuerit. Conf. *Lettres choiſies* de Mr. Simon Tom. II. Lettr. XXV. p. 179 ſqq. Eminentiſſimi Principis A. M. Cardinalis QVIRINI, *Appendix ad vitam* Paulli II. p. 111 ſqq. Quod Joſephus Iſaeus, in noua *lexici eruditorum* editione, locum non inuenerit, miramur.

Exſpectauerant quidem viri docti, a Nicolao Lengleto Dufresnoy, poſt tot tantasque LACTANTII editiones, editionem caſtigariſſimam, omnibusque numeris abſolutam. Cum vero is editionem in lucem emitteret, tali titulo inſignitam: LVCII CAECILII FIRMIANI LACTANTII *Opera Omnia: Editio Noviſſima, Quae Omnium inſtar eſſe poteſt: ad LXXX. & amplius*

amplius MSs. Codices, editosque XL. collata & emendata, atque notis vberioribus illustrata; Cui manum primam Adhibuit Joannes-Baptista le Brun, Rothomagensis; *Extremam Imposuit* Nicolaus Lenglet Dufresnoy, *Presbyter ac Theologus* Parisiensis. *Lutetiae Parisiorum, Apud Joannem de Bure, Bibliopolam, ad Ripam Augustinienſium. MDCCXLVIII.* (1748). *Cum Approbatione & priuilegio Regis.* in 4. Tom. I. pp. 750. exceptis praemissis pp. CLII. Tom II. pp. 827. non numeratis praemiſſ. pp. LXXXII. exſpectationi, quam de opere conceperant viri docti, minime ab editore fuisse satisfactum, passim innotuit.

LII.

L. CELII LACTANTII FIRMIANI *christianorum eloquentissimi* de opificio dei vel formatione hominis liber per viginti vnum capita distributus cum eloquentia tum eruditione praeclarus. in 4. folior. 22.

Editio litteris gothicis impreſſa, Michaeli Maittaire, Jo. Ludolph. Bünemanno, & Nicolao Lenglet Dufresnoy minus cognita fuisse videtur, id quod raritatem eius satis superque prodit. In fine haec oculis se obtulerunt verba: LACTANTII FIRMIANI *viri iuxta docti & eloquentis Liber de formatione hominis. ad* Demetrianum *auditorem ſuum felici atq. caſtigatiſſimo componitur exitu.* Colonie *in officina* Quentell. *Anno ſupra ſesquimilleſimum ſexto* (1506) *ad feſtum* Gregorii *pape eruditiſſimi diem.*

Digitized by Google

LIII.

LACTANCII FIRMIANI carmen de resurrectione dominica. in 4. folior. 4.

Editio litteris gothicis exscripta, oppido rara, Nicolao Lenglet Dufresnoy, & omnibus, qui *operum* LACTANTII descripserunt editiones, incognita fuit. Quo tempore illa prodierit, non constat. In fine legitur *carmen de modo studendi*

Quisque studens seruet subscriptas conditiones
Si cupias fieri doctus in arte aliqua
Continuet studium velit, a quocumque doceri
Inuigilet vincat nec labor vllus eum.
Fortior insurgit cunctis recentior horis
Sepe roget teneat quod rogat ac doceat
Legibus hisce suum poterit superare magistrum
Atque simul famam nobilitare suam.
Qua post fata huius misere tristissima vitae
Conceditur ei perpetuatus honor
Ipsius & niuea augebuntur tempora vitta
Que datur egregiis teste Marone *viris.*

Hisce versiculis, typographus cum insignibus suis haec adposuit: *Impressum* Francfordie *per* Conradum B. Insignia, quae arborem truncatam, cum litteris C. B. referunt, libellum per Conradum Baumgarten, qui Lipsiae postea artem exercuit typographicam, impressum esse nos docent. Multis in locis, ordo versuum, in carmine discedit ab eo, quem a Nicolao Lenglet Dufresnoy Tom. II. LACTANTII p. 270 sqq. adlatum conspicimus. Inchoatur versibus:

Salue festa dies, toto venerabilis aeuo
Qua Deus infernum vicit & astra tenet.

qui in editione citata *parisina*, distichon constituunt vigesimum, cuius rei causam Michael Thomasius in *Notis* suis, hisce verbis retulit: *Auctoritate codicis vaticani*

Digitized by Google

ticani *mutaui distichon, quod est in principio poematis, vt esset post viginti disticha, quo sane in loco esse debet: nam ante nihil de passione, vel resurrectione* Christi *dicit; sed ver ipsum ex multis propriis naturae suae bonis commendatur. postquam vero facta est mentio resurrectionis, recte illud additur.* Salue festa dies *&c.* Distichon praeterea 23.

Hinc tibi nunc auium resonant virgulta susurro
Has inter nimio passer amore canit,

in nostra editione decimum sextum est & hac ratione legitur:

Omnia nunc animum resonant virgulta susurro
Has inter &c.

Distichon autem 25.

Irrecitabiliter manans de corde parentis
Verbum subsistens & patris ore potens.

cum distichis quinque posterioribus, quae vaticano ex codice, Thomasius primus addiderat, in hac editione desideratur.

Hoc autem *carmen*, non a LACTANTIO esse compositum, sed VENANTII HONORII CLEMENTIANI FORTVNATI, Italiae presbyteri, qui seculo V. inclaruit, opus esse, adfirmat idem Thomasius in *notis ad* LACTANTIVM. In codice sane vaticano, in quo leguntur *poemata* huius VENANTII FORTVNATI, qui postea pictauiensis fuit episcopus, hoc *carmen* exstitit, quod ad Felicem quemdam, ex primis Saxonum episcopis perscripsit, quod inter alia quinque disticha docent, quae Thomasius ex codice vaticano addidit, & talia sunt:

Mitibus alloquiis ugrestia corda colendo,
Munere Felicis *de vepre nata seges.*
Aspera gens Saxo, *viuens quasi more ferino,*
Te medicante sacer, bellua reddit ouem.

Digitized by Google

Centeno reditu tecum manſura per aeuum,
Meſſis abundantis horrea fruge repſes.
Immaculata tuis plebs haec agitetur in vluis,
Atque Deo purum pignus ad aſtra feras.
Vna corona tibi detur, & tribuatur ab alto,
Altera de populo vernet adepta tuo.

Praeter Michael. Thomaſium Taxaquetium id *carmen* etiam VENANTIO FORTVNATO vindicauit, & emendatum edidit Georgius Caſſander *Carali* 1573. in 8. & in *Operibus Paris.* 1616. in fol. p. 228 ſqq. Legitur etiam in collectione omnium VENANTII FORTVNATI *operum*, quae Chriſtophor. Browerus *libris vndecim, cum* eius *vita, notis ſacris, hiſtoricis & geographicis, Mogunt.* 1603. & 1617. in 4. euulgauit L. III. num. VIIII. In *Bibliotheca maxima patrum* repetitum *carmen*, cum aliis VENANT. FORTVNATI *operibus*, ad editionem browerianam, exſtat Tom. X. *Lugdun.* 1677. p. 541 ſqq. Separatim *cum notis* Auguſti Büchneri, *illuſtratum* prodiit, *Viteberg.* 1627. in 8.

Conf. praeter alios de VENANTIO FORTVNATO Polycarp. Leyſeri *Hiſtoria poetarum & poematum medii aeui* p. 151 ſqq. Jo. Albert. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit* L. VI. p. 537 ſqq. Andr. Chriſtiani Eſchenbach Diſſertat. *de poetis chriſtianis ſacris* Sect. II. §. XXVIIII. in *Diſſertationibus academicis Norimb.* 1725. in 8. p. 118. Adr. Baillet *Jugemens des Savans* Tom. III. P. I. 445 ſqq.

LIIII.

Expoſitio ſeu explanatio *ſancti* AMBROSII *Epiſcopi* in corpus euangelii ſancti luce euangeliſte in fol. form. minor. folior. 159.

Editionem maxime raram eſſe, confirmat *Catalogus Biblioth.* harleianae Tom. III. p. 105. Cl. Dauid Clement

Digitized by Google

ment in *Bibliotheque historique & critique* Tom. I. p. 262. qui tamen fallitur cum scribit: *ce livre ici est ancien, & peu connu.* Mr. Maittaire *n'en a rien sû.* Ille enim Tom. I. *Annal. typographicor.* p. 367. AMBROSIVM *de* Johannis *generatione, per Anton. Sorg. Aug. Vindelicor.* 1476. adducit e Joan. Sauberti *Historia Bibliothecae* noribergensis, *Noriberg.* 1643. in 12. p. 129. e Cornel. a Beughem *incunabulis typogr.* p. 11. & ex Ant. Pellegrin. Orlandi *origine e progressi della stampa* p. 275. Illi autem, quem adtulerunt titulo, occasionem dederunt, verba, quibus liber primus inchoatur: *Incipit liber primus sancti* AMBROSII. *De* Johannis *baptiste generatione.* Forte exemplaribus, quae viderunt viri memorati, folium codicis primum abscissum fuit, quod haec ob oculos ponit verba: *Incipit expositio seu explanatio sancti* AMBROSII *episcopi in corpus euangelii sancti* luce *euangeliste. Et diuiditur in decem capitales libros. Sed nulli eorum singularis prefatio aut prologus premittitur. Quod autem intitulatur* de generatione sancti Johannis baptiste *hoc est secundum morem antiquorum, qui voluminibus ex eorum principiis nomina imponebant. sicut & hic primus liber tantum agit* de generatione sancti Johannis. *reliqui vero non. & sic patet ratio tituli.* Decimo libro coronidis loco haec adponuntur verba: *Magni ecclesie militantis luminaris.* AMBROSII; *super* luce *euangeliste euangeliis; scripta; per* Anthonium Sorg, *incolam opidi* Augustensis; *ob naturae naturantis gloriam huiusque exilii ampliorem eruditionem; stagneis karacteribus artificialiter effigiata. Actus purissimi presidio finiunt felicissime; dominice incarnationis. Anno millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto* (1476). *Laus entium enti eiusque dulcissime matri.* Litteris haec editio gothicis impressa est.

De S. AMBROSIO, Episcopo mediolanensi, qui anno 397. diem obiisse dicitur, deque operibus eius, & variis eorum editionibus, prae multis aliis, legi merentur Antonii Possevini *Apparat. sacer* Tom. I. p.

Digitized by Google

57 ſqq. Chriſtophor. Hendreichii *Pandect.* brandeburgic. p. 144. Caſimir. Oudini *Commentar. de Scriptor. & ſcriptis eccleſ.* Tom. I. col. 655 ſqq. *Magna Bibliotheca eccleſiaſtica* Vol. I. p. 377. Jo. Alb. Fabricii *Bibliotheca med. & infim. Latinit.* L. I. p. 223 ſqq. Eiusdem *Bibliotheca latina* L. IIII. Cap. III. p. 430 ſqq. Joan. Fabricii *hiſtoria bibliothecae* fabricianae Tom. I. p. 184 ſqq. Jo. Marcelli *Oratio de* S. AMBROSIO, quae legitur inter Philippi Melanchthonis *Praefation. & Orationes* Tom. II. *Argentorat.* 1558 in 8. p. 276 ſqq. Joan. Garcaei *Hiſtoriola de* S. AMBROSIO mediolanenſi *propoſita an.* 1569. *Viteb.* 1571. in 8. Godefroy Hermant *Vie de* S. AMBROISE *Archevêque de* Milan &c. *diviſée en douze livres. à Paris chez la veuve Jean Dupuy* 1678. in 4. form. mai. *Vita* S. AMBROSII a Dom Jacobo de Friche, & Dom Nicolao le Nourry monachis ordinis S. Benedicti e congregat. S. Mauri, *collecta ex* AMBROSII *ſcriptis, & ſecundum ordinem chronologicum digeſta*, quae exſtat in Adpendice Tom. II. editionis optimae omnium AMBROSII *operum*, cuius Tom. I. *Paris. apud Joan. Baptiſt. Coignard* 1686. Tom. II. *ibid. apud viduam Jo. Bapt. Coignard* 1690. in fol. in lucem exiit. Conf. *Acta eruditor.* lipſienſ. 1688. p. 64 ſqq. & *Supplementor.* Tom. II. p. 209 ſqq. *Journal des Savans* Tom. XIIII. p. 234. & Tom. XVIIII. p. 151 ſqq. & 161 ſqq. Cum haec editio ſplendida in librariorum tabernis euaneſcere coepiſſet, recuſa & cum *miſſali* AMBROSII aucta in lucem exiit *Paris* 1726. in fol.

LV.

AVRELII AVGVSTINI *epiſcopi ipponenſis* ſoliloquiorum Libri II. in fol. form. minor. folior. 23.

Editioni antiquiſſimae & rariſſimae, litteris gothicis excuſae, neque anni neque loci, neque typographi indi-

Digitized by Google

indicium additum fuit, sed litterarum characteres paullo crassiores satis superque demonstrant, ex officina Gintheri Zaineri, reutlingensis, *augustana*, illam in lucem exiisse.

LVI.

Sancti AVGVSTINI Libri de anima & spiritu, de ebrietate, ad virgines de sobrietate & ebrietate, de quatuor virtutibus caritatis, de vanitatibus seculi, de vita christiana, de contricione cordis, in 8. folior. 8. & dimid. 7. & dimid. 10. & dimid. 8. & dimid. 6. 21. & dimid. 9. & dimid.

Editio charactere litterarum romano exscripta, inter libros rarissimos locum sibi vindicat. Neque loci, neque typographi indicium adparet. Annus editionis in fine posterioris tractatus, his verbis designatur: *Finitus est liber seu tractatus beati* AVGVSTINI *Episcopi* yponensis *de contricione cordis, cum ceteris tractatulis eiusdem. Anno ab incarnacione dominica Millesimoquadringentesimoseptuagesimosecundo* (1472) *quinto Idus Nouembris.* Michael Maittaire editionis nullam habuit notitiam.

Primum inter opuscula, quae heic inueniuntur, dicta tantum & collectanea, ex diuersis auctoribus, sine omni connexione, veluti arena sine calce, ob oculos ponit. Non ab AVGVSTINO, sed *ab alio*, vt Erasmus ait, *multae variaeque lectionis homine*, ex AVGVSTINO, Gennadio, Boethio, Isidoro hispalensi, Beda, Alcuino, Hugone Victorino, Bernardo, Isaaco stellensi abbate, & aliis, confarcinatum esse opusculum, iam pridem a viris doctissimis comprobatum fuit. Joannes Trithemius & Vincentius bellouacensis illud Hugoni a S. Victore tribuunt; cui vero sententiae, ex

Digitized by Google

ipsius Hugonis libris *de anima*, quae heic reperiuntur, excerpta repugnare videntur. Thomas de Aquino in *quaestione vnica de Anima*, artic. XII. ad I. Anonymo cuidam ordinis cistercienſis illud adſcribit. In eam igitur ſplendidiſſimae *Operum* AVGVSTINI editionis collectores Thomas Blancpain & Petr. Conſtant, ordinis Benedictinorum e congregatione S. Mauri monachi, inducti fuere ſententiam, vt ALCHERVM monachum clareuallenſem, qui ſeculo XII. exeunte inclaruit, proderent auctorem. Argumenta, quibus haec eorum ſententia nititur, vid. in *Admonitione vel cenſura* eorum, ad hoc opusculum in Tom. VI Adpendice *Paris.* 1685. in fol. Conf. Caſimir. Oudini *Commentar. de Scriptor. & Script. eccleſiaſt.* Tom. I. col. 964 ſqq.

Tertium opuſculum *de ſobrietate & caſtitate* (perperam heic legitur *ebrietate*) monachi benedictini, nulli certo auctori tribuere ſuſtinuerunt. Exſtat in Tom. VI. Adpend. col. 227 ſqq.

Libellum *de vita chriſtiana*, quem Benedictini l. cit. col. 183 ſqq. inſeruerunt, iam Gennadius maſſilienſis vero ſuo auctori vindicauerat FASTIDIO BRITONI, circa annum 420. claro. in libr. *de Scriptor. eccleſ.* Cap. LVI. p. 26. edit. Fabricii. Inuenit deinde Lucas Holſtenius FASTIDII nomen huic libro inſcriptum, in veteri codice caſinenſi, & auctori ſuo reſtitutum edidit *Romae* 1663. in 8. Conf. de FASTIDIO Britannorum Epiſcopo, Joan. Lelandus *de Scriptor.* britannic. Tom. I. Cap. XXI. p. 32 ſqq. Jo. Baleus in *Catalog. Scriptor. illuſtr. maioris* Britanniae Centur. I. Cap. 41. Jo. Pitſeus in *Relation. hiſtoric. de reb.* anglic. ad annum Chr. 420. p. 86. Guil. Caue in *Hiſtor. litterar. Scriptor. eccleſ.* p. 310. Caſimir. Oudinus l. cit. col. 971. & col. 1001 ſqq. Jo. Alb. Fabricius in *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. VI. p. 446 ſqq.

Libel-

Digitized by Google

Libellus *de contritione cordis*, reperitur in editione benedictina l. cit. col. 313. Notarunt collectores, in margine, loca, quae libelli compilator, e variis *meditationibus* atque *orationibus*, quae sub diui Anselmi nomine circumferuntur, ex libris *de modo orandi*, & *de arrha animae*, qui Hugoni a S. Victore tribuuntur, & ex Alcheri modo memorato opusculo *de spiritu & anima*, sibi reddidit propria, ex quibus tandem coniiciunt, opusculi compilatorem, quisquis ille demum fuerit, duodecimo post Christum natum seculo, non fuisse antiquiorem, libellumque AVGVSTINI nomen, perperam in fronte gerere. Conf. Casimir. Oudini *Commentar. de Scriptor. & scriptis eccles.* l. cit. col. 968.

LVII.

Liber epistolarum *beati* AVGVSTINI *episcopi hipponensis ecclesie.* in fol. folior. 296.

Praemittitur editioni, litteris romanis excusae rariori, quae CCVII. AVGVSTINI *epistolas* complectitur, *index epistolarum*, qui his inchoatur verbis: *Epistolarum diui* AVRELII AVGVSTINI Hipponensis *Episcopi: Eximiique Ecclesiae Doctoris Elegantissimo Stilo Digestarum Breuis Annotatio: Singularum Initia Materiam atque Ordinem exponens.* Tempus editionis haec typographi ob oculos ponit subscriptio: *Diui* AVRELII AVGVSTINI Hipponensis *episcopi: Liber epistolarum: vigilanti accuratissimoque studio emendatarum & impressarum: Argumentorum quoque nouorum prae notatione succincte & dilucide expositarum: atque opera magistri* Johannis de Amerbach *ciuis* Basilien. *perfectarum: Anno domini &c. XCIII.* (1493) *Foeliciter explicit.* Conf. Joan. Ludolph. Bünemanni *Catalog. libror. rariss.* p. 23 sqq. vbi haec editio IIX.

Digitized by Google

thalerorum pretio aestimatur, Michael. Maittaire *Annales typographici* Tom. I. p. 563. Cl. Dauid Clement *Bibliotheque historique & critique des livres qui sont difficiles à trouver* Tom. II. p. 264. In editione *operum* AVGVSTINI, *parisiensi* benedictina, *epistolae* leguntur Tom. II. qui anno 1679. in lucem prodiit.

LIIX.

Principalium sententiarum in explanatione libri Psalmorum *diui* AVGVSTINI Annotatio. in fol. folior. 426.

Opus in tres diuisum est partes, quarum quaelibet *quinquagenam Psalmorum* AVGVSTINI *Adnotationibus illustratam*, ob oculos ponit. Illis praemittitur *sententiarum principalium index* satis copiosus, folior. 45. & dimid. alphabeti ordine dispositus. In fine operis, talia oculis se offerunt verba: *Post exactam diligentemque emendationem (auctore Deo) profectum est insigne atque preclarum hoc opus explanationis psalmorum. diui ac magni doctoris* AVGVSTINI. *Opus re vera maiori commendatione se dignum exhibens legentibus: quam quibusuis verbis explicari possit: vt ex praefatione & prologo ipsius euidenter colligi potest. Quanto vero studio & adcuratione castigatum: emendatum & ordinatum sit: hi iudicent qui illud aliis similibus sibi: siue manuscriptis: siue aere impressis litteris contulerint. Consummatum* Basileae *per magistrum* Joannem de Amerbach *Anno dni M. CCCCXCVII.* (1497). Adducta fuit editio a Michael. Maittaire Tom. I. *Annal. typogr.* p. 641. Librum iam anno 1489. ex eadem *officina typographica basileensi*, fuisse euulgatum, docet Mich. Maittaire l. cit. p. 505. Jo. Nicol. Weislinger in *Catalog. libror. impressor. in bibliotheca ordinis* S. Joannis Hierosolymitani *asseruator.*

Digitized by Google

tor. Argentorati, p. 14. In editione *operum* AVGVSTINI omnium, monachorum benedictinor. *parisiensi, Commentarius in Psalmum*, Tomum IIII. an. 1681. euulgatum, constituit. Duplex autem *prologus*, quorum alter ab auctore quodam recentiore profectus est, alter ipsa est S. Basilii *praefatio*, *ad commentationem* suam *in Psalmos*, *ex* interpretatione Rufini presbyteri, aquileiensis, ab editoribus benedictinis reiectus fuit, *ne*, vt in prolegomenis huius Tomi scribunt, *alicui deinceps incauto fucum faceret*, *neue* AVGVSTINI *esse putaretur*.

LVIIII.

Speculum peccatoris. in fol. form. minor. folior. 5.

Editio vetustissima, ne addito quidem loci, typographi, & anni indicio, in lucem prodiit, sed nullum est dubium, quin ex Gintheri Zaineri, ex Reutlingen, typographi *augustani* officina fuerit prolata, cum typorum character gothicus paullo crassior & rudior, illi omni ex parte similis est, quo Zainerus alios libros exscripsit. Nondum constat quis auctor sit *Speculi peccatoris*. Plerumque AVGVSTINI, Episcopi hipponensis, nomine adscripto euulgari solet, & in *operum* Augustini collectionibus v. c. in *parisiensi* Tom. VI. 1685. in Adpendice col. 155 sqq. exstat, sed editores, ordinis benedictini, e congregatione S. Mauri, monachi doctissimi, demonstrarunt ab auctore opusculum esse compositum, cuius aetas in seculum a Christo nato XII. inciderit. Verba enim Cap. VII. (fol. 5. a. nostrae edit.) conspicua: *si venenosus serpens diabolus ausus fuit cum furore impetum facere in sanctissimam animam beati* Martini *qui erat gemma sacerdotum, quam, angelis presentibus euntem in celum curabat*

rabat impedire, timendum eſt tibi &c. certiſſime reſpiciunt ad laudes B. Martini turonenſis quae a S. Odone cluniacenſi Seculo X. conſcripte dicuntur. Leguntur *Opera* S. Odonis in *Bibliotheca* cluniacenſi, *collecta a* D. Martino Marrier, *monacho*, *&* Andr. Quercetano, *Paris. ex officina Niuelliana* 1614. in fol. p. 65 ſqq. & in *Bibliotheca maxima patrum* Tom. XVII. *Lugdun.* 1677. p. 250 ſqq. *Praebendae* praeterea vocabulum, quod ante ſeculi X. tempora, pro beneficio eccleſiaſtico, Caſimiro Oudino teſte Tom. I. *Commentar. de Scriptor. & ſcriptis eccleſ.* col. 970. nondum vſurpatum fuit, & alia plura, ſatis ſuperque declarant, Opuſculi auctorem, AVGVSTINO quinque fere ſeculis eſſe iuniorem.

Inter Auctores, qui vitam AVRELII AVGVSTINI Epiſcopi hipponenſis, data, quod aiunt, opera deſcripſerunt, prae ceteris nominari merentur Cornelius Lancilottus, Eremita auguſtinianus, mechlinienſis, cuius *vita* S. AVREL. AVGVSTINI hipponenſ. *Epiſcopi*, *Antuerp. ex officina plantiniana ap. Viduam & filios Jo. Moreti* 1616. in 8. prodiit. Joannes Rivius, monachus auguſtinianus, & doctor theologiae louanienſis, regens ſtudii & Prior leodienſis, ordinisque, cui adſcriptus erat, per Belgium Viſitator & prouincialis, qui dedit *vitae* D. AVRELII AVGVSTINI *ex Operibus eius concinnatae, rerumque ab eo geſtarum & ſcriptarum libros IIII. Antuerp. ex officina Hieron. Verduſſii* 1646. in 4. Thomas Blancpain & Petr. Couſtant, qui *vitam* AVGVSTINI *ex eius* potiſſimum *ſcriptis* concinnatam, *libris IIX.* exhibuerunt Tomo XI. *Operum* AVGVSTINI, *Paris.* 1700. Conf. Caſimir. Oudini *Commentar. de Scriptor. & ſcriptis eccleſ.* l. cit. P. Baile *Dictionaire hiſtorique & critique* Tom. I. p. 389 ſqq. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. latin.* L. IIII. Cap. III. p. 508 ſqq. Eiusd. *Biblioth. med. & infim. Latinitat.* L. I. p. 398 ſqq. Jo. Michael. Franckii *Catalogus Bibliothecae* bünauianae Tom. I. Vol. II. p. 1051

Digitized by Google

p. 1051 ſqq. vbi plures nominantur ſcriptores, qui res ad S. AVGVSTINVM ſpectantes, editis libris expoſuerunt. Editiones *operum* variorum S. AVGVSTINI, quae in librorum rariorum veniunt cenſum, deſcribuntur ab eminentiſſimo Principe A. M. Cardinale QVIRINO in *Adpendice* ad *vitam* Paulli II. *Pontif.* rom. §. III. p. 127 ſqq. a Viro clariſſ. Dauid. Clement in *Bibliotheque curieuſe hiſtorique & critique des livres qui ſont difficiles à trouver*, Tom. II. p. 260 ſqq.

LX.

S. BERNARDI, *Abbatis clareuallenſis*, Epiſtolae. in fol. formae maioris, folior. 89.

Editio rariſſima, non omnes *epiſtolas* S. BERNARDI complectitur, quae in aliis collectionibus inueniuntur. *Epiſtolas* tantummodo CCXCVI. ob oculos ponit, & litteris exſcripta gothicis, nulla anni, loci, & typographi mentione facta, in lucem exiit. Praeterea nulla adparet littera initialis, quae minio pictae ſunt, id quod numeris adponendis etiam factum eſt. *Epiſtolas* antecedit *tabula* folior. 3. quae *argumenta*, ipſis *epiſtolis* praemiſſa, complectitur. *Prima epiſtola, ad* Robertum, *nepotem ſuum*, qui de ordine Ciſtercienſium, ad Cluniacenſes tranſierat, a BERNARDO ſcripta eſt. Cum in *argumento* miraculum narratur, quod cum hac *epiſtola* contigit, illud heic adſcribimus: *Frater* Robertus, *ſancti viri* BERNARDI *monachus & ſecundum carnem propinquus, in adoleſcentia ſua, quorundam perſuaſione deceptus* Cluniacum *ſe contulerat. Venerabilis autem pater poſteaquam diſſimulauit, eundem fratrem ſtatuit per epiſtolam reuocare. Quo dictante. Venerabilis.* Guil. Rieual. (rieuallenſis, de quo vid. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Lat.* L. VII. p. 484) *poſtea monaſterii primus Abbas in membrana ſcribens eandem excipiebat epiſtolam. Erant autem*

Digitized by Google

tem ambo pariter ſub diuo ſedentes. Ad dictandum quippe ſecrecius ſepta monaſterii egreſſi ſunt fuerant (vnum e duobus verbis poſterioribus *ſunt, fuerant*, typothetarum errore additum fuit) *Subito autem inopinatus ymber erupit. & ipſe qui ſcribebat ſic ipſo referente didicimus cartam reponere voluit. Ad quem pater ſanctus. Opus inquit dei eſt ſcribere ne timeas. Scripſit ergo epiſtolam in medio ymbre ſine ymbre. Cum enim vndique plueret. cartam expoſitam virtus operuit caritatis. Et qui dictabat epiſtolam. cedulam quam perite conſuabat. Et hec quidem epiſtola ob tam grande miraculum in codice epiſtolarum eius a fratribus nec in merito prima ordinata eſt.* Epiſtolis in hac editione adiicitur 1) *Tractatus* B. BERNARDI *de miſeria & breuitate huius vite & de vera ſcientia*, 2) *de temptacionibus & ocio*, 3) *de bona & mala voluntate*, 4) *ſuper emendatione vite hominis religioſi*, 5) *liber de gratia & libero arbitrio*, 6) *Apologia ad* Cluniacenſes *de concordia ordinum ſiue excuſatio eius ad eosdem.*

LXI.

Opuscula *diui* BERNARDI *Abbatis Clarevallenſis:* vna cum epiſtola ſua ad Clerum ſpirenſem & populum vniuerſum cum commendatione ciuitatis ſpirenſis nec non cum quibusdam aliis ſpecialibus tractatibus prius non impreſſis: quorum tituli in fine libri habentur in 4. folior. 289.

Hac editione, quae charactere litterarum gothico excuſa eſt, vſus iam fuit Joannes Mabillon, cum, Michaele Germain, Theodorico Ruinart, & Edmundo Martene adiutoribus, omnia S. BERNARDI *opera Paris.* 1662. VIIII. Tom. in 8. *eod. anno & ibid.* II. Vol. in fol. *ibid.* 1692. II. Vol. in fol. & tandem *Paris.*

Digitized by Google

vis. 1719. II. Vol. in fol. in lucem emitteret. Ponit illa *opuscula LVII.* ob oculos, quibus praemittitur Philothei monachi, *de vita & moribus diui* BERNARDI *Abbatis* Clareuallis: *congregationis* ciſtercienſis: *ex ordine Btiſſimi* (beatiſſimi) *patris* Benedicti *carmen encomiaſticon*, quod Joannes Mabillon inſeruit Tom. VI. p. 1310 ſqq. edit. *Paris.* 1719. Hugo autem Caſſano, ordinis ciſtercienſis monachus, in ſermonem conuertit hetruſcum & edidit *Cremae* 1720. in 8. vid. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. XV. p. 870. In fine voluminis typographus, coronidis loco, haec adpoſuit verba: *Impenſis & opera prouidi viri* Petri Drach. *ciuis* Spirenſis. *libellus iſte. opuſculorum diui* BERNARDI Clareuallenſis *Abbatis. pluribus prius non impreſſis opuſculis. doctoris eiusdem. diligenti caſtigatione prehabita. ianctis atque connexis. finem feliciter attigit. Anno a natali Xpi milleſimo quingenteſimo primo* (1501) *tertio nonas decembris.* Iſtam collectionem non paucis ſpuriis, & BERNARDO falſo tributis opusculis refertam eſſe, adfirmat Caſimir. Oudinus Tom. II. *Commentar. de Scriptor. & ſcriptis eccleſiaſt.* col. 1233.

LXII.

Flores ſeu libri decem ſententiarum excerpti, ex Operibus & ſcriptis S. BERNARDI Auctore anonymo. in fol. folior. 150.

Auctorem anonymum, qui opus compilauit, ignoramus. Editio typis gothicis impreſſa, titulo, & litteris initialibus, quas florentes vocare conſueuerunt, omnibus deſtituitur. Illius initio collocata eſt *Relatio de* B. BERNARDO, *abbate*, cuius in calce hi rhythmi, in operis commendationem, ſubiecti conſpiciuntur:

Pax

Digitized by Google

Pax eſt in verbis id odoriferis opus herbis
Nempe gerit flores BERNARDI *nobiliores.*

Prologus, qui hiſce verbis initium ducit: *Cum non eſſem alicui exercitio magnopere occupatus: placuit mihi vt opuscula viri illuſtriſſimi beati* BERNARDI *egregii abbatis* Clareuallenſis *diligenter inſpiciendo percurrerem* &c. operis, quod in X. libros diuiſum eſt exhibet conſpectum.

I. Liber *tractat de Deo patre, filio, & ſpiritu ſancto.* Cap. XXVIIII.

II. *de homine & anima.* Cap. XXIIX.

III. *de Praelatis, praedicatoribus verbi dei, pontificibus, epiſcopis &c.* Cap. XXX.

IIII. *de Clericis & monachis.* Cap. XXIIII.

V. *de virtutibus.* Cap. XXXXIIX.

VI. *de vitiis.* Cap. XXXIIII.

VII. IIX. VIIII. & X. *varias proponit diſtinctiones, varia vtilia complexas.*

Libro X. Adpendicis loco adiicitur: *de quibusdam ſermonibus venerabilis patris* BERNARDI *In quibus continentur verba quaedam melliflua de beatiſſima Dei genitrice* Maria. *De dignitate & excellentia beate* Marie *virginis.* In fine *Adnotationis*, ſiue indicis *capitulorum* Libri primi, tales obiiciuntur oculis verſiculi leonini:

Fragrat BERNARDVS *ſacer in dictis quaſi nardus*
E quibus hic tractus liber eſt in ſcripta redactus.

In verbis autem finalibus inſignis ſe prodit error typographicus: *Flores de diuerſis ſermonibus & epiſtolis beati* BERNARDI *collecti & per me* Johannem Koelhoff de Lubeck Colon. *ciuem impreſſi Anno gratie. M. CCCC.* (1400) *Feliciter finiunt.* Emendatus fuit, in noſtro codice, error a nonnemine, qui manu adſcripſit 82. (1482). Eiusdem editionis exemplar adſeruari in *Bibliotheca ordinis* S. Joannis hieroſolymitani argentora-

Digitized by Google

toratenſi, in quo, eadem ratione, error typographicus, adſcripto anno 82. emendatus fuerit, teſtatur Jo. Nicol. Weislinger, in *Catalogo libror. impreſſor.* iſtius *Bibliothecae* p. 32. In editione omnium *operum* D. BERNARDI, *pariſienſi* Tom. IIII. p. 1527. exſtant etiam *flores ex operibus* BERNARDI excerpti, illos tamen a libro quem deſcripſimus diuerſos eſſe, initium teſtatur, quod l. cit. tale eſt: *periclitatur caſtitas in deliciis, humilitas in diuitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, caritas in hoc nequam ſeculo* &c. In noſtro autem codice liber I. hiſce verbis inchoatur: *Quid eſt Deus Qui eſt. Merito quidem nil competentius eternitati. quam eſt Deus* &c.

Scripſit quidam Matthaeus Andebertus *flores Operum* D. BERNARDI *decem libris*, quos *Lugduni* impreſſere Benedictus Rigaudus & Joannes Sangrinus 1556. vid. Joſ. Simleri *Bibliotheca* p. 490. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. II. p. 619. vbi editioni *operum antuerpienſi* 1575. in fol. inſerti dicuntur. Num iſte Matthaeus Andebertus *florum* ſit auctor, aut, nouam tantummodo curauerit editionem, aut liber, ab illo, quem recenſuimus, plane ſit diuerſus, ii viderint, quibus vtrumque conferendi fuerit poteſtas. In Anton. Poſſeuini *Adparat ſacr.* Tom. II. p. 417. in Chriſtophor. Hendreich *Pandect.* brandeb. p. 325. & in *lexico eruditor.* Tom. I. col. 625 Matthaeus vocatur Audebertus.

De S. BERNARDO & rebus ad eum ſpectantibus, praeter Guillielmi, Abbatis S. Theodorici, Arnoldi, Abbatis bonaeuallenſis, Gaufridi, clareuallenſis, & Alani, Epiſcopi antiſſiodorenſis *vitas* D. BERNARDI, & Philothei *carmen*, quae omnia a Joanne Mabillonio *Operum* D. BERNARDI Tom. VI. p. 737 ſqq. & Tom. I. p. 26 ſqq. edit. *pariſienſ.* 1667. in 8. inſerta fuerunt, legi merentur Filippo di S. Gio. Battiſta dei Malabaila d'Aſti *Vita del divoto & mellifluo Dottore* BERNARDO *Abbate di* Chiaravalle. *Napoli nella*

Digitized by Google

Stamperia di Gio. Dom. Montanaro & Giac. Gaffaro, 1634. in 4. Theophili Raynaud *Trias fortium* Dauid 1. Robertus de Arbrifello, *fundator* fontebraldenſis 2. S. BERNARDVS *vpis* gallica, Claraeuallenſium *pater* 3. *Homo Dei*, Caeſar de Bus, *Auctor congregationis doctrinae chriſtianae*, *Lugduni ex typogr. Jacob. Canier.* 1657. in 4. & in *Operibus* Theoph. Raynaud Tom. VIIII. Petri Franciſci Chifletii, S. BERNARDI *genus illuſtre adſertum. Accedunt* Odonis de Diogilo, Joannis Eremitae, Herberti *Turrium* Sardiniae *Archiep. & aliorum ſcriptorum opuſcula Seculi XII. Hiſtoriam eccleſiaſticam ſpectantia*, *Diuione typis Phil. Chauance* 1660. in 4. Anonymi *la Vie de* S. BERNARD *premier Abbé de* Clairvaux, *diviſée en ſix livres, dont les trois premiers ſont traduits du Latin de trois celebres Abbez de ſon tems, & contiennent l'hiſtoire de ſa vie, & les trois derniers ſont tirez de ſes ouvrages, & repreſentent ſon Eſprit & ſa conduite.* Illius libri *quinta editio* prodiit *à Paris chez Antoine Dezallier* 1684. in 8. mai. Conf. praeter ſcriptores alios multos Caſimir. Oudini *Commentar. de Scriptor. & ſcriptis eccleſ.* Tom. II. col. 1233 ſqq. Jo. Alb. Fabricii *Bibliotb. med. & infim. Latinit.* L. II. p. 598 ſqq. P. Baile *Dictionaire hiſtorique & critique* Tom. I. p. 531 ſqq. & qui S. BERNARDVM contra poſterioris inſultus, quibus gloriam illius contaminare non erubuit, ſtrenue defendit Mr. Merlin *Apologie de* S. BERNARD *contre les calomnies, qui ſont repanduës dans le Dictionaire de* Mr. Baile. Exſtat *Apologia* in *Memoires de* Trevoux, *mois de Mars* 1739. p. 582 ſqq. *Août*, p. 1711 ſqq. Chriſtophor. Colbergii *Schediasma hiſtoricum de* BERNARDO *Abbate* clarevallenſi *ab* Alexandro III. *Papa in numerum ſanctorum relato, Regiomont.* 1725. in 4. Aliae librorum variorum S. BERNARDI editiones, quae raro noſtra aetate in conſpectum prodeunt, deſcribuntur in *Analectis* noſtris *litterar.* p. 87 ſqq. & in Cl. Dauid. Clement

Digitized by Google

ment *Bibliotheque historique & critique qui sont difficiles à trouver* Tom. III. p. 191 sqq.

LXIII.

Declamatio lepidissima Ebriosi: Scortatoris: Aleatoris: de vitiositate disceptantium. Condita a PHILIPPO BEROALDO. in 4. folior. 15.

Reperitur haec *declamatio*, in *variis* PHILIPPI BEROALDI *opusculis*, quorum diuersae exstant editiones, vid. *Analecta litterar. de libris rarior.* p. 89. Cl. Dauid Clement *Bibliotheque historique & critique* Tom. III. p. 226 sqq. In editione *parisiensi ascensiana* 1513. in 4. legitur fol. 61 sqq. Antecedit illam PH. BEROALDI *epistola ad venerabilem & eruditum* Sigismundum Gossingerum *ecclesiae* vratislauiensis *Canonicum*, quam sequitur *orationis argumentum* his verbis conceptum: *Pater qui tres filios habebat, vnum* scortatorem, *alterum* aleatorem, *tertium* ebriosum, *moriens in testamento ita scripsit.* Ex filiis caeteris turpior, vitiosiorque exhaeres esto. *Post mortem patris contendunt fratres quisnam exhaeredatus esse dicatur. Res agitur apud iudices per quandam quasi anticategoriam: hoc est mutuam accusationem: quam quidam concertatiuam nuncupant. In plerisque controversiis priſci declamatores, vti consueuerunt persona aduocati propter aliquam ipsius, qui caussam dicit deformitatem, & vitii turpitudinem. Hic quamquam fratrum personae inhonestae sint & turpes: vt illis pro se loqui nefas esse debuerit, ego tamen existimaui totam caussam planius explicari: & vehementius agi posse: si ipsi semet mutuis criminationibus pulsarent, quam si per aduocatum res ageretur. Primas partes* ebrioso *dedi: vt contra duos vnus dicat: vt mox vnus a duobus retaxetur. Conditio huiusce caussae illa est, vt pro sua*

Digitized by Google

quisque salute sollicitus nihil de proximo cogitet. Lector attende laetaberis. Declamationis editionem, cuius titulum adscripsimus, curauit Maternus pistoriensis, qui illam dicauit Andreae *Archiepiscopo* delicienſi *Rapsodorum eruditissimo humanissimoque.* In *epistola* dedicatoria *Erphordiae ad Sextum Calen. Octobr.* 1501. scripta inter alia haec leguntur: *— quem iandiu* beroaldinam *declamationem dudum mihi visam de tribus paris fere sortis filiolis supra modum lepidam desyderassem: Litterisque totiens ab Elementario meo praeceptore maiusculis forte negotiis occupato: nequicquam expostulassem: qui paucis ante diebus* Bononia *tam litterarum quam librorum dives in* Tribotum *metropolim* Argentinam *residendi: vt vocant: gratia concessit: insperato tuus in me noster* Lupambulus αὐτόχθος (Wolfgangus Schenck) *sodalis lepidus singulari Dei Opt. max. prouidentia: pro auro: quod conquisitum in vestris fodinis montanis exierat: nobis tandem detulit* &c. In fine typographus, sua adposuit scuta, his additis verbis: *Impressum* Erphordiae *ab* Lupambulo Pocillatore *alias* Schenck *diligenter & emendate. Anno salutis millesimo quingentesimo primo:* (1501) *dum* Bacchi *munera Passim Mortales Lecturirent.* De aliis *declamationis* editionibus, quae seorsum prodierunt, vid. Niceron *Memoires* Tom. XXV. p. 384 sqq. Dauid Clement *Bibliotheque historique & critique* l. cit. p. 229. Omnium sine dubio editio prima est, quae eodem, quo nostra, euulgata fuit titulo in 4. & in fine haec prodit verba: *Impressum* Bononiae *a* Benedicto Hectoris *diligenter & emendate. Anno Salutis Millesimo vndequingentesimo* (1499) *Illus.* Jo. Ben. *Reipu.* Bononiensis *habenas feliciter moderante* vid. Michael Maittaire *Annal. typogr.* Tom. I. p. 689. Inserta fuit collectiunculae quae hunc praefixum habet titulum: *Declamatio* PHILIPPI BEROALDI *de tribus fratribus ebrioso: scortatore & lusore.* Germania Jacobi Wimpffelingii *ad Rempublicam* Argen. *ad vniuersitatem* heydelbergen: *Oratio* Jo. Wimpfe. S. *de annunciatione angelica.*

Disti-

Digitized by Google

Distichon ad Lectorem.

Dulcis ephaebe tibi placeat labor hic BEROALDI
Nec te corrumpant ocia: vina: Venus.

Impress. per industrium Johannem priiss *ciuem* argentinen. *Tredecimo Kalendas Januarii. Anno 1501.* in 4. Legitur etiam in Hilarii Drudonis *practica artis amandi, ad proxim huius seculi potissimum adcommodata, Vrsellis* 1606. in 12. p. 110 sqq. & in Caspar. Dornauii *Amphitheatro sapientiae socraticae ioco-seriae, Francof.* 1670. in fol. Tom. II. p. 57 sqq. Duplex exstat gallica versio, admodum rara, altera, sermone soluto, auctore Calvy de la Fontaine composita, hoc instructa est titulo: *Trois Declamations, èsquelles l'Yvrogne, le Putier, & le Joüeur des Dez, freres, débatent, lequel d'eux trois, comme le plus vicieux, sera privé de la succession de leur pere. Invention latine de* PHILIPPE BEROALDE, *poursuivie & amplifiée par le Traducteur. Avec un Dialogue de* Lucian, *intitulé:* Mercure & *Vertu. Paris Vincent. Sertenas* 1556. in 16. Altera sermone ligato edita titulo: *Procès des trois freres, à Lyon 1558.* in 8. auctorem habet Gilbertum d'Amalis. vid. Niceron l. cit. p. 385 sqq. Bernard de la Monnoye *Remarques* sur *les Jugemens des Savans* d'Adrien Baillet Tom. VI. P. II. p. 178 sqq.

LXIIII.

PHILIPPI BEROALDI opusculum eruditum Quo continetur Declamatio Phi: Medici. Oratoris. De excellentia disceptantium. in 4. folior. 9.

Haec quoque BEROALDI *declamatio opusculis* eius *variis* inserta fuit. In editione *parisiensi* 1513. in 4. exstat fol. 55 sqq. Scripta est *ad clarissimum* Paullum Sidlouitium, *Scholasticum* Polonum. *Argumentum* tale est: *Pater qui tres liberos habebat* Philoso-

Digitized by Google

phum, medicum, oratorem, *moriens teſtamento eum haeredem fecit qui eſſet vtiliſſimus ciuitati. poſt mortem patris contendunt tres fratres, cui haereditas paterna cedere debeat.* In fine *orationis pro oratore*, credibile eſſe, ait BEROALDVS, poſt peroratam a tribus fratribus controuerſiam, iudices ipſos concordi conſenſu, omnibus ſententiis pronunciaſſe *pro oratore*, illique adiudicaſſe paternam haereditatem. Quo tempore editio, litteris romanis exſcripta, in lucem protruſa fuerit, non conſtat. Omni enim loci, anni, & typographi indicio deſtituta eſt, illam tamen, niſi omnia nos plane fallunt, *Erphordiae* apud eumdem Wolfgangum Schenck, qui praecedentem *declamationem* typis exſcripſit, impreſſam eſſe exiſtimamus. Alias editiones recenſet Niceron l. cit. p. 383. & Cl. Dauid Clement l. cit. p. 228 ſqq. Editionem primam eſſe cenſemus, quae hoc inſcribitur titulo: PHILIPPI BEROALDI *opusculum eruditum: Quo continentur Declamatio Philoſophi medici oratoris de excellentia d:ſceptantium & libellus de optimo ſtatu & principe.* In fine voluminis haec leguntur verba: *Impreſſum* Bononiae *per* Benedictum Hectoris *Bibliopolam* Bon. *anno dni. M. IIID.* (1497) *Eid. Decemb.* Jo. Bentiuolo *feliciter regnante.* in 4. folior. 10. & dimid. In Hilarii Drudonis *Practica artis amandi*, locum invenit p. 152 ſqq.

LXV. Mi-

Digitized by Google

LXV.

Mithica hiſtoria IOANNIS BOCCATII *poete laureati* de Tito romano Giſippoque Athenienſii philoſophie tironibus ac commilitonibus amicitie vim elucidans nuper per PHILIPPVM BEROALDVM ex italico in latinum transuerſa.

Tetraſtichon dicolon magiſtri Balthaſar Kittel pirnen.

Noſcere qui cupies vim quantam federa quanta
Laudesque optaris noſcere amicitie
Hanc diſce hiſtoriam cuius BOCCATIVS auctor
Que laudes varias nectit amicitie.

in 4. folior. 10.

Charactere litterarum gothico excuſa editio rara, non facta anni loci & typographi mentione in lucem prodiit, & ſine dubio *Lipſiae*, prioribus ſeculi XVI. annis lucem vidit. Editor Balthaſar Kittel illam ſub auſpiciis Eberhardi Beyer de Lor, *artium baccalaurei*, prodire iuſſit. *Hiſtoriam* quam BOCCACIVS, ſermone hetruſco, in *nouella* quadam libri, qui inſcribitur il *Decamerone*, narrauit, Romae, eo tempore accidiſſe memorat, quo Octauius Caeſar, in triumuiratu romanum regebat imperium. PHILIPPVS BEROALDVS illam, ex hetruſco ſermone, exercendi ingenii cauſſa, in latinum ſermonem, hac quidem ratione tranſtulit, vt ne verbum e verbo ſed ſenſum exprimeret de ſenſu, quaedam praetermitteret, nonnulla adderet, eatenus, vt decorem in translatione pro virili parte conſeruaret. Ipſe BEROALDVS id docet, in *epiſtola ad* Minum Roſcium, *ſenatorem* bononienſem, quae in editione, cuius lectori exhibuimus titulum, omiſſa in *Operum* vero PHILIPPI BEROALDI collectionibus, v. c. in editione *pariſienſi aſcenſiana*. 1513. P. I. fol. 35. b. *mythicae hiſtoriae* praemiſſa fuit. Conf. Niceron

ceron *Memoires* Tom. XXV. p. 388. Dauid Clement *Bibliotheque hiſtorique & critique* Tom. III. p. 221 ſqq. Ex latino PHILIPPI BEROALDI idiomate, *hiſtoriam*, cum aliis opuſculis, quae ille ex hetruſco ſermone, & ſoluta & ligata oratione latina conuerterat, gallica donauit ciuitate Franciſcus Habert d'Yſſoudun, opusque ſuum, hoc in vulgus edidit titulo: *L'hiſtoire de* Titus *& Giſippus, traduite du Latin de* PHILIPPE BEROALDE. *L'hiſtoire de* Tancredus *Roi de* Salerne, *contenant les pitoyables amours de* Guichard *& de* Gismonde *fille du dict* Tancredus, *invention du même* BEROALDE (errat verſionis auctor, BEROALDVS enim *hiſtoriam* ex BOCCACII *Decamerone* conuertit) *L'homme prudent du dit* BEROALDE. *Le tout en vers François, Paris* 1551. in 8. Diuerſa omnino eſt verſio, quae exſtat in libro, qui hunc praefixum habet titulum: *Le petit Oeuvre d'Amour, & Gaige d'Amitié, contenant pluſieurs dits amoureux, traduits du Grec ou latin en rime Françoiſe; & ſur la fin eſt décrite en proſe l'hiſtoire de* Titus *& Giſippus. Paris Jean Barbedorge* 1537. in 8. Hic etiam ὡς ἐν παροδῷ verſionis latinae mentionem facere licebit, quam poſt BEROALDVM compoſuit Matthaeus Bandellus, ex Caſtro nouo (Caſtelnuovo) dioeceſeos tortonenſis orivndus, monachus initio ordinis Praedicatorum & poſtea agenſis, in tractu burdegalenſi epiſcopus, cum illa inſignis erroris cauſſa & occaſio fuit. Cum enim nomen hetruſcum *Giſippo* per *Egeſippum* latine exprimeret, & BOCCACII *nouellam* titulo: Titi Romani, Egeſippi*que* Athenienſis, *Amicorum hiſtoria in latinum verſa, Mediolani* 1509. in 8. in lucem prodire iuberet, Antonius Senenſis, Luſitanus, in *Chronica & Bibliotheca Ordinis Praedicatorum, Paris.* 1585. in 8, re non ſatis intellecta Matthaeum Bandellum Egeſippum (*de excidio hieroſolymitano*) ex latina lingua in vernaculam vertiſſe prodidit. Iſtius poſtea erroris Antonius Poſſeuinus in *Adparatu Sacro* Tom. II. p. 417. Gerard. Joan. Voſſius *de hiſtoricis latinis* L. III. Cap. XII.

Digitized by Google

XII. p. 606. & quod miramur, ipſe Petr. Baile in *Dictionaire hiſtorique & critique* Tom. I. p. 435. Auctor *lexici eruditorum* Tom. I. col. 756. aliique plures, participes facti fuerunt. Conf. de Matthaeo Bandello, Ambroſii de Altamura *Bibliotheca dominicana Rom.* 1677. in fol. p. 234. Andr. Rouettae de Brixia *Bibliotheca illuſtrium virorum prouinciae* Lombardiae *ſacri ordinis Praedicator. Bonon.* 1691. in fol. p. 98. Jacob. Quetif & Jacob. Echardi *Scriptor. ordinis Praedicatorum* Tom. II. p. 155.

De JOANNE BOCCACIO vid. quae in *Analectis litterar. de libris rarioribus* p. 134. & in *Adparat. litterar.* Tom. I. p. 441. diximus.

Scriptores, qui res ad PHILIPPVM BEROALDVM, ſeniorem, pertinentes, expoſuerunt, nominauimus Tom. I. p. 255 ſqq. Inter illos, principem facile tenet locum Joannes Pinus, Toloſanus, BEROALDI diſcipulus, *vir*, vt Symphorianus Champerius *de viris illuſtribus nec non praeclaris totius* Galliae *ſcriptoribus* L. III. *Trophei* Gallorum fol. 125. ſcribit, *vtriusque iuris doctiſſimus, litterarum humanarum amantiſſimus, carmine exercitatus & proſa.*

De editore Balthaſar. Kittel, pirnenſi, artium magiſtro, praeter hunc libellum, nihil notis innotuit.

LXVI.

Opuſcula ENEE SILVII de duobus amantibus. Et de remedio amoris. cum epiſtola retractatoria eiusdem PII *ſecundi* ad quendam Karolum. in 4. folior. 23.

Opuſculi, quod in den *Nachrichten von einer* halliſchen *Bibliothek* Tom. II. p. 181. a raritate commendatur, oppido rara haec eſt editio, litteris gothicis, admodum nitidis exſcripta, cui typographus, quae ſequun-

quuntur verba, coronidis loco adposuit: PII *secundi pontificis maximi. cui ante summum episcopatum. proximum quidem imperiali secretario. mox episcopo. deinde etiam Cardinali senensi.* ENEE SILVIO *nomen erat. opuscula. de duobus amantibus. & de remedio amoris. cum epistola retractoria ad* ypolitum *feliciter finiunt. Impressa* liptzk *per* Conradum Kacheloffen. Tempus editionis quidem non adnotatum est, sed nullum est dubium, quin Seculo XV. editio prodierit, propterea quod litteris initialibus illa destituitur. Conscripsit AENEAS SYLVIVS, *duorum amantium historiam*, quam Senis accidisse perhibet, cum Imperator Sigismundus illic degeret, Viennae Non. Jul. anno 1444. Latere sub Euriali persona existimant Casparem Schlick, Cancellarium Caesaris, & sub Lucretia, feminam quamdam senensem, quae viri, ex proceribus senensibus, vxor fuerat. Id sane iam adfirmare sustinuit Nicolaus de Wyla, ciuitatis eslingensis Secretarius, qui superstite adhuc PIO II. vixit, in versione huius opusculi, quae nonsolum seorsum aliquoties prodiit, sed etiam in collectione omnium versionum, quae Nicolaum de Wyla auctorem habent, hoc edita titulo: *Transzlatzion oder tütschungen des hochgeachten* Nicolai von Wyle: *den zytẽ Statschriber der Stat* Esselingen: *etlicher bücher* ENEE SILVII: Pogii florentini: Felicis hemerlin: *doctoris. Mit sampt andern schrysften: dern XVIII. nach einander vnderschydenlichen mit iren figuren vnd titeln begriffen sint. Straszburg.* 1510. in fol. loco primo reposita fuit. Verba illius in epistola dedicatoria ad Mechtilden Archiducissam Austriae viduam, natalibus illustrissimam comitem palatinam ad Rhenum, scripta Eslingae anno 1462 haec sunt: *Zu zyten des consilii zu* basel *als keiser* Sigmund *dotzemal in kuniglicher wirde gen* Rom *zoch: vm̃ keiserliche krönung daselbs zeerholen, begab sich vf dem weg, das* Eugenius *zu den selben zyten babst, etwas vnwillens gegen ym enpfangen hat: deszhalb dann derselb* Sigmundus *ettlich monat*

tzu

Digitized by Google

tzu Senis *ſtill lag: vnd durch ladungsbrief (die er von dem ſelben concili über den benanten* Eugenium *erlanget) ſo vil ſchuf: das derſelb babſt zu letſt jnnen vnwillen gegen ym abſtellende, yn wol empfieng, baſz hielt, vnd allerbeſte von ym gekrönet komen liesz. In dem begab ſich zwüſchen herrn* Caſpern Schlicken *keiſerlichen cantzler, vñ einer edeln burgerin daſelbs zu* Senis, *ein wunderſame bulſchaft: die darnach über etlich iar der hochgelert poeta* ENEAS SILVIVS *dotzemal keiſerlicher ſecretari vnd yetz zu diſer zyt vnſer babſt* (babſt) PIVS *genant, in zyerlichem latin thet beſchriben. doch mit verkerung der namen ſoellicher perſonen die in das argument getzogen werden: vmb das die nit kemen in bekennung der menſchen die das leſen wurden* &c. Quod etiam iſte Caſpar Schlick, ad amores valde fuerit propenſus, haec ANEAE SYLVII teſtantur verba, in *epiſtola* ad ipſum illum Caſparem, qua opuſculum nomine illius inſcripſit: *Scripſi duorum amantium caſus nec finxi. Res acta* Senis *eſt, dum* Sigismundus *Imperator illic degeret, tu etiam aderas, & ſi verum his auribus hauſi, operam amori dediſti. Ciuitas* Veneris *eſt. Aiunt, qui te norant, vehementer quod arſeris, quodque nemo te gallior fuerit. Nihil ibi amatorie geſtum te inſcio putant. Ideo hiſtoriam hanc vt legas precor, & an vera ſcripſerim videas, nec reminiſci te pudeat, ſiquid huiusmodi nonnunquam euenit tibi, homo enim fueras. Qui nunquam ſenſit amoris ignem, aut lapis eſt, aut beſtia. Ille vtique vel per deorum medullas non lateat igneam fouillam Vale.* Haec verba Nicolaus de Wyla hac ratione expreſſit: *ich hab beſchriben ein beſchicht zwyer liebhabenden menſchen, vñ hierynn nichtz erdacht: ſunder iſt diſes ding zu* Senis *geſchehen, zutzyten do keiſer* Sigmund *alda lage: vnd du ouch daſelbs gegenwürtig werſt: vnnd du dich (iſt ware das ich mit diſen mynen oren gehört hab) in liebe ouch ſer arbeyteſt. Es iſt ouch ein ſtatt der* mynne; *vnnd die! ſo dich bekennet haben, ſagent! das du innerlichen vaſt die zyt in liebe brunneſt. Vnnd niemant*

ein

Digitized by Google

ein grosser Han were! dann du. Darumm sy meinent nichtz daselbs gehandelt syn! treffenlichs in bulschafe vnd liebe, dir vnwissend. Vmb das bitte ich du wölleſt diſe nachfolgend hiſtory leſen, vñ beſehen: ob ich die warheit geſchriben habe. Vnd ſchem dich nit zebedencken, ob dir etwenn deszglychen widerfaren were: dann du biſt geweſen ein menſch: vnd wer nie enpfunden hat das fúre der libe, der muſz syn ein ſteyn oder ein vnvernünftig thiere: Wyle doch der fürinſtam der liebe ouch (als der poet ſchriebt) durchgangen hat das marck der göttin. Vale. Praemittitur praeter *epiſtolam* illam, opuſculo *prologus* ſiue praefatio, ad Marianum Sozinum, qui in noſtra editione Zoſinus adpellatur, Jureconſultum ſenenſem, vbi illius Sozini inſtinctu, ſe iam quadragenarium, hanc *hiſtoriam* compoſuiſſe ſcribit. Particulam *epiſtolae* ad Caſpar. Schlick, quae inſigne & lepidum Mariani Sozini complectitur elogium, heic adſcribimus, in primis cum nonſolum hoc opuſculum, raro inueniatur, ſed etiam *epiſtolarum* & *operum* AENEAE SYLVII editiones, quibus inſertum eſt, non facile in conſpectum, noſtra aetate prodeant. *Nihil ei*, ait, *praeter formam natura inuidit. Homuncio eſt, naſci ex mea familia debuit, cui paruorum hominum* (Piccolomini) *eſt cognomen. Vir eſt eloquens. Juris vtriusque conſultus: Hiſtorias omnes nouit, poeticae peritus eſt: Carmen facit & latinum & tuſcum. Philoſophiae tam ſcius quam* Plato, *Geometer quaſi* Boetius. *In numeris* Macrobio *ſimilis nullum inſtrumentum ignorat muſicum. Agriculturam quaſi* Vergilius *nouit. Nihil ciuile ignotum viro: dum iuueniles adhuc ſtabant in corpore vires, alter ſatelles erat luctandi magiſter, non curſu non ſaltu non ceſtu poterat ſuperari. Precioſiora ſunt interdum parui corporis vaſcula, vt gemmae lapillique teſtantur. Nec ab re fuerit illud in hunc referri, quod de* Thideo *ſcribit* Statius: Maior in exiguo regnabat corpore virtus. *Dii formam huic homini & immortalitatem ſi dediſſent, is etiam erat Deus, ſed nemo ſortitus eſt omnia inter mor-*

Digitized by Google

mortales. Nullum adhuc noui cui pauciora quam huic defuerint. Quid quod etiam minutissima didicit, quasi alter Apelles *sic pingit. Nihil emendatius est, nihil lucidius quam sua manu scripti codices. Sculpit vt* Praxiteles, *nec medicinae ignarus est. Adde virtutes morales quae alios regunt ducuntque. Noui meis diebus plerosque studiis litterarum deditos, disciplinis, qui admodum abundabant, sed hi nihil ciuilitatis habebant nec rempublicam nec domesticam regere norant. Stupuit* Paglarensis *& furti villicum accusauit, qui suem foetam vndecim porcellos, asinam vnum duntaxat enixam pullum retulerat.* Gomicius, mediolanensis, *gravidum se putauit, diuque partum veritus est, quia se vxor ascendit: hi tamen iuris maximum lumen habiti sunt. In aliis praeterea vel fastum vel auaritiam invenies, hic perliberalis est, plena illi semper est domus honestis hospitibus. Nulli aduersus est, populos tuetur, aegros solatur, pauperibus subuenit, viduas iuuat, nulli indigenti deest. Vultus eius quasi* Socraticus, *semper est idem. In aduersis fortem animum praebet. Nulla fortuna inflatur, versutias non vt exerceat, sed vt caveat quaslibet nouit. Ciuibus dilectus est, peregrinis amatus, Nulli odiosus est., nulli grauis.* In editione *operum* AENEAE SYLVII *basileensi henric-petrina* 1551. in fol. legitur *historia de* Eurialo *&* Lucretia p. 621--644. In Hilarii Drudonis *practica artis amandi* primum occupat locum. De aliis editionibus & versionibus teutonicis vid. Michael. Maittaire *Annales*, passim. die *Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dresden Tom. I. p. 113 sqq. & p. 133. die *Nachrichten von einer* hallischen *Biblioth.* l. cit. Silvester Joan. Arenhold *Conspectus bibliothecae epistolar.* p. 92. Plagium commisit recentioribus temporibus anonymus auctor, & epistolas amatorias, quae sub nomine Caroli Ludouici, Electoris palatini, & Louisae Degenfeldiae baronissae circumferuntur, & a Jo. Christian. Lünigio, vt alios iam libros taceamus, vbi leguntur, *Litteris Procerum* Europae *Lipsiae* 1712. in 8.

Tom.

Digitized by Google

Tom. I. p. 699 ſqq. inſertae fuerunt, ex hoc AENEAE SYLVII, opuſculo, fere ad verbum exſcripſit. Rem ad oculos demonſtrauit J. G. Schelhornius in *Amoenitat. litterar.* Tom. I. Obſeruat. VIIII. p. 262 ſqq.

Epiſtola ENEE SILVII *poete laureati, ſiue* PII *pape* II. *ad* Ypolitum *de remedio amoris*, in collectione *Operum baſileenſi* CVI. eſt, & p. 607 ſqq. ad Nicolaum wartenburgenſem ſcripta dicitur, qui *nec virginem, nec nuptam, nec viduam, ſed mulierem quamuis pulchram, meretricem tamen quibuslibet viris precii cauſſa ſeſe ſubſternentem* deperibat. Mulierem inter alia, in *epiſtola* ſatis prolixa, hac ratione deſcribit: *Quid eſt mulier niſi iuuentutis expilatrix? virorum rapina? ſenum mors?. patrimonii deuoratrix? honoris pernicies? pabulum diaboli? ianua mortis? inferni ſupplementum.* Remedium & conſilium, quod amico ſuo, in *epiſtolae* fine praeſcribit, tale eſt: *Cura ea eſt, vt menti tuae perſuadeas, malum eſſe amorem. Poſthaec, declines amicae ſermonem: otium fugias, in negotio ſemper ſis, viros bonos qui te inſtruant ſequaris, nulli ludo, nulli conuiuio interſis. Siquid largita eſt amica, abs te abiicias. Nihil penes te ſit quod illius fuerit, puta illam nuncium eſſe diaboli qui te perdere velit. Sint in memoria* Chriſti *beneficia quae tibi impendit. Cogita quot benefacienti praemia in caeleſtibus ſedibus & quot malefacienti ſupplicia apud inferos praeparata ſunt. Cogita dies tuos aſſidue fieri breuiores, inſtareque ſemper vltimum. Cogita quia irriſui eſt qui amat & praeſertim vir aeuo maturus: cogita inſtabilem mulieris animum, cogita perditionem temporis quo nihil eſt precioſius: cogita diſſipationem bonorum: cogita vitam quam viuimus breviſſimam in hoc ſeculo, quamuis voluptatibus ſit dedita, & in alio mundo quam inquirimus nullum eſſe finem. Haec ſi tecum ſedulo cogitaueris, praeceptaque iſta tenueris, amorem quo cruciaris a te breui tempore relegabis, virumque te praeſtabis Deo gratum, caeloque dignum.*

PII

PII *pontificis maximi ad* Karolum cypriacum *epistola revocatoria, de amoris remedio*, composita est, cum illum poeniteret, olim compositisse *historiam de duobus amantibus* Eurialo & Lucretia. In editione *operum basileensi* p. 869 sqq. loco CCCXCV. reposita est. Auctor der *Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dresden l. cit. Carolum, quem AENEAS SYLVIVS, *gloriam magnam soli* cypriaci adpellat, eumdem esse putat, qui titulo domini de Chiti, ex principum Galilaeae, & stirpe lusignana, quae a regibus Cypri originem ducebat, oriundi, inclaruit.

LXVII.

ΔΙΟΣΚΟΡΙΔΗΣ. DIOSCORIDES. *Aldus*, in 8. mai. folior. 246.

Secunda DIOSCORIDIS editio haec est, quae ex *aldina officina*, in lucem exiit. Prima iam prodierat cum Nicandri *Theriacis* an. 1499. in fol. vid. Michael. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. I. p. 687. In secundae editionis fine haec legimus verba: Venetiis: *in aedibus* Aldi & Andreae *Soceri Mense Junio M. D. XVIII.* (1518). Cum Aldus Manucius iam mortuus esset, eam Hieronymo Roscio, patauino, philosopho & medico dicauit Andreas Asulanus, Aldi socer. Complectitur editio tantummodo graeca

I. PEDACII DIOSCORIDIS περὶ ὕλης ἰατρικῆς *de materia medica* Libros VI. ad Areum, medicum asclepiadeum. ex quibus quinque tantummodo ad DIOSCORIDEN pertinere iam demonstrauit Jo. Alb. Fabricius in *Biblioth. gr.* L. IIII. Cap. III. p. 94. Sextus est περὶ φαρμάκων ὅσα τε ὑπὸ τῶν θηλυτηρίων, καὶ ὅσα τῶν ἀλεξικάκων.

II. Περὶ τῶν λοβόλων ζώων, καὶ τῆς τῶν ἀπ' αὐτῶν πληγῆτων σημειώσεως καὶ θεραπείας. *de venenatis animalibus* libros

libros II. *quibus canis rabidi signa & curatio eorum continetur, quibus venenata animalia morsum defixerunt.* Hi duo libri in editione *operum* DIOSCORIDIS constituunt IIX. & VIIII. de VII. qui etiam numeratur, nihil praeter verba βιβλίον ἕβδομον comparet.

III. *Indicem* graecum *omnium plantarum, animalium, metallorum, quorum vtilitatem author* DIOSCORIDES *presenti in libro docet.* Variae istae ac multiplices plantarum, animalium, metallorum adpellationes & nomina in *aldina* editione, *priore* graeca, singulis capitibus adiecta fuerant, cum vero Hieronymus Roscius animaduerteret, omnes veteres codices ita scriptos esse, vt tantis illis nominibus, quae fere in principio cuiusque capitis reperiebantur, careant, illa veluti minus genuina, a textu DIOSCORIDIS, in hac repetita editione separauit, & ne illis litterarum graecarum, & rei medicae studiosi plane priuarentur, seorsum heic in calce librorum DIOSCORIDIS adposuit. Conf. Jo. Albert. Fabricii *Biblioth. gr.* l. cit. p. 95. §. IIII.

IIII. *Carmina de virtute, siue facultate quarundam plantarum* (de viribus herbarum Deorum alicui sacrarum) *in antiquis reperta exemplaribus.* Quamuis hoc *carmen* poetae ethnici antiqui anonymi iam anno 1499. cum DIOSCORIDE & Nicandro editum fuit, ita tamen, virorum etiam praestantissimorum, fugisse industriam, ait Joan. Alb. Fabricius L. III. *Biblioth. gr.* Cap. XXVI. p. 629. vt pro inedito haberent, laudarentque Lucas Holstenius in *Notis ac castigationibus posthumis in* Stephani byzantii ἐθνικα, *quae vulgo* περὶ πολεων *inscribuntur, Lugd. Bat.* 1684. in fol. p. 270. Isaac. Vossius ad Barnabae *epistolam* p. 23. edit. *Amstelod.* 1646. in 4. & Thom. Bartholin. *de medicis poetis, Hafn.* 1669. in 8. p. 103. Hanc igitur potissimum ob caussam a Joan. Alberto Fabricio, cum Joannis Rentorfii, hamburgensis *versione*, l. cit. inserum insertum fuit. Vid. de hac editione DIOSCORIDIS

oppido

oppido rarâ, die *Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dresden Tom. II. p. 427 ſqq. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. graec.* L. IIII. Cap. III. p. 96. Michael Maittaire *Annal. typogr.* Tom. II. p. 313.

LXIIX.

ΔΙΟΣΚΟΡΙΔΗΣ DIOSCORIDES.

Ἰαννου του ἡωϊταριου εις ΔΙΟΣΚΟΡΙΔΩΝ.

Φυτῶν ἠδ᾽ ζώων τὰ μέρη, τά τε ἴδεα πάντα
Οσσ᾽ ἐσ ἀνεστορίην συμφορὰ τὴν δύναμιν.
Γῆς ἔτι τ᾽ ἔντερα πάντα ὁμοῦ βυθοῦ τε θαλάσσης
Σμικρὰ βίβλος δέχεται, φημὶ ΔΙΟΣΚΟΡΙΔΟΥ.

Baſileae, ex aedibus Joan. Bebelii, Anno M. D. XXIX. (1529) *menſe Aug.* in 4. pp. 446. exceptis 11. foliis prioribus.

Quamuis & haec editio, textum tantummodo referat graecum, inter libros tamen ſibi vindicat locum, qui non adeo frequenter occurrunt in bibliothecis. Excudendam curauit illam Janus Cornarius, Zuiccauienſis, qui epiſtolam praemiſit, ad *natalitium*, vt vocat, ſuum *principem* Joannem Friderichum Saxoniae *Ducem*, *prouincialem* Thuringiae *Comitem* &c. *Baſileae idibus Auguſti* 1529. ſcriptam. Commendat in primis in epiſtola illa, Hippocratis & Galeni ſcripta, lectoribus legenda. *Vere*, ait, *videntur mihi ſapere homines, qui hos autores religioſe adeunt, quum vbique Dii, in iſtorum ſcriptis, ſedilia poſuiſſe cognoſcantur, id quod magno faſtu, libris ſuis auſus fuit inſcribere* Heraclitus, *philoſophus* Epheſius, *& quum alias etiam*

nulla humanarum artium, ad diuinam naturam propius accedat, quam ipsa ars medendi. Scribit praeterea se Hippocratem, sua lingua loquentem, in lucem esse prolaturum, quod *Basileae* 1538. *apud Hieronym. Frobenium*, in fol. factum postea esse nouimus. Vid. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. gr.* L. II. Cap. XXIIII. p. 858. Quod ad DIOSCORIDIS editionem adtinet, nullum graecum auctorem emendatiorem, ac maiori diligentia excusum, in Germania, prodiisse adfirmat Cornarius, sua quidem animaduersione, cui accesserit amplius Bebelii typographi adcurata industria. Ea omnia, quae a graecitate abhorrere visa sint, in DIOSCORIDIS libris, & cum vera medendi ratione pugnent, adposita conspiciuntur a Cornario p. 401-446. Vt hoc faceret commouit Cornarium, in primis *fragmentum* quoddam, *religiose plane scriptum*, ipsius DIOSCORIDIS, in quo eiusmodi nulla, in contextu legebantur, & in aliquibus locis, margini inscripta erant aliqua, quae vt suspicatur, in aliis postea exemplaribus, in genuinum libri ordinem fuerunt relata. Sunt autem ipsa illa, quae iam ab Hieronymo Roscio medico patauino, ad calcem editionis *aldinae*, reiecta, fuisse memorauimus, & quae tamquam spuria seperatim etiam edidit in editione DIOSCORIDIS graeco-latina *Francof. apud A. Wecheli haeredes* 1598. in fol. p. 441--479. Antonius Saracenus, medicus lugdunensis. Ex Pamphilo autem alexandrino, aliisque scriptoribus medicis iunioribus, eiusmodi accessiones excerptas fuisse, viri critici existimant. Praeter *indices graecos* Cornarius suae editioni praemisit, etiam *excerpta* quaedam de DIOSCORIDE graeca, ex Galeno, Oribasio, & Suida. Non autem DIOSCORIDEM tantummodo graecum debemus Jani Cornarii solertiae, sed illum etiam in latinum sermonem conuersum, cum adnotationibus suis in lucem emisit hoc titulo: PEDACII DIOSCORIDAE Anazarbensis *de materia medica Libri V.* Jano Cornario *Medico Physico interprete. Eiusdem* Jani Cornarii *Emblemata, singulis capitibus*

Digitized by Google

pitibus adiecta. DIOSCORIDAE *de Beſtiis venenum eiaculantibus, & letalibus medicamentis libri II. eodem* Cornario *interprete. Eiusdem* Jani Cornarii, *in eosdem libros, Expoſitionum Libri II. Adiunctis in fine tribus tabulis locupletiſſimis, quibus omnia quae toto tractantur opere, indicantur. Baſileae per Hieron. Frobenium & Nicol. Epiſcopium M. D. LVII.* (1557). *Cum priuilegio Imp. in annos V.* in fol. pp. 560. non numeratis praemiſſis & indicibus folior. 34. Omnium autem noſtra aetate, *operum* DIOSCORIDIS cenſetur editio optima, quae prodiit *graece & latine, ex noua interpretatione* Jani Antonii Saraceni. *Addita ſunt ad calcem, eiusdem interpretis Scholia, in quibus variae codicum variorum lectiones examinantur, diuerſae de Medica materia, ſeu priſcorum, ſeu etiam recentiorum ſententiae proponuntur ac interdum conciliantur: ipſius denique Autoris corruptiora, obſcuriora, difficilioraque loca reſtituuntur, illuſtrantur, & explicantur. Sumtibus haeredum Andreae Wecheli, Claudii Marnii, & Jo. Aubrii M. D. XCVIII.* (1598) in fol. Tom. I. pp. 479. Tom. II. pp. 135. Notae Saraceni & Jo. Sambuci pp. 144. Editionis oppido rarae recenſio vid. in den *Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dresden Tom. II. p. 429.

De DIOSCORIDE PEDANIO Anazarbeo, ſummi nominis medico, qui temporibus C. Jul. Caeſaris & Octauii Auguſti inclaruit, eius libris, eorum editionibus & verſionibus, vid. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. gr.* L. IIII. Cap. III. p. 88 ſqq. Eſtevan de Villa *vida de* DIOSCORIDES in *Vidas de doze Principes de la Medicina por* Eſtevan de Villa, *Burgos* 1647. in 8. Cap. VI.

Jani Cornarii, ſiue vt patrio vocabatur nomine Joannis Hanbut ſiue Hagenbut, ſiue Haynpol, medici, ſua aetate celeberrimi, qui varios auctores graecos, verſionibus ornauit non contemnendis, ſuisque illuſtrauit animaduerſionibus, vitam, pluribus verbis, ex-

Digitized by Google

posuit Melchior Adami in *vitis* germanor. *medicorum* p. 37. Jacobus Brucker in *Ehrentempel der* deutschen *Gelehrsamkeit* Decur. IIII. p. 141 sqq. Natus est Zuiccauiae anno 1500. Litterarum studiis in schola patria, & academia vitebergensi, omni animi cura atque industria tractatis, magister, & medicinae licentiatus, renunciatus, ad Liuones, Rutenos, & in principum Meklenburgicorum ditionem concessit, & in posteriorum aula, aliquot annis, medicinam exercuit. Belgarum postea, Anglorum, & Gallorum peragrauit regiones. In patriam reducem. Hieronymi Frobenii singularis amicitia atque familiaritas, qua illum excepit, cum Basileam transiret, per vnum annum, in ista vrbe detinuit. Relicta Basilea, ciuitatis northusanae, mox Francofurti ad Moenum, deinde Zuiccauiae, physicus, & medicus constitutus fuit. Artem etiam suam publice professus est in academia marpurgensi, & tandem in ienensem academiam euocatus, primus illic exstitit facultatis medicae decanus. Mortuus est apoplexia correptus Jenae, anno 1558. Magna illi interceßit, dum viueret, controuersia cum Leonardo Fuchsio, wembdingensi palatino, medico insigni, qui contra illum in lucem emiserat Cornarium *furentem Basil.* 1545. in 8. Si Nicerono in *Memoires* Tom. XIIX. p. 217. fidem habemus, iste liber iam prodiit 1533. in 8. Respondit Fuchsii insultibus Janus Cornarius, variis scriptis, quae in vnum redacta corpus, hoc titulo in lucem emissa fuerunt: Jani Cornarii *orationes in* Leonh. Fuchsium, *Medicum*, *siue* Fuchseides III. quarum inscriptiones sunt I. *Vulpecula excoriata.* II. *Vulpecula excoriata adseruata, siue nitra ac brabylà pro vulpecula excoriata adseruanda.* III. *Vulpeculae Catastrophe, seu, qui debeat esse scopus, modus ac fructus contentionum. Francof. apud Christ. Egenolphum* 1546. in 8. secunda huius collectionis *oratio*, scriptum praesertim impugnat, quod Leonh. Fuchsius, hoc titulo euulgauerat: *Aduersus mendaces & christiano homine indignas* Chr. Egenolphi *typographi*, francofur-

Digitized by Google

cofiirtani, *ſuique architecti, calumnias, reſponſio*; *Baſileae ex officina Erasmi Xylotecti* 1545. in 8. Haec ſunt quidem ſcripta eriſtica, quae nobis innotuerunt, ſed nullum eſt dubium, quin in hac controuerſia, tanta animorum contentione agitata, & alia euulgata fuerint, quae noſtram inquiſitionem & adſpectum effugerunt. Conf. de Jano Cornario, Joſiae Simleri *Bibliotheca* p. 327. & 451. Paull. Freheri *Theatr. viror. eruditione claror.* p. 1241. Petri Albini Meiſniſche *Landchronica Dresd.* 1589. in fol. Titul. XXV. p. 346 ſqq. Antoine Teiſſier *Eloges des hommes ſavans tirés de l'hiſtoire de Mr.* de Thou, *Leide* 1715. in 8. Tom. I. p. 298. Adrien Baillet *Jugemens des Savans* Tom. II. P. III. p. 344 ſqq. Nicol. Reusneri *Icones ſiue imagines viror. litteris illuſtrium, Argentorat.* 1590. in 8. p. 217 ſqq. Nicol. Antonii *Bibliotheca* hiſpana *noua* Tom. I. p. 60. vbi alius nominatur Jani Cornarii aduerſarius Andreas Lacuna, ſegobienſis, Hiſpanus, medicus. Inſigne heic ſilentio neutiquam tranſire poſſumus, compilatoris des *vniuerſal Regiſters der* leipziger *gelehrten Zeitungen*, erratum, quod admiſit, cum P. I. p. 287. Janum Cornarium nominaret *einen gelehrten Italiener*.

LXVIIII.

Του Σοφωτατου ΦΙΛΗ Στιχοι Ιαμβικοι περι ζωων ιδιοτητος. μετα προσθηκης Ιωαχειμου τοῦ Καμεραριάδου. PHILE *Sapientiſſimi* verſus iambici, de Animalium proprietate, Cum Auctario Joachimi Camerarii. Expoſita nunc primum eodem metro verſuum latinorum a Gregorio Bersmanno annaebergenſi. *Lipſiae cum priuilegio.* in 8. form. max. pp. 191.

Digitized by Google

Librum, praesertim si Gregorii Bersmanni *epistolam*, ad Augustum Saxoniae ducem spectaueris, nitidissime impressum heic adferimus. Docet in *epistola* dedicatoria Bersmannus, Arsenium, Monembasiae Archiepiscopum, primum fuisse, qui vnum PHILAE, quod exstabat, exemplar, protritum iam atque diffutum collegerit, atque consarcinauerit, primusque in lucem ediderit, nuncupatum Carolo V. Rom. Imper. augustiss. Illud factum esse nouimus *Venetiis ἔτει χιλιοστῷ πεντακοσιοστῷ, τριακοστοστῷ τρίτῳ* 1533. in 8. non 1530. vt per typothetarum errorem legitur, in Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. gr.* L. V. Cap. XVI. p. 696. Deplorat praeterea Bersmannus in *epistola* sua, obitum Joachimi Camerarii, praeceptoris sui, qui a Joanne Oporino, PHILAE opusculum, conuertendum acceperat, morbi autem grauitate impeditus, id negotium Bersmanno mandauerat. Michael Barthius, annaebergensis, philosophiae & medicinae doctor, & Professor publicus, in Bersmanni honorem, hoc *ad lectorem* praemisit epigramma:

Collegerat graecos PHILES *ceu flosculos*
Ex Aeliani Aristotelis*que filuulis,*
Pererrat omne quas genus animantium
Bersmannus *hos miscens latinis floribus,*
Contexuit variam ex eis corollulam:
Sic virgo bella purpureis violas rosis
Alternat, & sertum suo capiti parat.
Tu cui librorum est elegantum copia
Curae, hac etiam, tibi consulo, corollula
Tuam nitentem bibliothecam adaugeas.

Animalia, quae MANVEL PHILES, carmine celebrat iambico, sunt *Aquilae, vultures, magna struthio, Ardeae, cornus, ciconiae, pauo, pelecani, cygnus, grues, perdices, gallinaceus, anas, Anser, ibis, salamandra, luscinia, hirundo, palumbes, turtures, noctua, cuculus, cincli & pyraustae, cicadae, circi, cinnamomus, apes, apes inertes, animalia quae apibus sunt inimica, & quae*

Digitized by Google

quae aliis nocentia sunt animantibus, rubeta, leo, haena, torpedo, & alia quaedam, canis indicus, manticho-ra, monoceros, onager cum suo cornu, cynocephali, indica quaedam animalcula idonea ad tincturam, onocentau-rus, lupi, vrsa, hyaena terrestris & marina, thos, piscis aetneus, bos, capra, pellis ouis a lupo lacerata & lapis, quem canis morsu impetiit, tarandus, animalia quae-dam, quae per somni quietem oculis cernunt, lepores, chamaeleon, lacertus, echinus aquatilis, erinacius terre-stris, & lyncurius, Hippocampi venter, mus araneus, crocodilus, dracones aethiopici & aliae diuersi generis bestiae, arantae, muscae indicae, boues retrouersus pa-scentes, vipera, quidam magni pisces, delphinus cum in-sertione de leone, trocta, scari, capito, glaucus, canis, melanurus, spongia, draco, physalus, crocodilus & tro-chilus suis, ichneumon, merulae, bos, sargus, polypus, lu-pus, muraena, sepia, pastinacae, vulpes, iulidae & lepo-res, perseus, pinna, mus, apuis mugil, mullus, echeneis. Joachimi Camerarii *auctarium* graeco-latinum, quod Gregorius Bersmannus adiecit p. 164 -- 189. agit *de cicadis, de formicis, de muscis, de auibus hominum lo-quelas imitantibus, de alcyone, de anthia, de ranis, de sciuris, de elephantis, & leonibus, de delphinis, de equis & canibus, de gallinis, de pulice, de ceruis, de anseri-bus & suibus, de pugna vrsi & suis siluestris.* Qua ratione vero PHILAE liber, e manuscriptis codicibus augeri & emendari queat, ostendit adlatis speciemini-bus Jo. Alb. Fabricius l. cit. p. 697 sqq. Repetita Gregorii Bersmanni editio fuit, *Heidelbergae in offici-na commeliniana* 1596. in 8. Inserta quoque sunt PHILAE *carmina* Tomo II. *poetarum graecorum ve-terum*, qui *Coloniae Allobrogum, typis Petri de la Ro-viere* 1624. in fol. editi fuerunt. Recentissima iam est editio, quae ex prima editione Arsenii, & libro oxo-niensi restituta, a Joan. Cornel. de Pauw, cum eiusd. animaduersionibus, & versione latina Gregor. Bers-manni, & accedentibus ex eodem libro oxoniensi, non paucis hactenus ineditis, euulgata fuit *Traiecti ad*

Digitized by Google

Rhenum ap. Guil. Stouw. 1730. in 4. Eiusdem PHILÆ περὶ Ναυτίλου *carmen* e codice bibliothecae bodleianae graece cum versione latina Joan. Cornel. de Pauw, cui adiuncta est anonymi ἐξέτασις *in idem scriptum*, in *Observationibus miscellaneis in auctores veteres & recentiores*, Vol. II. Tom. III. *Amstelod.* 1733. in 8. mai. p. 385 sqq. & p. 425 sqq. recusum fuit. In iisdem *Observationibus miscellaneis* Vol. VI. *Amstelod.* 1735. Tom. I. p. 157 sqq. & Tom. II. p. 452 sqq. leguntur personati cuiusdam Philetae *observationes ad* PHILEN, in quibus nonnulla ex editione Jo. Cornel. de Pauw, curatiori examini subiiciuntur, & ad codicum manuscriptorum fidem restituuntur.

MANVELEM PHILEN, Ephesium, floruisse sub Andronico Palaeologo, Joanne Cantacuzeno & Michaele Palaeologo, cuius nomine *iambos* suos, *de animalium proprietate* inscripsit, intra annum MCCC. XV. & MCCCLXXXV. eumque recentiorem, fere dimidio seculi, fuisse Planuda, monacho, argumentis firmissimis demonstrauit Anonymus in ἐξετ. l. cit. p. 428 sqq. Conf. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. graec.* l. cit. p. 695 sqq. vbi & alii memorantur, qui PHILAE nomine, insignes fuerunt.

De Joachimo Camerario, vid. *Adparatus litterar.* Tom. I. p. 403 sqq. vbi scriptores nominauimus, qui in exponenda illius vita, suam collocarunt operam.

Gregorius Bersmannus Annaebergae 1538. natus, vir suae aetatis doctissimus, variis muneribus academicis & scholasticis functus est. Lipsiae magister renunciatus omnem fere Galliam & Italiam peragrauit. Ex itinere italico redux factus, in academia vitebergensi docuit, & anno 1565. in illustri schola prouinciali portensi, in Matthaei Reheschuch Collegae III. locum suffectus fuit. Anno 1568. iterum Vitebergam se contulit, & *libelli* Melanchthonis *de anima* professionem obtinuit. Lipsiam anno 1571. euocatus poe-

Digitized by Google

poeseos adiit professionem; Cum autem anno 1575. Joachimus Camerarius moreretur, eius professionem graecae latinaeque linguae, & ethices adeptus est. Quia vero *formulae concordiae* Bersmannus subscribere recusaret, & hanc potissimum ob caussam inter illum & Nicolaum Selnecerum grauissima orirentur dissidia, dimissus Seruestam se contulit, & anno 1581. a Principe Joachimo Ernesto, gymnasio recens condito, Rector praefectus fuit, quod munus per triginta annos gessit. Diem obiit ibidem supremum febri, & doloribus nephriticis correptus, anno 1611. aetatis anno LXXIII. Illum, ad cryptocaluinismum animo fuisse valde propensum, nonnulla ex eius carminibus satis & abunde testantur. Memoriam illius, *oratione* panegyrica celebrauit Joannes Coppenius *Heidelbergae* 1612. d. I. Februar. qui etiam vitam eius hoc breui carmine fol. 24. sqq. complexus est.

Scire cupis, qualis fuerim hac sub mole quiescens,
Siste gradum, verba & perpende sequentia: Vitam
Annaeberga *dedit, dedit & mihi semina prima*
In studiis. Puerum docuit schola misnica *linguas:*
Lipsia *me varia doctrina & honoribus auxit.*
Gallia *post iuuenem vidit me. tresque per annos*
Lustraui Italiam, *redeunti sceptra regenda*
Ludi portensis *mihi sunt commissa fidelis.*
Inde Professoris Witebergae *munere fungor.*
Lipsia *me audiuit, sed post expellor eadem,*
Quod pietatis eram custos, Seruesta *recepit,*
Gymnasio illustri quoque me praefecit, & ossa
Post varios casus tandem, multosque labores,
Contumulauit humo: Tenet ast Germania *famam,*
Astra *animam,* libri *ingenium, laudemq.* iuuentus.

Jo. Coppenii *oratione*, in narranda Bersmanni vita, vsus est Melchior Adami in *vitis philosophor.* germanor. p. 234 sqq. Conf. Paull. Freheri *Theatrum virorr. eruditione claror.* p. 1506. Christophor. Hendreich *Pandectae* brandeb. p. 532. Paul. Jenisii, Annaeber-

Digitized by Google

gae, Misniae *vrbis historia, Dresd.* 1605. in 4. L. I. Cap. XXIIII. fol. 73. Habemus Jenisii *historiam* Annaebergae, e sermone latino, a Georgio Wahlen (*Bürgern, Churf.* Sächs. *Berck- Screibern und der Schulen Inspectorem zu* Annenberg) in teutonicam linguam conuersam, ineditam, in fol. in qua de Bersmanno legitur narratio, fol. 202. Legi etiam merentur Justini Bertuchii *Chronicon* portense P. II. p. 104. edit. Jo. Martin. Schamelii *Lipf.* 1739. in 4. vbi vero, ficut & in Adami *vitis*, in *lexico eruditorum* Tom. I. col. 1031. minus adcurate *Georgius* adpellatur. Jo. Petr. Lotichii *Bibliotheca poetica* P. III. p. 103 sqq. Jo. Dieterici Dissert. *de* Annaeberga, *& claris viris inde oriundis*, Lipf. 1702. in 4. Jo. Christoph. Beckmanni *Historie des Fürstenthums* Anhalt P. VII. Cap. III. p. 329 sqq. Jo. Andr. Gleichii *Reformations-vnd Hofprediger-Historie* P. I. *Dresd.* 1730. in 4. p. 109. & p. 182. Jacob. Buckhardi *Commentarius de linguae latinae in* Germania *fatis* P. I. Cap. VI. p. 496 sqq.

LXX.

PVB. VEGETII *Viri Illustris* Mulomedicina. Ex trib. vetustiss. Codd. varietate adiecta: vnde infiniti loci addi & expurgari a quouis poterunt, vsu magno publico. Opera Joan. Sambuci Pannonii. *Cum Caes. Maiest. Priuilegio. Basileae per Petrum Pernam MDLXXIIII.* (1574) in 4. pp. 196. exceptis fol. 6. prioribus.

Primus qui P. VEGETII RENATI quatuor libros *de arte veterinaria*, siue *mulomedicina*, e situ quasi & obliuione produxit, fuit celeberrimum illud Germaniae decus, Hermannus Comes Nuenarius, ecclesiae cathedralis colonienſis Praepositus, qui codicem vetustum, cum Beato Rhenano, & Joanne Fabro, Emmeo, iulia-

Digitized by Google

iuliacenſi typographo, communicauerat, vt illum a mendis quibus ſcatebat, doctiſſimorum virorum auxilio, expurgarent & in lucem ederent. Beatus autem Rhenanus aliis & grauioribus negotiis diſtrictus, id mandatum detrectauit, quo facto Joannes Faber, iteratis tandem Comitis Nuenarii precibus commotus fuit, vt hunc librum euulgaret, & Ferdinandi regis Hungariae & Bohemiae nomine inſcriberet, quod egregios & validos ille haberet equos, inter quos forte reperirentur, quos heic auctor & a peſte praeſeruari, & iam aegrotantes ſanari, non incommode docuerit. Exiit haec editio in lucem, hoc inſtructa titulo: VEGETII RENATI *artis Veterinariae, ſiue Mulo-Medicinae Libri quatuor, iam primum typis in lucem editi. Opus ſane in rebus medicis minime aſpernandum. Baſileae excudebat Joannes Faber Emmeus Juliacenſis MDXXVIII.* (1528) in 4. folior. 72. Cum autem ea, ex mutilo & corrupto codice exſcripta, plurimis infecta eſſet mendis, VEGETII opus, titulo, quem adſcripſimus, euulgauit Joannes Sambucus, pannonius & dedicatione ornauit:

GENEROSO AC MAGNIFICO D. RODOLPHO KHVEN DE VELASII, DOMINO IN LICHTENBERG ET GANDEGG, LIBERO BARONI IN LENGPACH, MAXIMIL. II. IMP. A CONSILIIS, CVBICVLARIO, AC SVPREMO EIVSDEM AGASONVM STABVLIQVE MAGISTRO, REVERENDISS. ARCHIEPISCOPI SALTZBVRGEN. FRATRI GERMANO, MVSARVM LITERARVMQVE PATROCINIO

IO. SAMBVCVS PANNONIVS HOC P. VEG. DE VETERIN. MEDICINA OPVS ANTE ANNOS L. MVTILVM CORRVPTEQVE EDITVM, NVNC VERO A SE EX VV. CC. PLVRIMIS IN LOCIS EMENDATVM AC RESTITVTVM. D. D.

VIENNAE IPSIS KAL. QVINCTIL. M. D. LXXIV.

Huic

Digitized by Google

Huic dedicationi subiicitur Joannis Fabri Emmei *epistola* dedicatoria ad Regem Ferdinandum scripta *Basil.* 1528. *elenchus titulorum*, quibus librorum IIII. capita inscribuntur. Variantes e tribus codicibus mss. quibus Joannes Sambucus vsus est, oris paginarum adscriptae sunt. Omnium autem optima & adcuratissima, nostra aetate est editio, quam Jo. Matthias Gesnerus, adiutore Zacharia Platnero vsus, ad vetustum codicem corbeiensem conlatam, & aliquot coniecturis & adnotationibus instructam, subiecit *Scriptoribus rei rusticae veteribus latinis Lipsiae* 1735. II. Tom. in 4. editis, Tom. II. p. 1033 sqq. In teutonicum opusculum conuersum sermonem, hoc prodiit titulo: *Von rechter vnd wahrhaffter Kunst der Artzney, allerley Kranckheit vnd Schäden der Thier, als Pferd, Esel, Ochsen, Maulthier, sie seien auswendig oder inwendig, mit Tranck, Salbung, Brennen, Lassen, vnd anderm zu heylen &c. Auch wie man deren Vrsprung vnd bresten erkennen soll, Erstlich durch den hochverstendigen* FLAVIVM VEGETIVM RENATVM *in Latein beschrieben &c. Jetzund von newen durchsehen vnd mit eigentlichen Contrafacturen an Tag gegeben, dergleichen nicht ist gedruckt worden. Franckfurt am Mayn, bey Martin Lechler, in Verlegung Siegmund Feyerabends vnd Simon Hüters.* 1565. in 4. folior. 155. Vid. die *Merkwürdigkeiten der königl. Bibliothek zu* Dresden Tom. II. p. 78.

De PVBLIO VEGETIO, siue vt ab aliis vocatur VEGETIO RENATO, incertae aetatis auctore, vid. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. latin.* L. III. Cap. XII. p. 619. Tom. III. p. 135 sqq. Cum PVBLIVS VEGETIVS in suos *de arte veterinaria* libros, non pauca transtulisset e sexto libro Columellae, multaque loca iam in VEGETIO, iam in Columella inuenirentur, quae mendis deformata essent, & alter ex altero, saepe numero emendari posset, Joannes Baptista Morgagnus, operae pretium se esse facturum arbitratus est, si lo-

Digitized by Google

ſi locos ſingulos, quorum alter alterius ope indiget, inter ſe conferret, atque ita ante oculos ſtatueret, vt VEGETII primum verba, tum Columellae, quemadmodum edita ſunt, deinde vtriusque, quomodo alterum ex altero emendandum exiſtimauit, vno obtutu conſpici poſſent. Factum id fuit in *epiſtola ad* Julium Pontederam *quarta*, Patauii *prid. Kal. April.* 1723. ſcripta, quae inſerta fuit a Jo. Matth. Geſnero *Scriptoribus rei ruſticae* Tom. II. p. 1232 ſqq.

Joannes Sambucus, Tirnauiae in Hungaria anno 1531. natus, medici elegantis, poetae eruditi, hiſtorici inſignis, & antiquarii paene incomparabilis elogium adeptus eſt. Bibliothecae vindobonenſi praefectus, Maximiliani II. & Rudolphi II. Impp. Conſiliarius, & hiſtoricus conſtitutus, anno 1584. Viennae apoplexia correptus mortuus eſt. Thuanus L. LXXX. *Hiſtor.* Tom. III. p. 973. edit. *Francof.* 1614. in §. illum aliena, quam ſua induſtria clariorem, & eam illius in veteribus libris colligendis fuiſſe ſcribit diligentiam, liberalitatem in publicandis, vt principibus viris, qui hac re laudem conſequuti ſunt, quamuis in diſpari fortuna aequari debeat. Conf. de illo, praeter ſcriptores, in *lexico eruditorum* Tom. IIII. col. 90. citatos Joſ. Simleri *Bibliotheca* p. 412. Jo. Petri Lotichii *Bibliotheca poetica* P. IIII. p. 73 ſqq. Conrad. Samuel. Schurzfleiſch *Introductio in notitiam Scriptorum* P. III. p. 63 ſqq. Joan. Fabricii *Hiſtoria biblioth.* fabrician Tom. III. p. 465. Adrien Baillet *Jugemens des Savans* Tom. II. P. II. p. 92 ſqq. Paull. Freheri *Theatrum viror. eruditione claror.* p. 1282. vbi ſepulchro eius tale elogium inſcriptum eſſe retulit:

SAMBVCVS LINGVAS COLVIT QVI DOCTVS ET ARTES
CVI NATALE FVIT PANNONIS ORA SOLVM;
CAESARIS HISTORICVS PRAEMISSI TEMPORIS ACTA

ET

Digitized by Google

ET DIGNOS SCRIPSIT COGNITIONE LIBROS.
AONIOS INTER MERVIT QVOQVE NOMEN OLORES,
CARMINE IVCVNDVM QVI CECINERE MELOS.
ANTE DIEM QVAMVIS MVSIS PLORANTIBVS IPSVM
E MEDIO TVLERIT MORTIS AVARA MANVS.
IPSE TAMEN SVPEREST, MELIORI PARTE SVPERSTES,
IN CAELIS ANIMA, NOMINE CLARVS HVMO.
NIL IN SOLERTES MVSARVM IVRIS ALVMNOS
MORS HABET: A MVSIS DOCTVS OBIRE NEQVIT.
OBIIT IDIB. JVNII MDXXCIV.

LXXI.

EVDOXI PHILALETHIS Aduerſus Calumnias Et Sophismata Cuiusdam Perſonati, Qui Se Euandrophilacten nominauit. Apologia. *Ἔλεγχος εἰνεὺ διαβολῆς. Veronae, apud Sebaſtianum a Donnis: MDLXXIII.* (1573) in 4. folior. 35. & 82.

Cauſſa, ob quam haec *apologia* euulgata fuit, talis eſt. Cum anno 1569. Brixiae peſtilens & contagioſus morbus graſſaretur, quo multi homines correpti interierunt, de Theriacae vſu, in huius morbi curatione, grauis, inter Aeſculapii filios, exorta eſt controverſia. Joſephus enim Valdanius ſiue Valdagno, veronenſis, medicus, philoſophus, & mathematicus, & philoſophiae moralis, apud Brixienſes profeſſor, Theriacae

riacae vſum probauerat. Illuſtris autem cuiusdam viri inſtinctu, ſuam ille ſententiam ſcriptis mandauit, quae cum ſolidis fundamentis inniteretur, ſuadentibus amicis duobus libris *Brixiae* 1569. & 1571. typis fuit excuſa. Eodem tempore Hieronymus Donzellinus, a Valdanio interrogatus, quid de ea controuerſia ſentiret, miſſa ad illum longiore epiſtola, quam poſtea hoc titulo euulgauit: Hier. Donzellini *epiſtola ad* Joſephum Valdanium, *de natura, cauſſis & legitima curatione febris peſtilentis, in qua etiam de Theriacae natura ac viribus latius diſputatur, Venetiis apud Borgominerios fratres* 1571. in 4. eius iudicium probauit, additisque rationibus confirmauit. Cum autem Vincentius Calzaveglia, qui etiam Brixiae medicinam exercebat, hos videret libellos, ſuae plane aduerſos ſententiae, contra Valdanium tractatum emiſit *de Theriacae abuſu in febribus peſtilentibus, Brixiae apud Vincentium Sabienſem*, an. 1570. in 4. Ita vero non contentus, poſt paucos dies, litteras miſit ad Donzellinum, in quibus omnia eius dicta ad limam vocauit, & multis dicteriis atque conuiciis illum laceſſiuit. Adſcito igitur EVDOXII PHILALETHIS nomine, Donzellinus illi reſpondit, quo accepto Calzaveglia Euandrophilactis ſub perſona ſe defendit aduerſus EVDOXIVM PHILALETHEN, & nonſolum illum hominem perſonatum, ſed Donzellinum ipſum, nouis conuiciis, calumniis & maledictis atrociſſimis petiit. Id admodum aegre ferens Hieron. Donzellinus, eam quam diximus, in lucem prodire iuſſit *Apologiam*, in qua aduerſarium ſuum mirifice depexum dedit. Minime quidem nos fugit quod doctiſſimus Italorum Marchio Scipio Maffei, Joſephum Valdanium, ſub EVDOXII PHILALETHIS perſona, in ſcenam prodiiſſe, & *apologiam* ſcripſiſſe prodiderit, in Verona *illuſtrata, Verona* 1732. in fol. Tom. II. p. 201. vbi ait: *Suo* (ſcil. del Valdagno) *e ſcritto non meno in propria difeſa, che de* Donzellini, *è il libro intitolato* EVDOXI PHILALETHIS Apologia. Veronae 1573.

Sed

Digitized by Google

Sed obstat hisce Maffei verbis Leonardi Cozzandi auctoritas, qui in *Libraria* Brescіana, *Brescia* 1694. in 8. P. I. p. 134. de Hieronymo Donzellino haec adnotauit, quae cum liber paullo sit rarior, heic adscribimus:

„Girolamo Donzellina, *nato negli* orci noui *fu* „*Dottore dell'arti, e filosofo bravi, & eccelente Medico* „*qualche tempo in* Brescia, *ma venuto in disparere col* „*Medico* Vicenzo Calzaveglia *Dottor di Collegio, per* „*che difendeva l'opinione di* Gioseffe Valdagno, *Me*„*dico* Veronese *in* Brescia, *riprovata con un libro in* „*stampa dal* Calzaveglia, *e di nuovo confirmata dal* „Donzellina, *che scrisse contro il* Calzaveglia *à difesa* „*del* Valdagno, *vna* terribile Apologia, *furone ambi*„*due necessitati vsoir della città di* Brescia. *Il* Valda„gno *à* Verona *sua patria*, *il* Donzellina *à* Venetia„*portossi, ove medico con gran sua fortuna, felicità &* „*applauso, scrisse un Trattato;* Remedium ferenda„rum iniuriarum, siue de compescenda ira Ven. *pres*„*so* Franc. Ziletto 1586. (in 4. & Akorph. apud „Nicol. Cnorium 1587. in 8). *In oltre;* de natura, „caussis & legitima curatione febris pestilentis ad Jo„sephum Valdamium Veronensem Brixiae medicum „epistola Venet. *presso* Camillo & Rutilio Borgomine„ri *1570. in 4. nelle quali opere per il grave affronto ri*„*cevuto dalla Città di* Brescia *con esserne villemente* „*scacciato, di cui era membro, e non punto indegno,* „*non più* Bresciáno *ma* Veronese *nomosi. E del me*„*desimo* Donzellina *e pure l'* Apologia: EVDOXI PHI„LALETHIS aduersus calumnias & sophismata, cu„iusdam personati qui se Euandrophilacten nominat, „Apologia *In* Venet (Verona) *presso* Sebast. a Don„nis, *1573. in 4. Cui rispose il* Calzaveglia *con altra* „Antipologia, *che dice*: Euandrophilactis aduersus A„cesiam Cacodoxum, qui se falso Eudoxum Philale„them facit, Antipologia. *In* Brescia, *presso li heredi* „*di* Damiano Turlino 1573. in 4. *E doppo detta ope*„*ra*

Digitized by Google

„*ra leggesi una lettera latina pur del* Calzaveglia, *al* „Donzellina, *in 4. Scrisse in oltre il* Donzellina Me„thodum linguae graecae quatuor libris, cum breuissi„mo Grammaticae compendio.„

Conf. Adr. Baillet *Jugemens des Savans* Tom. VI. P. II. p. 174. Vincent. Placcii *Theatr. Pseudonymor.* p. 264. Duodecim vero ΕΥΔΟΞΙ ΦΙΛΑΛΕΘΗΣ *Apologia*, complectitur *disputationes*, quibus personatus auctor, satis prolixam praemisit introductionem, in qua fata in primis, quae Donzellinus Venetiis expertus fuerat, exponuntur.

Patrem habuit Hieronymus Donzellinus Bonamentem Donzellinum, veronensem, qui ob bellicos tumultus, Verona profugus, in oppidum se contulit, quod Hetruscorum lingua vocatur *Orci novi*. Hic ducta vxore, ex honesta familia, multos liberos procreauit, e quibus filios, qui ad litterarum studia propensiores videbantur, Petrum ac Hieronymum Brixiam ablegauit, qui tandem cum integrum annum ibi commorati essent, suadentibus amicis Patauium concesserunt, vbi alter Jureconsultus, alter Medicus factus fuit. Hieronymum autem *veronensem* patria dici posse, ΦΙΛΑΛΕΘΗΣ hac potissimum ratione demonstrare nititur, quod non tantum antiquo maiorum suorum iure Verona sit oriundus, cum patrem, auum, & proauum habuerit veronensem, sed etiam quia vetere iure renouato, in eam vrbem ceu postliminio receptus fuerit. Id vero factum esse ait, cum a patruo suo vocatus, Veronam venit, & ab eo in filium adoptatus, veronensis ciuis factus est. Vt dictis suis fides constet, hoc publicum adfert testimonium:

Matthaeus Forcatura Veronae *Propraetor*, *&* Thomas Becellus, *publicum in ciuitate magistratum gerens; nec non* Thomas Forestus, *Nobilissimi Tabellionum* veronensium *Collegii Praefectus; testantur* Hieronymum Donzellinum, *ex arrogatione a* Fran-

 cisco

cisco *patruo facta*, veronensem *ciuem esse: ortum ex* Bonamente *ciue* veronensi *nato: cuius parens fuit* Petrus, Hieronymi *auus. Horum quoque Maiores, per multas aetates, Honoratos Ciues, ac perpetua quadam successione Tabelliones, ac in maiori Ciuitatis censu fuisse, ex actis & commentariis ciuitatis constare, fidem faciunt.*

Causam vero, ob quam Hieronymus Donzellinus, se nominauerit in libris editis *brixianum*, talem esse refert: *Nunc cupio ex te* (aduersarium suum hisce verbis compellat) *intelligere Vir solertissime, cur non &* Donzellino, *geminam patriam concedas? cum in vna sit* natus, *in altera* exceptus; *praesertim cum eius pater, ac maiores omnes, fuerint ciues* veronenses. *Quandiu sane extra vtranque patriam fuit,* Brixianum *se vocauit. Testes sunt multi libri ab eo editi in quibus semper se* Brixianum *fecit. Vbi vero a patruo suo vocatus,* Veronam *venit, & ab eo in filium adoptatus,* veronensis *ciuis est factus; & patrimonio satis amplo, locupletatus; & in nobilissimum medicorum collegium honorifice exceptus; & ex patritio ordine ducta vxore, cum primariis huius ciuitatis familiis affinitates quam plurimas contraxit; adde quod & prolem suscepit, vt idem ciuitatis ius posteritati suae sit transmissurus; an aequum tibi videbatur vt se* brixianum *appellaret? An hoc est patriam ac genus ementiri?*

Mali sunt homines qui bonis dicunt male. Sed maximum etiam est mendacium quod dicis: illum Brixiam *patriam abdicasse: Cum etiam post omnia illa in* veronensem *hanc ciuitatem authoramenta; post diuturnam hic habitationem; vbi incidit occasio; non tantum verbis, sed etiam scriptis, se* Brixianum *vocet. Scis tu, quanta animi beneuolentia in istam patriam fuerit permotus; cum in postrema eius* epistolae, *quam ad* Valdanium *misit, parte, candidissimo animo, medicamentum indicat; aduersus tunc grassantem luem; cuius & ipse, & primarii* Europae *medici, plurima habuerant expe-*

Digitized by Google

experimentu. Nonne inter reliqua, hoc etiam carmen adscripsit:

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit & immemores non sinit esse sui.

Extat etiam inter epistolas *illustris Comitis* Ludouici Nogarolae, *viri in omni linguarum, & doctrinarum genere eruditissimi, Exemplum earum literarum, quas* Viennam *misit ad* Donzellinum, *cum illic tunc ageret; in quibus vehementer cum eo expostulat, quod in editis a se libris, semper se* brixianum *vocet; cum reuera sit* veronensis, *prodierant enim tum in lucem elegantissimae* Themistii *Peripatetici* orationes, *a* Donzellino *in latinum sermonem conuersae; quas ille* veronensi *potius, quam* brixiano *nomine voluerit insigniri* &c. His sane verbis adducimur, vt credamus, quod hic Hieronymus Donzellinus, eius quoque libri, qui inscribitur *de compescenda ira*, sit auctor, quem Petr. Baile in *Dictionaire* Tom. I. p. 1016. & *lexici eruditorum* auctor, Tom. II. col. 190. ideo alii, & a nostro diuerso tribuunt auctori, quod in titulo *veronensem* se adpellauit. Confirmant sententiam nostram ipsa Leonardi Cozzandi verba, quae supra adscripsimus. Quod ad aduersam spectat fortunam, quam Venetiis expertus est Hier. Donzellinus, PHILALETHES illam, ob inuidiam, qua illum prosequebantur, nonnulli vrbis venetae medici, exortam esse, luculentis probat indiciis. Omnis autem adcusatio, ad haec duo potissimum redit capita; alterum quod libros legibus vetitos legerit, alterum quod cum hominibus, quorum dubia esset religio, fuerit versatus. Cum vero Donzellinus, iudices suae causae minus fauere conspiceret, adeo vt in summum discrimen omnis eius fortuna adduceretur, senatorum aliquot consilio atque hortatu, fuga sibi consuluit, ne ea incommoda sustinere cogeretur, quae intra parietes clausis, ac sui corporis libertate destitutis, necessario sunt perferenda. Relicta igitur veneta vrbe, cum imperii comitia, Augustae Vindelicorum celebrari audiret,

diret, ad regem Ferdinandum se contulit. Sed interea inimici eius, reditum illius veriti, magistratum ita sollicitarunt, vt ab eo tandem, deserta caussa proscriberetur. Reliqua, quae in hac caussa acta fuerunt, ipsis PHILALETHIS verbis exponemus: *Imperii comitia* Augustae *celebrari audiuit; atque ibi Caesaris loco sedere serenissimum Regem* Ferdinandum; *apud quem sciebat, Reuerendissimum tum Episcopum* pharensem, *qui nunc illustrissimus est* Delfinus *Cardinalis; Pontificis Legatum esse. Illum itaque iudicem appellandum esse sibi censuit. Atque haec vera, ac germana eius in* Germaniam *profectionis caussa fuit. Cum autem* Augustae *certior factus esset, Pontificis Legatum, non aliter suscipere caussam posse, nisi ea illi a summo Pontifice prouincia mandaretur; clementissimum Regem tum temporis, per supplicem libellum interpellauit; vt hoc sibi a pontifice beneficium impetraret;* Julii *enim* Alexandrini, *ac* Stephani Laurei *opera, ac studio; quibus ille tamquam familiaribus medicis vtebatur; facilis* Donzellino *ad ipsum aditus fuit. Qua certe in re, eximiam Sereniss. Regis in se benignitatem, & clementiam expertus est; litteras enim & propria manu subscriptas, & sigillo munitas, ad* Paulum IIII. *Pont. max. pro eius caussa dedit: graui addita eius negotii commendatione.* Delfinus *a Pontifice rom. reuocatus, eum reperit bellico adparatu impeditum; ac ita armis animum adplicuisse: vt alias res omnes fere negligere videretur. Qua de re ab eo admonitus,* Donzellinus, *ex vrbe nihil boni a se exspectandum esse, sero tandem deprehendit. Caeterum cum aliquandiu iam, etsi inuitus, ac nolens, in* Germania *subsitisset, & aliquot Illustriss. Principum consuetudine vteretur; duos ex illis sibi delegit quos ampliss. senatui* Veneto *sciebat esse amicissimos; quorumque gratiae, ac beneuolentiae, aliquid officii, ille esset concessurus; Hi vero fuerunt, Cardinalis* augustanus, *& Archiepiscopus* salsburgensis; *quos ille* Ratisbonae *conuenit, vbi imperii principum conuentus agebatur; & per supplicem libellum exposita caussa, illud*

Digitized by Google

lud petiit, vt datis ad ſereniſſ. Venetiarum *Principem, litteris, fidem ſibi publicam impetrarent; donec apud idoneos iudices, eius cauſſa diſceteretur. Verum parum felici conſilio vſus id fecit. Cum enim eius Reipub. vetus ſit inſtitutum, vt non cuiuis Principi, ſed ſolis Regibus id beneficii concedant, ac gratificentur, libentiſſime illi quidem ampliſſ. Antiſtites,* Donzellino, *litteras dederunt; ſed quae nullum ei fructum attulerunt. Huius infortunii admonitus, a Clariſſ.* veneto *Oratore,* Leonardo Mocenico, *ad Sereniſſ. Regis* Ferdinandi *clientelam, ac fidem ſe conuertit, eique ſe tradidit. Iam enim* Donzellini *nomen illi erat notum; cum* Paullo IIII. *Pontifici, eum antea per litteras commendaſſet, & in Sereniſſ. filiae,* Poloniae *Reginae Medicum illum poſtulaſſet; quare facilis illi ad Regem aditus fuit. Hic paucis expoſita cauſſa, propoſitisque poſtulatis, datoque in manus principis clementiſſ. ſupplici libello, haec ab eo verba* Donzellinus *audiuit:* Iuſta atque honeſta nobis haec videtur petitio; cui ex officio nec volumus, nec poſſumus deeſſe. *Litteras paulo poſt officii plenas, ad Principem* Venetiarum *deſcribi mandat, in quibus, grauiſſimis verbis hanc illi cauſſam commendat; ac fidem publicam pro reditu,* Donzellino *decerni poſtulat. Contigit tum forte fortuna, vt* Venetus *orator,* Leonardus Mocenicus, *obita legatione, in patriam rediret; Huic igitur a Rege, litterae traduntur; additis etiam humaniſſimis verbis, quibus hoc illi negotium vehementer commendabat. Harum litterarum exemplum ad finem huius libelli reiecimus;* (ſcriptae ſunt ex Auguſta Vindelicorum die XX. Iul. MDLVIIII.) *ne narrationis ordo impediretur; vt quiuis harum rerum veritate perſpecta, certius de illis iudicare poſſit.* Mocenicus *vbi* Venetiis *fuit, Regis mandata fideliter eſt executus; Fides igitur publica ex Senatusconſulto illi fuit decreta; qua accepta, ſtatim ſe* Donzellinus Venetias *contulit; Vbi vt magiſtratui, qui religionis cauſſis cognoſcendis praeeſt, ſe ſiſteret, prima illi fuit cura. Harum omnium rerum, non tantum ſpecta-*

Digitized by Google

ſtatores, ſed fere etiam Actores fuerunt, ampliſſimi Senatores ac Equites duo; ille, quem paullo ante nominaui Leonardus Mocenicus, *&* Paullus Theupolus; *qui tum apud Caeſarem ſereniſſ. Senatus* veneti *fuerunt oratores; cuius etiam rei cauſſa eos hic teſtes appellandos cenſui. Cum vero poſt multos dies, ſacro illi ſenatui placuit vt eius cauſſa diſcuteretur, ac iam in rem praeſentem ventum eſſet; quale nam & quam ingens crimen, illi obiectum fuit? Te nunc appello* Euandrophilax, *qui animi tui impetum ſequutus, quam plurima falſo comminiſci voluiſti. Omnis accuſationis, duo tantum capita fuerunt, alterum quod libros legibus vetitos legerit; alterum quod cum hominibus, quorum dubia eſſet fides, fuerit verſatus. Tandem, cum diligenter exploratus, atque excuſſus ab his, quibus fidei cenſura demandata eſt; ab orthodoxa doctrina, ne latum quidem vnguem diſceſſiſſe fuiſſet deprahensus; tantum ob duo illa paullo antedicta capita, in ſuſpicionem incidiſſe fuit iudicatus, ac dimiſſus; cum ſummam iudicum beneuolentiam perpetuo expertus eſſet* &c. Quae igitur cum ita ſint, quomodo fieri potuerit, vt Hieronymus Donzellinus, anno 1560. e decreto Senatus veneti, aqua ſit ſuffocatus, vt P. Baile quidem & Auctor *lexici eruditorum* ll. citt. produnt, nulla prorſus ratione conſpicere poſſumus, cum nonſolum extra omnem dubitationem poſitum ſit, quod controuerſia, quae illi cum Vincentio Calzaveglia interceſſit, poſt annum 1570. fuerit agitata, ſed ipſe etiam ille, omnia, quae Venetiis illi contigerunt, longa verborum ſerie expoſuerit. Cum praeterea neque Scipio Maffei in Verona *illuſtrata* l. cit. neque Leonardus Cozzandus eiusmodi ſupplicio Hieronym. Donzellinum e medio fuiſſe ſublatum prodiderint, nos non falli exiſtimamus, ſi iſtam narrationem ad fabulas referimus, quibus forte ex aduerſariis Donzellini quidam, credulis imponere, & eius famam contaminare ſtuduit. Quod autem Joſephus Valdanius, & Hieronymus Donzellinus, ob hanc *Apologiam* contra Euandrophylacten euulgatam; oppi-

Digitized by Google

oppido raram, quam Leonard. Cozzandus l. cit. *terribilem* nominat, vrbe Brixia excedere iussi fuerint, & ille Veronam, hic vero Venetias se contulerit, praeter Cozzandum adnotauit P. Baile l. cit. Exemplum *Apologiae*, quo vtimur, hoc singulare habet, quod acerbiora conuicia, quae in Calzavegliam iecit PHILALETHES, a quodam, forte ab auctore ipso, atramento sint obducta & expuncta. Qua ratione id factum fuerit, hic lectores docere poterit locus, qui fol. 20. b. legitur: *Tu tamen, haec omnia, (rabiosa) quadam loquacitate, (& Theonino dente petulantissime) exagitas; (& tanquam vna ex Arpiis) contaminas, foedas, ac commaculas; calumniisque ac falsis criminationibus, (& verbis ementitis) in deteriorem partem rapis, ac peruerse interpretaris.* &c. verba enim, quae vncis inclusa sunt, atramento obducta fuerunt, quod etiam in pluribus aliis locis factum fuit.

LXXII.

Incipit *Excellentissimi Medici, magistri* PETRI DE ABBANO prologus in libellum de venenis mineralibus vehitabilibus (vegetabilibus) animalibus & quolibet ente sub solari globo ceptis, per venerabilem virum Wilhelmum Haldenhoff. de Thorn Artium & Medicine doctorem Magni magistri Pruszie. Diui ordinis Theutonicorum Phisicum emendatum. in 4. folior. 24.

Inter varias editiones libri, a Christophoro Hendreich in *Pandectis* brandeb. p. 2. & a Nicerono in *Memoires* Tom. XXVI. p. 314. memoratas, haec paullo rarior, litteris gothicis expressa, locum non inuenit. Legitur in fine eiusmodi epilogus: *Hoc opus toxicorum* PETRI DE ABANO *Beatissime Pater N. tuo nomine*

Digitized by Google

mine inſcriptum habes Quod etſi breue ſit vtilitate tamen breuitatem ipſam longe compenſat. Per quod tuam ſalutem tueri Vitamque cuſtodire potes quod emendatum eſſ per Wilhelmum Haldenhoff *Ere premendum que curauit Quod arte ſua* Jacobus Thanner Herbipolen. *In Opido* Liptzenſi *perfecit. XIIII. Julii Anno domini M. CCCC. LXXXXVIII.* (1498). His verbis typographus inſignia ſua adpoſuit. Memoratur eadem editio a Mich. Maittaire in *Annal. typogr.* Tom. I. p. 672. a Joan. Henr. Leichio in *Annal. typogr.* lipſienſ. p. 74. Repetitam fuiſſe editionem, in eadem officina typographica anno 1500. in 4. plagg. 20. intelligimus e Friderici Boerneri *Specimine I. Bibliothecae librorum rariorum phyſico-medicorum, biſtorico-criticae, Helmſtad.* 1751. in 4. p. 30. vbi autem editorem Wilhelmum Huldenhoff vocari conſpeximus, qui in noſtra editione Wilh. Haldenhoff adpellatur. Pontifex maximus, cui PETRVS DE ABANO hoc opuſculum ſuum dicauit, non quidem nominatur, ſed ſine dubio Honorius IIII. aut Joannes XXII. eſt, quorum aetate is, Patauii, medicinam docuit, quibusque admodum carus fuit. In ſex potiſſimum *diuiſiones*, & capita LXXXII. opuſculum ſuum diſtinxit. I. *de venenis in genere agitur.* II. *de vnoquoque veneno in ſpecie loquitur.* III. *deſcribit modum, ſecundum quem venenum mortificat, & nocumentum inducit humano corpori.* IIII. *Sermonem facit de precuſtodia & cautela ne aut venena propinentur, aut ſi propinata non noceant.* V. *Signa ponit & curas, ad quodcunque venenum aſſumptum, & ad eius nocumenta introducta.* VI. *Virtutes bezoarticas, id eſt a morte liberantes, occulta virtute potius & diuina quam complexione vel natura ad quodcunque venenum deſcribit.* Huic poſteriori *diuiſioni*, duarum quaeſtionum ſe adiecturum ſolutiones promiſit in praefatione. I. *Vtrum tiriaca* (theriaca) *magna ſit alicui veneno bezoar, vel medicina?* II. *Vtrum venenum aliquod poſſit ad certum tempus taliter exhiberi, quod ex eo quis ad illud tempus moriatur & non ante?* Prioris

Digitized by Google

Prioris autem tantummodo quaestionis solutio ab illo prolata fuit, quae caput LXXXII. constituit, posteriorem autem silentio plane transiit. Hac igitur re Petrus Cararius siue Carrerius, monteselcensis (*Monte Silice*) Italus, medicus, qui Patauii anno 1506. mbr. tuus dicitur, permotus fuit, vt opusculum siue *quaestionem de venenis ad terminum*, conscriberet, quod nonnullis recentioribus editionibus, libri PETRI APONENSIS, additum fuit, v. c. editioni, quae cum aliis opusculis, hoc prodiit titulo: *Conciliator controuersiarum, quae inter philosophos & medicos versantur*, PETRO ABANO Patauino, *Philosopho ac Medico clarissimo Auctore. Libellus de venenis eodem auctore.* Petri Cararii *quaestio, de venenis ad terminum.* Symphoriani Champerii lugdunensis *in Conciliatorem cribrationes. Quae omnia nuperrime a viro doctissimo accuratissime sunt recognita, variisque annotationibus, ac indice locupletiori illustrata. Venetiis apud Iuntas* 1548. in fol. folior. 289. Conf. de aliis & recentioribus editionibus, libri, quem PETRVS DE ABANO *de venenis* composuit, Christophor. Hendreich & Niceron ll. citt. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. XV. p. 716. Cl. Dauid Clement *Bibliotheque historique & critique des livres qui sont difficiles à trouver* Tom. I. p. 4 sqq.

PETRVS DE ABANO, siue DE APONO, siue APONENSIS, cognomen a patria Apono, vico, haud procul, a Patauio, obtinuit. Natus dicitur circa annum 1250. & cum in Graecia, tum & Constantinopoli, & Parisiis, tanto ardore ad linguae graecae, matheseos, philosophiae, & medicinae studium incubuit, vt neminem fere in hisce artibus, sua aetate haberet parem. In academia patauina omnium primus, medicinae professor constitutus, insigni adplausu & auditorum concursu docuit. Ab aemulatoribus nomen quidem illius, ob magiae suspicionem, apud haereticae prauitatis inquisitores delatum fuerat, sed caussa non-

 dum

Digitized by Google

dum peracta, mortuus, in effigie publice combustus fuit. Conf. Gabriel Naudé *Apologie pour tous les grands personnages qui ont été faussement soupçonnez de Magie* Chap. XIIII. p. 380 sqq. edit. *Paris.* 1625. in 8. Pervulgata quidem virorum doctorum est opinio PETRVM APONENSEM anno 1316. aetatis anno LXVI. diem obiisse supremum, sed illum anno 1319. adhuc in viuis fuisse refert John Freind in *Histoire de la Medecine* Tom. III. versionis gallicae, quam dedit Etienne Coulet *à Leide* 1727. in 12. p. 70. vbi *la plûpart*, ait, *des auteurs placent sa mort en 1316.* Conringius *seulement &* Mr. Naudé *la mètent en 1305. Mais après avoir meurement examiné le fait, je crois que les uns & les autres se trompent. Car il dédia l'Ouvrage* (Conciliatorem) *dont j'ai parlé ci-dessus, au Pape* Jean *communément apelé* XXII*ème qui ètoit son ami particulier, & Homme lui-même d'une très grande Litérature. Mais comme ce Pape ne fut élevé sur la Chaire de* Rome *qu'en 1316. on doit plutôt s'arrester à ce que dit* Aquilinus (Chiromant. c. 5.) *qui parle de notre Auteur comme ètant au plus haut dégré de sa Réputation en 1319.* Conf. praeter Scriptores iam nominatos, Jo. Trithemius *de Scriptor. eccles.* Cap. DLVI. p. 135. Josias Simletus in *Bibliothec.* p. 552. Paull. Freherus, in *Theatr. viror. eruditione claror.* p. 1209. Jacob. Philipp. Tomasini, *illustrium virorum elogia iconibus exornata, Patauii* 1630. in 4. p. 81. vbi etiam eius imago, nitidissime aere expressa conspicitur. Nicol. Comnen. Papadopoli in *Historia gymnasii* patauini Tom. I. p. 178 sqq. Christophor. Aug. Heumannus in *Actis philosophor.* P. VII. p. 69 sqq. P. XV. p. 374 sqq. P. Baile in *Dictionaire* Tom. I. p. 267 sqq. Gian-Maria Mazzuchelli in *Notizie storiche e critiche intorno alla vita di* PIETRO D'ABANO in *Raccolta d'Opuscoli scientifici e filologici* Tom. XXIII. p. 1 sqq. Mich. Angel. Zorzi in *Lettera intorno al sepolcro ed alla vita di* PIETRO D'ABANO, in *lettere erudite di* Mich.

Mich. Angelo Zorzi, *in Padoua* 1726. in 4. p. 20 ſqq. *Analecta* noſtra *litterar.* p. 32.

De Wilhelmo Haldenhof, apud omnes ſcriptores altum eſt ſilentium.

LXXIII.

Paſſio ſancti Mauricii, & ſociorum eius carmine heroico edita per *fratrem* ARNOLDVM GOERINVM *Flatterium, vite communis apud Hildopolin ſectatorem.*

Ad candidum lectorem.

Thebee legionis amor ſi lector honeſtat
Pectus & ad coeli culmina voluis iter
Si tibi complures celo cupis eſſe patronos
Criminibus veniam ſi obtinuiſſe placet.
Aut ſi noſſe fides vt ſumpta morte triumphet
Viribus exertis. tentet vt aſtra poli
Si tibi placatum ſanctorum ſanguine numen
Eſſe voles. precibus ſideris orbe locum
Conciliare placet ſophie ſi lumen adeſto
Sedulus huic operi. candida ſcripta legens
Omnia nempe dabit breuis iſte libellus, opesque
Suggeret eternas. vena ſalutis hic eſt.
Multa figurarum ſpecies variusque loquendi
Hic modus innuitur. margine clauſa patent.

in 12. vel ſi mauis 8. formae minimae folior. 24.

Libellum eſſe rariſſimum, ex Scriptorum & catalogorum, quos euoluimus, ſilentio colligimus. Nullum enim inuenimus qui nomen huius auctoris adtulerit, ipſum-

Digitized by Google

ipsumque *eruditorum lexicon* illum silentio transiit. Litteris gothicis, vt verba, in fine adscripta, produnt, illum Erphordie *excudit* Mattheus Maler. *Anno &c. 1533.* In *epistola* dedicatoria satis longa, ad *honorabilem & egregie eruditum virum, dominum* Albertum Vecheldum, *ecclesie* Hildopolitane *canonicum, ac sancti* Blasii *apud* Brunopolim *Scholasticum*, scripta *Hildopoli, e conuentu fratrum vite communis decimoquinto kalendarum aprilium. Anno salutis humane MD32.* ARNOLDVS GOERINVS, *passionem sacratissimae* thebaeorum *militum legionis*, eius nomini, dedicandam ideo existimauit, vt non modo studiis eius, caelo destinatis fomenti cuiusdam rationem suggereret, sed etiam deuotissimae erga Dei sanctos eius menti, tantam patronorum multitudinem conciliaret. *Etenim*, ait, *si vnius sancti intercessione (vt sepe non incertis documentis probatum est) legimus homines vel voto fuisse potitos, vel lauatos* (leuatos) *morbo. quis dubitabit se tante multitudinis patrocinio non posse consequi que postularit. quam fides inuicta deo commendauit. quam religio honorabilem. quam venerabilem deuotio. quam ipsa denique passio celis ipsis meritis conspicuam reddidit. Si impossibile est multorum preces non exaudiri quomodo tanti exercitus sibi chariissimi vota non exaudiet deus in quibus pro sui nominis gloria fusi sanguinis preciosos riuos agnoscit. quos vbi sollertis animi tui deuotio hoc libello legerit in celestibus vitali gratia conspicuos. ipse simul piis desideriis ad beatas sacre legionis sedes rapiaris. Nec id quidem mirum si verseris in celestibus qui incredibili auiditate dei inheres verbo, (quod iuxta prophetam) in eternum permanet in celo. Vbi enim fuerit corpus. illic (domino perhibente) congregabuntur & aquile. e quibus vnam te esse & quidem prestantiorem, qui quotidiano aestu ad dni corpus congregaris. dum ad aquilae modum eterni solis radios validiore mentis acie (inflammato sacra lectione mentis desiderio) pre aliis mihi videris excipere* &c. Ceterum ARNOLDVM GOERINVM, si seculi, quo vixit, reputaueris genium, inter

Digitized by Google

ter ineptos, & vltimae, vt vocant, cauteae poetas, minime referendum esse, initium, quo carmen suum orditur, quemlibet docere poterit:

Arma fides inter radiantia firma triumphat
Thebeae *legionis amor dum diuus haberet*
Pectora. stelligeris iam nunc addicta coronis
Per tormenta necis per & ora nefanda volucrem
Librauere pedem. celo spectante. tulerunt
Premia leta deo miserante crucemque tyrannum
Derisere ferunt constanti pectore penas
Principe dum mundi victo peperere salutem
Sanguine vorati celos subiere. canoris
Vocibus vtque leuat cetus modulantis olympi
Relligionis amor rudibus me nempe camenis
Christigene generosa iubet voluisse virorum
Facta. viam facilem celi sator alme parato
Absque tuo nutu gratum nihil ipse probasti
Aut factu facile cuiquam inscriptibile lumen
O modo pro me pater vati virtutis origo
Omnigene. quidquid sancti potuere fatendum est
Munere nempe tuo totum datur. ipsa voluntas
Inter dona boni tua nam numeratur. bonesti
Tocius vnde fluit facies. opus vnde salutis
Principium sumit. cuncti veneremur oportet
Maiestatis opes tante quas nulla cupido
Extenuare potest hominum. numerusque nec vllus
Has vicisse valet. superant celestia dona
Vota virum. crescunt heredibus ecce coactis
Semper opes supere. siue quis sit pauper inopsque
Omne genus. miserumque feres qui fontis honorem
Nesciit istius. sed inertia pectora vatum
Sunt penitus. languetque manus calamique stuporem
Arentis miratur homo. dum sentit inanem
Fontis inexhausti donis se. sancta coronis
Vnde didisse fauet legio deuota. supernis
Laudibus accingor quorum te presula vates
Admouisse manum. rege. nunc exorsa leuantur.
Numine propitio calamum. mentemque rigato. &c.

Si

Digitized by Google

Si recte posuimus calculum, omne carmen 886. hexametris absoluitur. Figuras rhetoricas & poeticas, quas auctor exornando carmini adhibuit, in margine notauit, quod vltimum distichon in titulo conspicuum, iam indicauit. Historia, vel potius fabula, quam carmine expositi, notior est, quam vt illam multis verbis heic repetamus. Euoluat qui plura de S. Mauricio, & legione thebaica, cuius dux fuisse dicitur, legere cupit, scriptores historiae ecclesiasticae in primis Caesar. Baronii *Annales* ad annum Chr. 297. num. I. sqq. Tom. II. edit. *moguntinens.* 1601. col. 867 sqq. Antonii Pagi *Critica historico-chronologica in vniuersos Annales* Baronii Tom. I. *Colon. Allobrog.* 1705. p. 317. Samuel. Basnagii *Annales* Tom. II. *Roterodam.* 1706. p. 578 sqq. Circumfertur *Historia passionis* S. Mauricii, *& sociorum* augaunensium *martyrum legionis* Felicis Thebeae, quae ab Eucherio, Episcopo lugdunensi, anno Chr. 286. composita dicitur. Variae illius exstant editiones, quarum nonnullae ex codicibus interpolatis exscriptae fuerunt. Talis e. g. est, quam dedit Petrus Steuartius hoc titulo: D. Mauricius Thebaeae *legionis Dux & signifer, olim a* S. Eucherio lugdun. *nunc iterum a* Petro Steuartio *productus, Ingolstad.* 1617. in 4. *Acta* autem ista incorrupta & sincera, in monasterio iurensi inuenit Petrus Franciscus Chifletius, & euulgauit P. I. Paullini *illustrati, siue Adpendicis ad opera & res gestas* S. Paullini, nolensis *Episcopi. Diuione* 1662. in 4. Edidit illa *acta* etiam, secundum chifletianam editionem Theodoricus Ruinart in *Actis primorum martyrum sinceris & selectis ex libris tum editis, tum manuscriptis collectis, erutis, & emendatis, notisque & obseruationibus illustratis. Amstelod.* 1713. in fol. 271 sqq. Inserta etiam sunt *Bibliothecae maximae Patrum*, Tom. VI. edit. *lugdun.* p. 866 sqq. Ossa martyrum legionis thebaicae, sepulta dicuntur Augustae Taurinorum, & superstitioso cultu ibidem honorantur, quod cum oculis suis conspiceret Joannes Dubordieu, cum Friderico Duce Schom-

Digitized by Google

Schombergio anno 1691. Taurinum veniens, is edidit ex itinere italico redux factus *Dissertation historique & critique sur le martyre de la legion* Thebeenne. *Amsterd.* 1705. in 12. in qua non solum Eucherii *Acta*, cum versione gallica exhibuit, sed rem omnem, confictam esse, demonstrauit. *Carmine* epico, satis inepto, *prosam* Eucherii complexus est Marbodus siue Marbodeus, rhedonensis, quod *carmen* ex editione vetere *rhedonensi*, anni 1524. & ex duobus mss. emendatum; cum aliis eiusdem Marbodi *opusculis* rhythmicis, ad calcem *operum* Hildeberti cenomanensis, a D. Antonio Beaugendre *Paris.* 1708. in fol. repetitum fuit. F. Rudolphus Abbas *Acta* composuit *translationis, militis e legione* Thebaea an. 1121. quae Edmundus Martene inseruit *Veterum Scriptorum & monumentorum historicorum, dogmaticorum, moralium collectioni amplissimae* Tom. VI. *Paris.* 1729. in fol. p. 1015 sqq. Sed redeamus iam ex hoc diuerticulo, ad libellum nostrum. Nomina ducum, qui vna cum S. Mauricio, legioni thebaicae interfuisse dicuntur, hisce versibus complexus est auctor:

Hec mihi comperta sunt nomina sola beate.
Mauritius *victor legionis candidus atque*
Vitalis *iunctus quibus* in (*que*) nocentius *absit*
Exupe (*deinde*) tius *coeat* Florentius *istis*
Mallusius *pariter sit* Cassius *ordine iunctus*
Hi nituere duces sacre legionis honesti
Cetera nos sacri latuere vocabula caetus.

Carmini finis imponitur, narratione duorum miraculorum, quibus reliquiae istorum martyrum confirmatae fuerunt:

Corpora sanctorum multis labentibus annis
Anecis ipsorum veniunt diuinitus hora
In lucem faciente deo. Theodorus *ibi tum*
Presulis offitium. magna cum laude gerebat
Extruit ille domum sacram templumque beatis
Martiribus. que tum miranda fuere retexam

Gesta

Digitized by Google

Gesta satis. quidam fabrorum accitus inuni
Nomine gentilis. fidei virtutis & expers
Prestitit iste die solis (labor omnibus) vnus.
Relligione fuit quando & surgentis honore
Morte dei geniti vetitus. tum mente laborem
Integrare studet vesana. cumque silerent
Omnia. festa dies. alios ex more sodales
Intermisso opere in requiem misisset amicam
Festo. hic solus adest operi. tumidaque recusat
Mente. dei precepta facessere. vita decusque
Vnde fluit iustis & certa redemptio semper
Accedit. verum iste sacris non templo diebus
Vlla amens subiit. diuinis rebus honorem
Detulit haud vllum. clara huic luce beati
Apparuere viri sacre legionis & idem
Mox agitus scelerum reus & mox pendere penas
Vrgetur. reprehensus item cur solus iniquo
Presumptu temerarit opus. calcarit olympi
Festa rogant scelerare manu quo iure fabrili
Hos edis sacre muros. capitella. columnas
Ausus pollutis fuerit contingere palmis
Cum fidei dono penitus sit inanis & exors
Detulerit festis non relligione diebus
Legittima. precibus deuote mentis honores.
Hoc agitauerunt summo miseramine sancti
Quo terrore faber stupefactus verteret ille
In meliora gradum. fidei vt virtute recepta
Exueret gentilem animum sensumque ferinum
Vtque operante deo completum est verbera post hec
Insuper est inter sanctorum signa canendum
Vxor erat Quinti *generis splendore potentis*
Ac grauitate viri. paralitica membra trahebat
Insignis mulier miris cruciatibus. vt iam
Non ratione pedem quoquam foret vlla potestas
Vertendi, sic dira lues constrinxerat artus
Cum spes nulla super medicabilis afforet vllis
Herbis. ars omnis siluit. medicamque salute
Destituisse manum visa est. conuersa precatur

Ad

Digitized by Google

Ad legionis iter ſacre templa ardua celum
Aſpiciens propere obſequium famulique parentes
Id patiente viro famulis geſtantibus actum
Poſtquam rite fuit. celeſtis gratia votis
Affuit ecce piis. diua legione iuuante
Debilibus membris rediit medicina ſalutis
Mox pedibus nixus propriis remeauit in edem
Que manibus perlata fuit paulo ante alienis
Plurima nempe forent mihi nunc recinenda beatis
Martiribus patrata ſuper. que ſigna ſathanum
Corporibus populi dederint pellendo. aliisque
Peſtibus obſeſſos. hi qua virtute leuarint
Pagine preſenti fuerit ſatis iſta ſecutum
Eſſe. ſed adiiciam merito hoc patientibus vnum
Muſis candidulis. vndis qua lege miniſtris
Annorum tandem numeroſa volumina poſt. In
(*tuque*) nocenti *orbi tua pignora & oſſa ſuperni*
Arbitris in lucem iuſſu properata marinis
Occultata diu veniſtis fluctibus. vtque
Dicere fert animus tenebris quo iure relictis
Inuenere diem ſanctiſſima membra beati
Martyris iſtius. pignusque innotuit orbi
Nobile. muſa refer miſſis ambagibus alma
Texit arena diu rodani *lambentibus vndis*
Corpus & oſſa viri. calamo aſſignante notati
Jam dudum. tegit vrna verox (ferox) *prope gurgitis*
oram
Alluit vnda ſolum ſenſim mordaxque procella
Vicit mite leui lapſu proprioris arene
Pondus. & ad tumulum ſancti dedit oſcula dulci
Impulſu retegendo locum commonſtrat honeſtam
Jure ſepulturam templi intra ſepta parari
Martyribus reliquis iunctam. deus auctor olympi
Hac in re innocuam tactu voluiſſe ſacrate
Creditur en rodani *ſpecioſi corporis vndam*
Credulitate ſibi populis fidentibus inde
Surgeret in laudem domini medicina ſalutis
Preſulibus tribus inde loco ſunt pignora ſancti

Digitized by Google

Martyris elata gennensibus *vnus at altet*
Augustane *vrbi presedit. tercius isti*
Affuit ecce loco Antistes quo rite coluntur
Religione pia christo *regnante per euum.*
Gloria viuenti cui sit decus atque potestas.

Adpendicis loco, carmini accedit *elegia* distichor. 40. ab eodem ARNOLDO GOERINO, ad Albertum Vecheldium, cui libellum suum, vti iam diximus, dedicauit, scripta.

LXXIIII.

HOMERI *grecorum poetarum clarissimi* yliadum opus per PINDARVM *thebanum*: e greco in latinum traductum.

Quisquis in nostros faciles amores
Quos Venus regina Gnidi coercet
Siue ludorum varias figuras
Carmine poscis

Falleris: luctus celebrare Clio
Tentat: & tristes animas virorum.
Forcium: qui res hominum ac deorum
Bella subybant.

Hec tibi atridas referet superbos
Quos iuuat martem Priamo innouare
Forcia & tristi superare Troye
Corpora morte.

Quin & ewropam & asiam refuso
Commouent greci occeano feroces
Atq. iactatam religarunt vdo
Littora classem.

Hec

Digitized by Google

Hec cànam, & magnos referam triumphos
Quosq. virtutis meritum ſub alta
Sydera extollat: varias domando
Corpore vires.

in 4. folior. 34.

Quamuis haec homericae *iliados* epitome, verſibus latinis, heroicis conſcripta, vice plus ſimplici cum HOMERO, Darete phrygio, & Joſepho Iſcano edita fuerit, editio tamen, cuius adtulimus titulum, cum e primis eſt, raritate ſe commendat. Quis illam in lucem prodire iuſſerit, quo tempore, &, qua in vrbe, comparuerit, diſertis quidem verbis non proditum fuit, *Lipſiae* tamen *per Martinum herbipolenſem* impreſſam eſſe, ſcutum iſtius typographi, in fine adpoſitum, ſatis ſuperque demonſtrat. Vid. Jo. Henr. Leichii *Annal. typograph.* lipſienſ. p. 100. In praefatiuncula praemiſſa, de auctore poematis haec leguntur: HOMERVS Troye *ſeu* ylii *captiuitatem iuxta numerum grecarum litterarum XXIIII. libros Heroicis verſibus conſcripſit hunc librum* PINDARVS Thebanus *& Philoſophus & poeta: qui tempore* ſuperbi tarquinii *claruit e greco: in latinum tranſtulit: qui nunc pre manibus eſt.* Quod haec cum veritate minus congruant, extra omnem iam dubitationem, noſtra aetate, poſitum eſt, cum multis indiciis probatum fuerit, tempore ſic dictae mediae aetatis, auctorem poematis vixiſſe. Quis autem ille fuerit, nemo huc vsque pro certo adfirmare ſuſtinuit. Caſpar Barthius in *Adverſar.* L. LIIX. Cap. XIIII. col. 2749. haec de illo habet: *Non poſtremus eſt inter auctores non omnino antiquos, quos tamen cenſui eorum aliquo modo adſcribere poſſis, qui de bello* troiano *verſibus compendium quoddam conſcripſit,* PINDARI Thebani *nomine; quem ego quidem, more ſeculorum latius recedentium, ab eruditione priſca, ad conciliandam libro auctoritatem antiquiſſimi poetae potiſſimum titulo vſum fuiſſe exiſtimo:*

Digitized by Google

ſecurum interim quid iſti conueniret, quem ſciret aequalium ſuorum pauciſſimis vel nomine ſolo notum eſſe. Eadem ratione Daretis *nomen adſcitum eſt* Joſepho Iſcanio Deuonio, *quem neſcio an non & huius compendii cenſerem ſcriptorem, niſi quod* PINDARVM *hunc ficticium illo videam longo interuallo caſtigatiorem & melioris iudicii eſſe; vitantem vitia, quae ille alter adfectat, acuminum videlicet a verborum ſonis pendentium & colluſionum inter paria vocabula, paresque ſonis litteras; quae peſſumdederunt bono ingenio niſam, bona eruditione munitam poeſin etiam ſequiorum temporum: Quod ſi vno verbo res edicenda ſit, ſane non verecundabor dicere, huic ſcriptori me tantum tribuere quantum vix vlli alii, qui tale quid media illa barbarie auſi ſunt, tum ob phraſin, tum ob eruditionem; tum vero praecipue ob temperiem & cautionem illam modo dictam, tum ſecula tota regnantium vitiorum.* Conf. L. LVIIII. Cap. I. col. 2768 ſqq. Cap. XV. col. 2806. Eiusd. *Animadverſ. ad* Papinii Statii *Thebaid.* L. VI. v. 120. Tom. III. p. 392 ſqq. Gerard. Joan. Voſſii *de Hiſtoricis latinis* L. III. Cap. XI. p. 746. Joan. Alb. Fabricii *Biblioth. latin.* L. I. Cap. VI. p. 72. vbi a Laurentio Valla, iſte PSEVDOPINDARVS ipſi Virgilio, ſed inepte antelatus dicitur. Eiusd. *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. XV. p. 875. Prima omnium dicitur editio, quam Laurentius Abſtemius *Florentiae* in 4. euulgauit. Vid. Jo. Cinelli *Bibliotheca volante* Tom. VII. p. 66.

Digitized by Google

LXXV.

Carmen de laude caluorum, cuius singulae dictiones a C. littera incipiunt.

Vdalrici Carinthi in Caluorum Eulogium Distichon.

Concedant cuncta cantorum carmina caluis
Caluos conficiunt carmina conspicuos.

Georgii Symler Wimpinensis in Caluorum Camoenam.

Compositam cynico caluorum carmine caussam
Conspice conceptam carmine caluiciem.

Eiusdem ad idem.

Si te delectat caluorum gloria: si laus
Perlege quod cernis carmen vtrumque dabit.

Joannis Hiltebrant Indide distichon.

Caluule si criticus conuicia forte pararet
Hoc rogo perpulcrum subiiciens speculum.

in 4. folior. 4.

Editio litteris romanis excusa, satis vetusta, sine die, vt aiunt, & consule, in lucem exiit. Tribuitur illud carmen HVCBALDO, siue vt ab aliis scribitur HVGBALDO, HVABALDO, siue HVBALDO, monacho S. Amandi elnonensis, in Hannonia, ad fluuium Elnonem, in dioecesi tornacensi, ordinis Benedictinorum, quem tempore Caroli calui vixisse, & idem *carmen*, ad eumdem Imperatorem scripsisse perhibent. Obiisse dicitur anno 930. VII. Kal. Jul. & sepultus ad S. Amandum fuit, vbi hoc eius epitaphium:

Dormit in hac tumba simplex sine felle columba
Doctor, flos, & honos tam Cleri, quam monachorum

Digitized by Google

HVCBALDVS, *famam cuius per climata mundi*
Edita sanctorum modulamina, gestaque clamant.
Hic Cirici (S. Quirici) *membra pretiosa reperta*
Niuernis
Nostris inuexitoris, scripsitque triumphum.

exstare, scribunt Casimir. Oudinus in *Commentar. de Scriptor. & scriptis eccles.* Tom. II. col. 418. & Jo. Alb. Fabricius in *Biblioth. med. & infim. Latinit.* p. 840. *Vitas* multorum *sanctorum* scripsit, vt ait Sigebertus gemblacensis *de Scriptor. eccles.* Cap. CVII. p. 105. edit. Joan. Alb. Fabricii, quarum editiones memorantur a Casimir. Oudino & Jo. Alb. Fabricio ll. citt.

Omnes fere scriptores illum *carmen de laudibus calvorum*, versuum trecentorum, quorum singula verba littera C. incipiunt v. c.

Carmina clarisonae calvis cantate camoenae
Comere condigno conabor carmine caluos
Contra cirrosi crines confundere colli.
Cantica concelebrent callentes clarae camoenae
Collaudent caluos, collatrent crimine claros
Carpere conantes caluos, crispante cachinno &c.

composuisse perhibent. Nostra vero editio, sicut & aliae CXXXVI. tantummodo versus ob oculos ponit. Nactus autem est Caspar Barthius codicem MS. ex Bohemia XV. versibus auctiorem, qui hoc pro Carolo Caluo Caesare votum referunt:

Carmine clara caue caluos caluare Camoena,
Crispa cadat contra candata calumnia cirro.
Caluorum charites cantatae carmine claro
Conticeant cum clangenti concita canore
Conciderint caeli cum Christi *culmina cultu.*
Caesareae capides, cauti cata cista Catonis
Concludant cleri captantia carmina culpas,
Carmina caluorum comtrix conclude Camoena.
Carole *tum caluis*, Caesar *clarissime canta*,

Cru-

Digitized by Google

Crucifixo Christo *clari conamina Cleri.*
Clausa camœna capit cum Caesare *congrua curam.*
Comta corona cane, cum Caesare *condita caluo.*
Caroleos *comunt celebrantia carmina caluos.*
Christe *caput caluum cum comto contueare,*
Crux cuius cuncti condonat crimina caluis.

Integrum *carmen* inseruit Caspar Barthius variis in locis emendatum Libr XLVI. *Aduersariorum* Cap. XXII. col. 2175 sqq. Nostrae editioni praefigitur narratio de HVGBALDO Ex libro *de ecclesiasticis Scriptoribus* Joannis de Trittenheim spanhemensis *Abbatis ordinis sancti* Benedicti. Extat illa Cap. CCLXXXIIII. p. 75 sqq. edit. fabrician. Initio *carminis* haec leguntur verba: *Incipit aegloga domi.* HVGBALDI. *mo.* Elno. *Ordi.* S. Benedicti. *ad* Caro. calvum. *Imp.* In XII. dispescitur capita, si prooemium & clausulam *carminis* exceperis. Hic modo adscribimus argumenta.

Cap. I. *quod caluicies in quodam praesagio futurorum quibusque prouenire videatur.*

II. *Caluos cantores, abbates, doctores, & episcopos esse atque sacerdotes.*

III. *Quod calui reges sint & Imperatores Consules quoque legislatores & iudices.*

IIII. *Quod calui sint duces exercitus ipsi etiam bellatores docti atque robusti.*

V. *Laus caluorum in experientia artis medicinae tam pharmaciae quam chirurgiae.*

VI. *Inuectio increpantis: aduersus cauillatorem caluos conuiciantem.*

VII. *Item aduersus eundem, & laus caluorum de humilitate, charitate & castitate.*

IIX. *Exprobracio carminis eius de paradigma de* Helizeo *propheta & pueris insultantibus.*

Digitized by Google

VIIII. *De egregio Caluo* Paullo *apostolo, qui a* Christo *vocatus caecatusſit: raptus in tercium caelum.*

X. *Quod factus ſit ex perſecutore praedicator, & quod comam nutrire & turpem vetarit proferre ſermonem.*

XI. *Alloquitur camoenas poeta de cauillatore inſinuans eum calui regis iudicio, caecatum.*

XII. *Epithoma laudis caluorum a corporis ſitu & pulchritudine, & quod caluus ſit microcoſmus.*

In fine *carminis* haec verba leguntur: *Explicit carmen* HVGBALDI *monachi ad* Carolum: *de laude caluorum* τελος. Memorantur iſtius carminis editiones *baſileenſis per Nicolaum Lamparter* 1516. in 4. vid. Mich. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. II. p. 291. *baſileenſis* 1546. & *louanienſis apud Hieron. Wellaeum* 1561. Caſpar Dornauius illud inſeruit *Amphitheatro ſapientiae* Socraticae *ioco-ſeriae* Tom. I. p. 290 ſqq. quae editiones omnes CXXXVI. tantummodo verſus exhibent. Caſimir. Oudinus l. cit. varias nominat bibliothecas, vbi codices *carminis* inueniuntur mſs. Conf. praeter ſcriptores iam citat. Joſ. Simleri *Bibliotheca* p. 304. & 305. Lil. Greg. Gyraldi *de poetarum hiſtoria* Dialog. V. Tom. II. *Oper. Baſil.* 1580. in fol. p. 223. Anton. Poſſeuini *Adparat. ſac.* Tom. II. p. 60. & 61. vbi HVBALDVM ab HVGBALDO ſiue HVGBALDO diuerſum eſſe exiſtimat, & poſteriorem tempore Sergii, Pontificis rom. ac B. Bonifacii archiepiſcopi, in monaſterio elnonenſi vixiſſe, & *vitam* S. Lebuini *presbyteri & confeſſoris* ſcripſiſſe perhibet, ſed refellit eius ſententiam Gerard. Joan. Voſſius L. II. *de Hiſtoricis latinis* p. 304. Valer. Andreae *Bibliotheca* belgica p. 395. Franc. Sweertii *Athenae* belgic. p. 351. Caeſar. Egaſſii Bulaei *Hiſtoria academiae* pariſiens. Tom. I. p. 607. Guil. Caue *Hiſtor. litter. Scriptor. eccleſiaſt.* p. 578. vbi minus adcurate HVGBALDVM *librum trecentorum carminum in laudem caluitii* ſcripſiſſe refert, quem Caſp. Barthius ediderit *integrum*. Trecenti enim tantum modo ſunt *verſus*, quibus HVGBALDI *carmen*

Digitized by Google

carmen memorant, fuisse compositum scriptores, sed, vti iam dictum est, nostrae aetatis editiones versus tantum referunt CXXXVI. quos Barthius XV. versibus ex codice bohemico reddidit auctiores. Legi etiam de HVGBALDO & eius *carmine* poterunt Polycarp. Leyseri *historia poetarum & poematum medii aevi* p. 277. die *Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dresden Tom. III. p. 20. vbi editio sine loco & anno in 4. excusa memoratur, quae forte per typothetarum errorem 130. versus continere dicitur.

Eiusmodi carminibus, quae latini *paromoea*, *pareomia*, *litteralia aequidica*, galli autem *vers lettrisez* siue *Tautogrammes*, vocare solent, recentioribus temporibus, praeter alios innotuerunt, Christianus Pierius colonienſis, & Petrus Placentius, quem Seigneur des Accords in *Bigarrures*, *à Rouen* 1620. in 12. Chap. XIIII. fol. 109. Germanum vocat. Ille edidit *Maximilianeida maiorem* Maximiliano *multipotenti mancipatam. Modulatore* Christiano Pierio *Tubing.* 1570. in 4. quo in carmine omnes voces littera M. inchoantur. Exstat eiusdem *Carmen cothurniatum, cataſtrophicumque, crudeles* Christi *cunctorum credentium conſeruatoris, cruciatus caedemque cruentam contumelioſamque continens, Francofurti apud haeredes Chriſtiani Egenolphi* 1576. in 8. in quo vocabulorum singulorum prima C. est littera. Conf. Joſ. Simleri *Bibliotheca* p. 120. Nicol. Bassaei *Collectio omnium in vnum corpus librorum, qui in nundinis* Francofurtenſibus *ab anno 1564. vsque ad nundinas auctumnales 1592. venales extiterunt.* P. I. p. 569.

Hic conscripsit adscito nomine Publii Porcii, poetae, *de pugna Porcorum*, *poema* cuius singulae voces littera P. initium ducunt. v. c.

Plaudite porcelli porcorum pigra propago
Progreditur, plures porci pinguedine pleni.
Pugnantes purgent, pecudum pars prodigioſa
Perturbat pede potroſas plerumque plateas.

Digitized by Google

Pars portentosa populorum prata profanat
Pars pungit populando potens, pars plurima plagis
Praetendit panire pares, prosternere paruos &c.

Petrum Placentium poetam fuisse pauperem, testatur posterior versus, in *carmine* quod addidit *poemati* suo, *ad potentissimum, pientissimum, prudentissimumque Principem, Patrem purpuratum, praesentem Pontificem,*

Pensa pauperiem, princeps praeclare poetae.

Poematis *de pugna porcorum* variae exstant editiones. Vetustissima, quae nobis innotuit, est *parisiensis apud Hieronymum Gormont* 1539. in 8. *Basileae* 1542. in 8. editum esse hoc *poema*, per litteras nuper amicus docuit. Editio qua vtimur, dum haec scribimus, adiecta est *Nugis venalibus siue Thesauro ridendi & iocandi anno* 1689. in 12. p. 237 sqq. Illi talis praefigitur titulus: *Pugna porcorum per* P. Porcium *poetam. Paraclesis pro Potore*

Perlege porcorum pulcherrima proelia, potor
Potando poteris placidam proferre poësin.

Niuerstadii apud Gasparum Myrrheum, Melchiorem Thureum, & Balthasarem Aureum 1689. Varia libello praemittuntur epigrammata, inter quae vnum legitur, quo poeta nomen suum prodidit:

Plura Latent Animo Coelata, Et Non Temeranda
Indiciis Vllis, Scilicet hoc volui.

Prodiit etiam praeterito seculo, cum aliis eiusdem commatis opusculis, editio hoc titulo: *Porcus pugnans Anno* 1690. in 4. folior. 8. Praecedit illam scriptum satyricum titulo: *Papa pariens Anno 1690.* folior. 8. Sermone soluto conscriptum est, omnesque voces littera P. inchoantur, quod & in *carmine elegiaco* distichor. 24. illi adiecto factum est. Conf. Adrien Baillet *Jugemens des Savans* Tom. V. P. II. 304. Vincent. Placcii *Theatr. Pseudonymor.* p. 517.

De carminibus paromoeis, siue paranoemis vid. Seigneur des Accords l. cit. fol. 108 b. sqq. R. P. F. Pa-

Digitized by Google

Paſchalii, a S. Joanne Euangeliſta, Fratrum ordinis, Mariae virginis de Monte Carmelo, Obſer. ſtrict. in gymnaſio ciuitatis imperialis rauenſpurganae, nec non leontinae in Tyroli quondam humaniorum litterarum Profeſſoris, *Poeſis artificioſa Herbipoli* 1674. in 12. P. V. §. XXXXVI. p. 119. Chriſtophor. Kleſchii *poetica palma ſub palma ſeu manuductio ad palmeti poetici Delicias, Erfurt.* 1700. in 8. p. 127 ſqq. vbi eiuſmodi carmina minora exhibentur.

LXXVI.

Probleumata ARESTOTELIS determinantia multas queſtiones de variis corporum humanorum diſpoſitionibus valde audientibus ſuaues Cum eiusdem ARESTOTELIS vita & morte metrice deſcripta Subiunctis metrorum cum interlineali gloſa ſententionalibus expoſitionibus. in 4. folior. 48.

Quo tempore editio antiquiſſima & rariſſima libelli admodum inepti prodierit, dicere non poſſumus, cum eius rei nec vola nec veſtigium, per omnem librum exſtet. Seculo decimo quinto illum in lucem eſſe protruſum, ex eo coniicimus, quod litterae florentes, per omnem codicem, litteris gothicis exſcriptum, & multis ſcribendi compendiis refertum, omiſſae fuerint. Tituli verbis, ſubiecta eſt figura ligno inciſa, quae doctorem menſae adſidentem, libroque aperto inſtructum refert. Pedibus adſident duo diſcipuli. Caput doctoris circumdatum eſt nimbo, quo ſanctorum imagines ornari ſolent. Ad ſiniſtram ſedentis doctoris, hic legitur verſus:

Accipies tanti doctoris dogmata ſancti.

Hac figura ARISTOTELEM deſignari, in propatulo eſt

est. Quod autem insignem huic codici raritatem conciliat, est Anonymi *carmen de vita* ARISTOTELIS, rhythmis leoninis conscriptum, quod integrum, vna cum particula *commentarii*, vbi auctor ARISTOTELEM caelitibus adcensere non dubitat, illumque Christi *praecursorem in naturalibus* fuisse perhibet, *sicut fuerit* Joannes baptista *praecursor* Christi, *ad praeparandum ipsi plebem perfectam in gratuitis*, inseruit Christophor. Augustus Heumannus *Actis philosophorum* P. XV. p. 345 sqq. Nostram autem editionem, ab illa, qua vsus est Heumannus, diuersam esse, patet e foliorum numero. Heumanni enim exemplar XXXII. tandummodo foliis absoluebatur, nostrum vero folia complectitur XXXXIIX. Theologis colonienſibus librum tribuere videtur Henricus Cornelius Agrippa ab Nettesheim in *Declamatione de incertitudine & vanitate scientiarum atque artium* cap. LIIII. Tom. II. *Operum. Lugduni per Beringos fratres* 1600. in 8. p. 93. cum scribit: *Dignissimus* (ARISTOTELES) *profecto hodie latinorum gymnasiorum doctor, & quem* colonienses *mei Theologi etiam diuis adnumerarunt, librumque sub praelo euulgatum ederent, cui titulum facerent* de salute ARISTOTELIS (vid. *Analecta litteraria de libris rarior.* p. 845.) *sed & alium versu, & metro* de vita & morte ARISTOTELIS, *quem theologica insuper* glossa *illustrarunt, in cuius calce concludunt,* ARISTOTELEM *sic fuisse* Christi *praecursorem in naturalibus, quemadmodum* Joannes baptista, *in gratuitis.* Reliqua, quae de libro dici potuerunt, adlata iam fuerunt a Christoph. Aug. Heumanno l. cit. Conf. Cl. Dauid Clement *Bibliotheque historique & critique, des livres qui sont difficiles à trouver* Tom. II. p. 104. cui nostra editio non innotuisse videtur.

Digitized by Google

LXXVII.

Regimen ſanitatis. in 4. folior. 80.

Librum proferimus, qui nemini inter Aeſculapii filios incognitus eſſe poterit, cum ſaepiſſime, iam titulo *ſcholae* ſalernitanae *de tuenda valetudine;* iam *floris medicinae* &c. in omnibus fere linguis vſitatioribus editus fuit. Editio paullo antiquior & rarior efflagitat, vt etiam illius heic faciamus mentionem. Charactere litterarum gothico impreſſa eſt, & in fine haecce refert verba: *Tractatus qui de regimine ſanitatis nuncupatur Finit feliciter: Impreſſus* Argen. *Annò dni. M. CCCC. XCI.* (1491). *In die ſancti Thome cantuariens.* In Michaelis Maittaire *Annal. typograph.* illam fruſtra quaeſiuimus. Ad exemplar, illa exſcripta fuit, per medicos Montis peſſulani anno 1480. recognitum atque emendatum. Teſtis illius rei, initium eſt, eiusmodi verbis conceptum: *Incipit regimen ſanitatis* ſalernitanum *excellentiſſimum pro conſeruatione ſanitatis totius humani generis perutiliſſimum. nec non a magiſtro* Arnaldo de villa noua cathalano *omnium medicorum viuentium gemma vtiliter ac ſecundum omnium antiquorum medicorum doctrinam veraciter expoſitum. nouiter correctum ac emendatum per egregiſſimos ac medicine artis peritiſſimos doctores* montispeſſulani *regentes. Anno M. CCCC. LXXX. predicto loco actu moram trahentes.* Scholae ſalernitanae praecepta ipſa, verſibus leoninis eſſe conſcripta, neminem fugere poterit. Initium illorum tale eſt:

Anglorum *regi ſcripſit ſcola tota* ſalerni
Si vis incolumem. ſi vis te reddere ſanum
Curas tolle graues iraſci crede prophanum
Parce mero. cenato parum. non ſit tibi vanum
Surgere poſt epulas. ſomnum fuge meridianum
Non mictum retine. nec comprime fortiter anum.
Hec bene ſi ſerues. tu longo tempore viues. &c.

Regem

Digitized by Google

Regem Angliae, qui heic nominatur, Robertum fuisse dicunt Normanniae ducem, Guilielmi I. Conqueſtoris, Regis Angliae, filium, qui Regis Angliae gerebat titulum, proprerea quod regiam Angliae dignitatem ſibi vindicabat, contra Guilielmum rufum fratrem. Illum autem e bello ſacro reducem, conſuluiſſe memorant ſcriptores, ſcholam medicorum ſalernitanam, tunc temporis celebratiſſimam, de vulnere gangraenoſo, quod brachio illius dextro, in obſidione hieroſolymitana, telo venenato, inflictum erat. Communi ſcholae ſalernitanae medicorum conſilio, qui tunc erant temporis JOANNES DE MEDIOLANO, Joannes de S. Paullo Platearius, Saladinus de Eſculo, Guilielmus Placentinus, Hieronymus Balduinus, Beneuenutus Graphaeus de Jeruſalem, Franciſcus Alphanus, Rogerius, Joannes, & Gualtherus ſalernitani &c. opus circa annum 1100. conſcriptum eſſe dicitur, auctore quem primo loco nominauimus JOANNE DE MEDIOLANO, quem & Joannem Platearium adpellatum fuiſſe contendit Renatus Moreau in *prolegomen. ad praecepta ſcholae* ſalernitanae *de tuenda valetudine*, & Hermann. Conringius in *Antiquitat. academicis* Diſſert. III. §. XXII. p. 105. edit. Chriſtophor. Aug. Heumanni *Goettingae* 1739. in 4. ſed Joan. Alb. Fabricius in *Bibliothec. med. & infim. Latinit.* L. XV. p. 888. aliique ſcriptores, Joannem de S. Paullo Platearium, virum, a JOANNE DE MEDIOLANO fuiſſe diuerſum, omnino ſtatuere videntur. Quid commouerit Philippum Picinellum, vt in *Ateneo de' letterati* milaneſi *Milano* 1670. in 4. *praeceptorum ſcholae* ſalernitanae auctorem nominauerit Joannem Ferrarium, quem maxima ſcriptorum pars JOANNEM DE MEDIOLANO adpellat, ignoramus. Conf. Paull. Colomeſii *Recueil de particularitez*, in *opuſculis Vltraiect.* 1669. in 12. p. 107. Thom. Bartholini *Diſſert. de medicis poetis* p. 128. Lionardo Nicodemo *Addizioni alla biblioteca* napoletana *del Dottor* Niccolo Toppi, *Napoli* 1673. in fol. p. 228. Joan. Deckher

de

Digitized by Google

de Scriptoribus adeſpotis p. 339. Vincent. Placcii *Theatr. Anonymor.* p. 252 ſqq. Jo. Albert. Fabricii *Bibliotheca latina* L. IIII. Cap. XII. p. 871 ſqq. & Tom. III. p. 882 ſqq. John Freind *Hiſtoire de la medecine* P. III. p. 12 ſqq. vbi haec, de hoc libro legimus: *Peu de tems après* (poſt tempus, quo floruit Conſtantinus africanus) *cela environ l'an 1100 on compila ce fameux ouvrage intitulé* ſchola ſalernitana, *qui fit alors beaucoup de bruit; qui en a fait pour le moins autant dans les ſiécles ſuivans; & auquel* Arnold de Villeneuve *fit l'honeur de le comenter. Il fut raſſemblé, & reduit en corps, par* JEAN DE MILAN, *& dedié au Nom de toute la faculté à* Robert *Duc de* Normandie, *qui étoit fils de notre Roi* Guillaume le Conquerant, *& qui à ſon retour de la guerre ſainte, s'arêta quelque tems dans la* Pouille *parmi ſes Compatriotes les* Guiscars, *qui s'y étoient établis depuis peu. Il avoit été bleſſé au bras, & il conſulta les médecins de* Salerne *ſur les moyens de guérir ſa playe. Cet ouvrage contient les principaux Préceptes qu'on doit obſerver pour la conſervation de ſa Santé; & il traite des ſix choſes non naturèles. Il eſt compoſé tout en vers* Leonins; *aparemment par une Civilité particulière pour leur Protecteur; cète ſorte de poèſie étant alors extrêmement du goût des* Normans. *Nous aprenons auſſi que ce fut par ce même motif, qu'ils ajoutèrent un Chapitre entiér qui traitoit de la fiſtule, parce que c'étoit le cas où ſe trouvoit ce Prince: la playe qu'il avoit reçue, & qui avoit été faite avec vne flèche empoiſonée, s'étant changée en cète ſorte d'ulcère* &c.

Commentarius, qui huic editioni adiectus eſt, auctorem habet Arnaldum de Villa noua, medicum Seculo XIII. & initio Seculi XIIII. clariſſimum, de cuius patria, Hiſpani quidem & Galli contendunt, ſed illum neque in Hiſpania, neque in Gallia, ſed in Italia, Mediolani prognatum fuiſſe, contendit John Freind l. cit. p. 55 ſqq. & id ipſius Arnaldi teſtimonio confirmat.

Vitam

Digitized by Google

Vitam illius, data opera conſcripſit Mr. de Haitze, Gallus, qui ſub perſona Petri Joſephi (Pierre Joſeph) dedit *la vie d'*Arnaud de Villeneuve *à Aix* 1719. in 12. Conf. Symphoriani Champerii *vita* Arnaldi Villanouani, quae *operibus* Arnaldi de Villa noua *Lugdun.* 1532. editis praefigitur. Petri Caſtellani *vitae medicorum illuſtrium, qui toto orbe ad haec vsque tempora floruerunt, Antuerp.* 1618. in 8. p. 152. Paul. Colomeſii Gallia *orientalis* p. 2. edit. *Hag. Comit.* 1665. Nicol. Antonii *Bibliotheca* hiſpana *vetus* Tom. II. L. VIIII. Cap. I. p. 74 ſqq. Eſtevan de Villa *vida de* Arnaldo de Villanova, in *las vidas de doze Principes de la Medicina, Burgos* 1647. in 8. Caſimir. Oudini *Commentar. de Scriptor. & ſcriptis eccleſ.* Tom. III. col. 616 ſqq. Niceron *Memoires* Tom. XXXIIII. p. 82 ſqq. Jaques George de Chaufepié *Nouveau Dictionaire hiſtorique & critique* Tom. I. Litt. A. p. 480 ſqq. A magiae ſuſpicione illum liberare ſtuduit Gabriel Naudé in *Apologie pour tous les grands perſonnages qui ont été fauſſement ſoupçonnez de Magie*, Chap. XIIII. p. 376 ſqq. Conf. *Menagiana* Tom. IIII. *Amſterd.* 1716. p. 390. vbi error emendatur, quem admiſit Gabr. Naudé l. cit. p. 378. & in *Naudaeanis, Amſterd.* 1703. in 12. p. 129. De controuerſia, quae Arnaldo Villanouano interceſſit cum Martino d'Athera, monacho dominicano, theologica vid. Caeſ. Egaſſii Bulaei *Hiſtor. academ.* pariſiens. Tom. IIII. p. 121. De erroribus, eius theologicis quindecim, quos ex libris illius excerpſit Joannes Longerius, Ordinis FF. Praedicatorum Inquiſitor, & damnauit eccleſiae tarraconenſis Praepoſitus, vicariusque generalis, ſede vacante an. 1317. vid. Nicolai Eymerici *Directorium inquiſitorum* P. II. Quaeſt. XXIIX. edit. *Rom.* 1585. in fol. p. 282. Niceron *Memoires* l. cit p. 92 ſqq. Natalis Alexandri *Hiſtor. eccleſiaſt.* Secul. XIII. Cap. III. Artic. XII. Tom. VII. p. 102 ſqq.

Scholae ſalernitanae optima, noſtra aetate, cenſetur editio, quae prodiit hoc titulo: *Schola* ſalernitana, *hoc*

Digitized by Google

hoc eſt, de valetudine tuenda opus, noua methodo inſtructum, infinitis verſibus auctum, *Commentariis* Arnoldi Villanouani, Joan. Curionis, Jacob. Crellii, Conſtanſoni *illuſtratum*. *Accedunt Animaduerſiones nouae & copioſae* Renati Moreau, *Lutet. Paris.* 1672. in 8. Editio haec poſthuma eſt, prior euulgata fuerat ab ipſo Renato Moreau, *Paris* 1625. in 8. Vid. Niceron *Memoires* Tom. XXXIIII. p. 298. De aliis editionibus & verſionibus *ſcholae* ſalernitanae vid. Thom. Hyde *Catalog. Bibliosh.* bodleian. Tom. II. p. 128. Georg. Abrah. Mercklini Lindenius *renouatus*, *Norimb.* 1686. in 4. L. I. p. 638 ſqq. Anno 1650. prodiit *Pariſiis L'Eſcole de* Salerne *en Vers burlesques*, *& poema macaronicum de bello* huguenotico *par* L. M. P. (L. Martin) in 4. form. mai. Diuerſum ſine dubio opuſculum eſt ab illo, de quo Joan. Deckherrus *de Adeſpotis* l. cit. ſcribit: *ſcholam* ſalernitanam *verſibus macaronicis gallicis*, *quos* burlesques *vocant*, *nuper* Pariſiis *diuulgauit* Joh. Cochart *ſummo* Guidoni Patino *dedicatis*, *quorum verſuum* Patinus *ipſe auctor creditur*.

LXXIIX.

Fratris BAPTISTE MANTVANI *Carmelite Theologi* de morte contemnenda carmen elegiacum Sexcentis locis ab authore ſuo caſtigatum. in 4. folior. 9.

Opuſcula JOANNIS BAPTISTAE SPAGNOLI, mantuani, poetae ſui ſeculi celeberrimi, exeunte quidem ſeculo XV. & initio ſeculi XVI. ſaepius ſeorſum excuſa fuerunt, ſed omnia hodie raro inueniuntur, & in abditis monaſteriorum & bibliothecarum loculis deliteſcunt. Hanc igitur ob cauſſam, quae ex illis in manus noſtras inciderunt, paullo adcuratius deſcribemus. Editio, cuius titulum adſcripſimus, litteris go-

Digitized by Google

thicis paullo crassioribus impressa, non addito loci, temporis, & anni indicio in lucem exiit.

LXXVIIII.

Celebrandi patris BAPTISTE MANTVANI *Carmelitæ Theologi* Parthenices prime liber primus In quo & vita & mores intemerate virginis Marie dei genitricis castissime continentur. Cuius quotiens per vestigia ibimus totiens non errabimus. in 4. folior. 68.

Sine consule & die, haec editio, litteris gothicis exscripta, in lucem exiit, litterarum autem characteres, illam *Martini herbipolensis*, officinae *lipsiensi*, natales debere testantur. Scripsit *libros tres parthenices primae* B. MANTVANVS duorum annorum spatio, illosque inchoauit, tempore dirae pestilentiae, quae monasterium, in quo MANTVANVS commorabatur, illo tempore inuaserat. Patet id ex *epistola* dedicatoria, ad Ludouicum Fuscararium, & Joannem Baptistam Refrigerium, *ciues* bononienses, quae nostrae editioni, in fine adiecta est. Varias libri editiones recenset Niceron in *Memoires* Tom. XXVII. p. 116 sqq. Versionem illius dedit gallicam Jaques de Mortieres, ex vrbe catalaunensi ad Ararim (*Chalons sur Saone*) oriundus, hoc titulo: *La parthenice* mariane *de* BAPTISTE MANTVAN, *Carme*, *Lyon* 1523. in 4. Praeter illam, quam adtulimus, *Parthenicen*, JOANNES BAPTIST. MANTVANVS *sex parthenices* alias conscripsit, nimirum de S. Catharina, B. Margaretha, S. Agatha, S. Lucia, S. Apollonia, & S. Caecilia, quae omnes Tom. II. *Operum* MANTVANI omnium, editioni *antuerpiens.* in 8. insertae fuerunt.

Digitized by Google

XXC.

F. BAPTISTE MANTVANI Bucolica seu adolescentia in decem aeglogas diuisa. Ab Jodoco Badio Ascensio familiariter exposita cum indice dictionum. Carmen eiusdem de S. Joanne Baptista. Carmen Saphicum Hermanni Buschii de contemnendo mundo. Et alia multa non floccipendenda. in 4. folior. 93.

Editionis curam susceperunt Joannes Gallinarius budorinus, & Jacobus Wimpfelingus, sletstatinus, id quod ex illius *epistola* dedicatoria, ad Conradum Carolum *diuae aedis* petri *Junioris* Argen. *Canonicum & Scolasticum, Rectoremque parochialis ecclesiae in* Slettstatt, & ex *epistola* Thomae Wolfii iunioris, ad Wimpfelingum, & huius *responsione* ad Wolfium, editioni praemissa, satis dilucide adparet. Annum editionis typographus his verbis, designauit: *Impressam* Argentinae *Impensis honesti* Johannis Prüss *X. Kal. April. Anno M. D. III.* (1503). In Michael. Maittaire *Annal. typograph.* editio omissa fuit. *Epistolas* memoratas praecedit *Inuentarium seu tabula operis praesentis.* In fine *epistolae* Gallinarii legitur *in Aeglogas* MANTVANI *Decatosticon, omnium earum argumenta complexum*, Joannis Gallinarii, budorini. Illud epigramma, titulo postea adscriptum fuit editionis mox memorandae. *In aeglogas* F. BAPTISTE MANTVANI *elegiacum* Thomae Aucuparii, argen. & *Dystichicon* eiusdem. Thom. Wolphius Junior, in *epistola* ad Jacobum Wimphelingum, *Sa. pa. licentiatum*, scripta Argentin. VI. Kal. Mart. an. 1503. nunciat illi quod ipse, e BAPTISTA MANTVANO quaesiuerit, quis ille sit Vmber, in cuius laudibus, in *eclogis* esset tam frequens & adsiduus, quodque MANTVANVS illi responderit, per Vmbrum a se notari Gregorium Tiphernatem praeceptorem suum. Particulam *epistolae*, qua staturam

Digitized by Google

ram & formam B. MANTVANI describit Wolphius, heic cum lectoribus nostris communicamus: *Fortasse scire desideras, qua statura & forma sit ipse* MANTVANVS BAPTISTA. *Memoria repeto de ea re multa à nobis olim fuisse dicta, ideoque breuiter tibi nunc satisfaciam. Scias id rectissime posse de* BAPTISTA *dici, quod* Homerus *& ceteri vates de* Vlysse *retulerunt, qui corpore paruus & forma indecorus, sed ingenio maximus, & animo speciosissimus fuisse perhibetur. Verum est illud poeticum:*

Non vni dat cuncta Deus, formosus vt idem
Sit simul & prudens ac multa laude disertus
Qui specie caruit, deus hunc venerabilis ornat
Viribus eloquii, quo fit mirentur vt vnum.

Jacobi Wimpfelingi *responsionem* sequitur

1) *in* Thomam Volsium *Iuniorem decretorum doctorem, &* Albertum *de* Ratsamhusen germanicos *amicitia coniunctissimos Tetrastbycon* BAPTISTAE MANTVANI.

2) *Versiculus* BAPTISTAE MANTVANI, *apud sacramentum eucharistiae* Mantuae *incisus.*

Flecte genu: lapis hic venerabilis hospite Christo.

3) *Tetrastbycum* BAPTISTAE MANTVANI, *in apostatam de se ipso loquentem.*

4) *Distbycon* BAPTISTAE MANTVANI, *a praeceptoribus crebro & fideliter pueris, & adolescentibus proponendum & inculcandum, vt ad laetam senectam veniant, ac tranquillam conscientiam senes habeant.*

5) BAPT. MANTVANI *Carmelithe, ad* Paridem Ceresarium *epistola* dedicatoria 1498. scripta, ex qua adparet quod quinquagenarius *Eclogas* in lucem emiserit, quas adolescens in gymnasio patauino conscripserat, & eam ob caussam *adolescentiae* titulo insigniuerat.

6) BAPTISTAE MANTVANI *Eclogae decem cum Commentario* Jodoci Badii, ascensii.

I. *Ecloga*

Digitized by Google

I. *Ecloga* inſcribitur Fauſtus, & agit *de honeſto amore & felici eius exitu.*

II. Fortunatus, *de amoris inſania.*

III. Amyntas, *de inſani amoris, exitu infelici.*

IIII. Alphus, *de natura mulierum.*

V. Candidus, *de conſuetudine diuitum erga poetas.*

VI. Cornix, *de diſceptatione ruſticorum & ciuium.*

VII. Pollux, *de conuerſione iuuenum ad religionem.*

IIX. Religio, *de ruſticorum religione.*

VIIII. Falco, *de moribus curiae* romanae.

X. Bembus, *de fratrum obſeruantium & non obſeruantium controuerſia.*

7) BAPT. MANTVANI *Carmen, in laudem* Joannis Baptiſtae, *pro natali eius.*

8) *Ad adoleſcentem ne vxorem ducturus decipiatur, per illud C. inter op. de Spon. & matri. quamplerunique ſunt ſteriles & etiam a ſacerdotio praemortuae impediunt Tetraſtbycon* Joannis Immolarii, nemetenſis.

9) *Contra tentationem carnis, Archilochicum* Petri Bolandi, laudenburgenſis.

10) Hermanni Buſchii *Ode ſappbica de contemnendo mundo, & amanda ſola virtute & ſcientia.*

11) P. Bolandi *Diſtbycon Amatores mundi contempto Deo, adulteris, & vni pereunti ſimiles eſſe.*

12) Eiusdem *Diſtbycon de ambictoſis, vt inferioribus, & miſerioribus cohabitent.*

13 & 14) Duo *Diſticha* Codri.

15) *Diſtbycon* Jacobi vimpfelingi *ad* Petrum Sturm, *bonae indolis nobilem puerum, de vera nobilitate.*

16) Joan. Alphonſi *Diſtbycon.*

17 & 18) *in coniurationem* ſotulariam *aut* ſculponiam *duo diſtbyca* Jacobi Vimpfelingii.

Ocia, ſcorta, merum, ludus mihi damna talere
Hinc clerum & ciues me ſpoliare iuuat.

Digitized by Google

Ocia, ſcorta, merum, ludus, ſimul aes alienum
In clerum & ciues, nos coniuraſſe coegit.

19) *In* Jacobum Dracontium, *ſacerdotem muſis &* Chriſto *ſacrum, epitaphion conditum a* Joanne Gallinario.

20) *Epithaphium* M. Cratonis Vtenhemii, fletſtatinae *iuuentutis, praeceptoris*, ab eodem.

21) *Diſthycon* Ja. Vimpfe. *ad omnes morituros.*

XXCI.

BAPTISTE MANTVANI Bucolica ſeu adoleſcentia, in decem aeglogas diuiſa: Ab Jodoco Badio Aſcenſio familiariter expoſita: cum indice dictionum. Dialogus eiusdem de vita beata. Carmen eiusdem de ſancto Joanne Baptiſta. HermanniBuſchii oda de contemnendo mundo & amanda ſola virtute & ſcientia.

In Aeglogas MANTVANI decatoſtichon omnium earum argumenta complectens Gallinarii Budorini.

Perlege Mantoi ruralia carmina vatis
Perlege paſtoreos, lector amice iocos.
Non hic laſciuum Corydonis laudat Alexim
Pagina nocturnos nec docet iſta dolos
Foemineas artes, Fauſtus conuicia, fraudes
Exprobrat, & Paphiae furta facesque deae
Quam tenuis ſanctae ſit honos & cura poeſis
Et ſcurras gratos regibus eſſe dolet.

In-

Digitized by Google

Increpat vrbanos vario discrimine mores
Caetera de sacra relligione canunt.

in 4. folior. 98. si omnia numeraueris.

Haec editio, ad illam exscripta est, cuius modo dedimus recensionem, quamuis alia mutata, alia omissa, alia de nouo addita fuerint. Typographus in calce haec coronidis loco adposuit: Joannes Prusz *iunior, ciuis* Argentinens. *impressit anno M. D. XIII.* (1513). Initium facit

1) *index*, sequitur

2) *in* Thomam Wolphium *iuniorem, decretorum Doctorem, &* Albertum de Ratsamhausen, germanicos *amicitia coniunctissimos Tetrastichon* BAPTISTAE MANTVANI.

3) *Versiculus* BAPT. MANTVANI, *apud sacramentum eucharistiae*, Mantuae *incisus.*

4) *Tetrastichon* BAPT. MANTVANI *in apostatam de se ipso loquentem.*

5) *In* Thom. Wolphium *iuniorem D. Doctorem, qui habebat* basiliscum *mortuum, iocus* B. MANTVANI.

6) BAPT. MANTVANI, *carmelitae, ad* Paridem Ceresarium *epistola.*

7) BAPTISTAE MANTVANI *Eclogae X.*

8) B. MANTVANI *Carmen, in laudem* S. Joan. Baptistae.

9) *Fratr.* B. MANTVANI *Ordinis Carmeli, Professoris, de vita beata dialogus*, inter Adrianum & Gigonem, ad Petrum Spagnolum patrem, cuius in fine exstat breuis historia de origine Carmelitarum, & narratio de nece Thomae Connecti, rhedonensis, (Rennes) Galli, Congregationis Carmelitarum mantuanae auctoris. Verba eius haec sunt: *dum bene beateque viueret, a quibusdam inuidis apud summum Pontificem, captus accersitur, & post carcerem, post tormenta, post cruciatus, tandem quum nihil damnabile*

Digitized by Google

reperiſſent, grauius inueſtigatur, quod iure non potuerunt, iniuria perficere fortiter accinguntur, & comburendum ſcelerato rogo commiſerunt. Id accidit Romae anno 1434. Vid. Matth. Flacii, illyrici *Catalog. Teſtium veritatis* Tom. II. Libr. XVIIII. p. 869. edit. lugdun. 1597. P. Baile *Dictionaire hiſtorique & critique* Tom. I. p. 917 ſqq. *Hiſtoire des Ordres monaſtiques* Tom. I. p. 327.

10) Herm. Buſchii, *Ode Sappbica, de contemnendo mundo, & amanda ſola virtute & ſcientia.*

11) Thom. Wolphii, *iunioris, ad* Jacobum Wimphelingum, *ſacrae paginae licentiatum epiſtola.*

12) Jacob. Wimphelingi, *ad* Thom. Wolphium *iuniorem reſponſoria*, ſcripta *ex Heremiterio diui* Guillermi *Kalend. Martii 1503.*

Aliae *Eclogarum* editiones recenſentur a Michaele Maittaire in *Annal. typograph.* paſſim, a Nicerono in *Memoires* Tom. XXVII. p. 112. Omnium recentiſſima niſi fallimur eſt editio, quae *cum notis* prodiit *Colon.* titulo *Operum poeticorum, ex officina Meyeriana* 1688. in 8. vid. Henrici Baſnage de Beauval *Hiſtoire des Ouvrages des Savans* 1688. Octobr. p. 194. In Collectione omnium *Operum*, quae cum Commentariis Sebaſtiani Murrhonis, Sebaſt. Brantii, & Jodoci Badii, *Paris. ex chalcographia Jodoci Badii, aſcenſii* 1513. III. Tom. in fol. prodiit, exſtant *Eclogae* Tom. II. in editione autem *antuerpienſi*, quam curauit Laurentius Cuperus, bruxellenſium Carmelitarum Prior, *apud Ja. Bellerum* 1576. IIII. Tom. in 8. leguntur Tomo I. Inſertae etiam fuerunt *Carminibus illuſtrium poetarum* Italorum Tom. VI. *Florentiae, typis regiis apud Joannem Caietanum & Sanctem Franchium* 1720. in 8. p. 184 ſqq. In gallicum ſermonem illas tranſtulit Michael d'Amboyſe, & adiecto textu latino, hoc edidit titulo: *les Bucoliques de Frere* BAPTISTE MANTVAN, *nouvellement traduites, de latin en Rime françoiſe, leſquelles ſont diviſées en dix Eglogues. A Paris*

Alain

Digitized by Google

Aldin Lotrian & Denis Janot 1530. in 4. litteris gothicis. vid. Niceron Tom. XXXIII. p. 334. *Eclogam* I. II. III. IIII. & VI. ciuitate etiam gallica donauit Laurentius de la Graviere hoc titulo: *Les premiere, seconde, troiſiesme, quatriesme & ſixiesme Eclogue de Frere* BAPTISTE MANTVAN, *de l'Ordre des Carmes. La premiere traictant de l'honneſte amour & heureuſe yſſue d'icelui. La ſeconde de l'amour folle & enragée, la troiſiesme de la malheureuſe yſſue de l'Amour folle, la quatriesme de la nature des femmes, & la ſixiesme de la difference d'entre les ruſtiques & les citoyens. Lyon, Jean Temporal* 1558. in 8. Vid. Niceron in *Memoires* Tom. XXVII. p. 113. Quae, virorum doctiſſimorum, de BAPTISTAE MANTVANI operibus poeticis, fuerit ſententia, expoſuit Adr. Baillet in *Jugemens des Savans* Tom. IIII. P. I. p. 102 ſqq.

XXCII.

BAPTISTE MANTVANI *Carmelita* de patientia aurei libri tres. 1499. Nihil ſine cauſa: *Olpe* in 4. folior. 118.

Vox *Olpe* in titulo conſpicua, deſignat editorem & typographum libri, Joannem Bergmannum de Olpe, Archidiaconum grandisuallenſem, & typographum baſileenſem. Editio litteris romanis, oppido luculentis exſcripta, profertur a Michaele Maittaire Tom. I. *Annal. typogr.* p. 693. not. 1. Dicauit Editor opus Wymmaro de Ercklens, aquenſis *eccleſiae Decano, maiori, praeceptorique ſuo*, cui, vt ſcribit, Sebaſtiani Brant carmina ſiue potius fragmenta, quae Editor litterario ſcomate comportauerat, & inuito domino ſuo exarauerat, dedicauit. Scripta eſt *epiſtola* dedicatoria *ex* Baſilea *XVI. Kal. Septembr. 1499.* In fine editionis haec leguntur verba: *Impreſſum* Baſileae

Digitized by Google

opera Johannis Bergmann de Olpe *XVI. Kal. septembres Anno salutis MCCCCLXXXXIX. principante diuo* Maximiliano *cui salus & victoria Amen.*

Dno. suo wymmaro de ercklens aquensi *decano* Sebastianus Brant. *salutem & gaudium:*

Sume Bianorei *vatis* wymmare *libellum.*
Quo fieri patiens qui volet: esse potest.
BAPTISTAM *hunc relegas quem* Mantua *docta poetam*
Protulit: & voluit Virgilio *esse parem.*
At nunc musarum figmenta: artesque relinquens
Hoc plane effinxit. & sine carmine opus.
Cunque leges: nostri memorabere: nosque vetusto
Dilige amore velim: perpetuoque Vale.

Versus inconditi atque inconcinni, Sebastianum Brant inter Meuios sui temporis omnino referendum esse produnt. Conscripsit IO. BAPTISTA MANTVANVS, *libros, de patientia tres,* ad Carolum Antonium Fantucium, Patricium bononiensem, podagrae doloribus laborantem, anno 1497. non 1498. vt Niceron in *Memoires* Tom. XXVII. p. 123. scripsit. Cum enim MANTVANVS L. III. Cap. XXVIIII. in illos inuectus fuit, qui e principiis astrologiae iudiciariae, fatalem mundi terminum praedixerunt, haec in fine istius capitis adiecit verba: *Cum ea tempora iam praeterierint: agitur enim nunc a* Christo *annus millesimus quadringentesimus nonagesimus septimus* (1497) *eos profecto ignorantes, arrogantes, mendaces, leues, & ridiculos, nugigerulos declarat euentus.* Cum Carolus Antonius Fantucius, iam mortuus eo tempore, quo in lucem librum emisit, esset, illum nomine Francisci Fantucii, filii, inscripsit. Multa in libro occurrunt lectu admodum digna, ad quae referimus inter alia quae L. II. Cap. XXVII: *de Carmelitarum antiquissima origine,* quam ab Helia deducunt, Cap. XXXVII. XXXIIX. & XXXVIIII. *de caussa brevis vitae & mortis, & de annis antiquorum patrum, de annis hominum ante dilu-*

Digitized by Google

diluuium, contra Plinium *& quod vita humana non sit breuiata*, L. III. Cap. X. *de errore* Auicennae *& aliorum, qui dicunt omnia miracula fieri naturaliter* &c. differit. Cap. XIII. eiusdem libri, argumenta propofuit disputationis, quam cum Georgio nouariensi instituit, qui anno 1493. ob blasphemias, quas in Christum effuderat, Bononiae combustus fuit. Antiquissima, quam reperire potuimus, est editio, quae *Brixiae per Bernardinum de Misintis, papiensem III. Kal. Jan. MCCCCLXXXXVII.* (1497) in 4. excusa fuit. vid. Mich. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. I. p. 655. Illam excepit *lugdunens.* 1498. in 4. vid. Niceron *Memoires* l. cit. *nostra*, & *veneta, per Jacobum de Leuco, die septembris VI. MCCCCLXXXXIX.* (1499). in 4. vid. Mich. Maittaire l. cit. p. 693. In *Operum* MANTVANI editione, *antuerpiensi*, legitur Tom. IIII.

JOANNES BAPTISTA, MANTVANVS, Petri Spagnoli siue Hispanioli e pellice filius fuit, natus anno 1448. d. XII. April. Praeter Paul. Iouium in *Elogiis doctor. viror.* p. 142. edit. *basileens.* 1571. in 8. ipse MANTVANVS, in epistola dedicatoria libro *de vita beata*, praemissa Petrum Spagnolum *patrem suum* adpellat. Contradixit autem Iouio, illumque e legitimo matrimonio procreatum esse contendit Petrus Lucius in *Bibliotheca carmelitana*, & Laurentius Cuperus in *epistola* dedicatoria MANTVANI *operibus* edit. *antuerpiens.* praemissa. Anno 1513. generalis, vt vocatur, totius ordinis carmelitani, in congregatione generali Romae constitutus fuit, cui vero dignitati, ipse anno 1515. renunciauit, & litterarum studiis totum se consecrauit. Quo tempore diem obierit supremum, non satis constat. Sunt enim nonnulli, qui illum Mantuae anno 1518. mortuum esse contendunt, sed existant alii, qui annum Seculi XVI. decimum sextum, illi fuisse emortualem, cum Thom. Reinesio in *epistola ad* Christian. Daumium VII. p. 20 sqq. XV. p. 51. & Ludouico Ellies du Pin, in *Bibliotheque*

Digitized by Google

theque des Auteurs eccleſiaſtiques Tom. XIIII. p. 97. exiſtimant. Sepulchrum eius, nullo elegio ornatum cernitur in *Cappella della Madonna* templi Carmelitarum Mantuae, vid. Jo. Georg. Keyslers *neueſte Reiſen* P. II. Epiſt. LXVIII. p. 589. Conf. de MANTVANO Joſ. Simleri *Bibliotheca* p. 84. Jo. Trithemii *de Scriptor. eccleſ.* Cap. CMXII. p. 218. Lil. Gregor. Gyraldi *de poetis ſui temporis* Dialog. I. Tom. II. *Operum* p. 388. Gerard. Jo. Voſſii *de Hiſtoricis latin.* L. III. Cap. XI. p. 595 ſqq. Anton. Poſſeuini *Apparat. ſacer* Tom. I. p. 177 ſqq. Balthaſar. Bonifacii *Hiſtoria ludicra* L. XV. Cap. III. p. 586 ſqq. edit. *venetae* 1652. in 4. Henrici Wharton *Adpendix ad* Guil. Caue *Hiſtor. litterar. Scriptor. eccleſ.* p. 194 ſqq. Niceron *Memoires* Tom. XXVII. p. 104 ſqq. Joan. Alb. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. II. p. 451 ſqq. Ipſe JO. BAPTISTA MANTVANVS *vitae ſuae* ſcripſit *Epitomen ad poſteritatem* carmine elegiaco, quae legitur in *Operib. antuerpienſ.* Tom. II. p. 387 ſqq. & in Nicolai Reuſneri *Iconibus ſiue imaginibus viuis literis Cl. Virorum ex typis* valdkirchianis *in lucem productis*, pl. k. 7 ſqq. Ibidem k. 6. hoc P. Myrtei legitur epigramma, quod in JOAN. BAPTIST. MANTVANVM ſcripſit:

Alter hic iacet a Marone *vates,*
Natus Mantuae; *& is quidem poetae*
Dignior titulo: niſi incidiſſet
In fluctus varios ſcientiarum,
Quo muſas coluit minore cura:
Primus hic tamen a Marone *natus*
Mantuae, *coluit poeta muſas,*
Andinos*que bibit ſacro ore fontes.*

Digitized by Google

XXCIII.

Argumentum.

Qualiter A ſit ad O ductum. Que maxima mundi
Queſtio. Quod fidei munus. Et vnde ſalus
Hic ſtupor. ecce vetus nouitasque nouella vetuſtas
Theopolim methado diſcat adire breui
Preclara ergo rei clara breuitate ſitior.
Clarus ab aonio fonte fluenta bibas.

in 4. folior. 23.

Haec verba titulum libelli indicant, qui ab auctore & *Citharoe ſophialis* titulo inſignitus fuit. Mentio illius, a nobis iam facta fuit in tranſitu quaſi, & obiter, in *Analectis litterariis* p. 440. Sed dignum iam illum, cum ſit rarus, exactiore recenſione arbitramur. Carmine conſcriptus elegiaco incomto, litteris excuſus eſt romanis a Wolfgango Schenck, typographo erfurtenſi, quod non ſolum eius inſignia teſtantur, ſed & epigramma declarat, in calce libri conſpicuum:

Hamiferi ludus hinrici aquilonipolenſis
Per ſchenck Wulffgangum *calcographatus hic eſt*
Milleno noſtro quingentenoque (1500) *ſalutis*
Anno. erffordenſi *in vrbe achedemiaca.*

Omnis *citbara ſophialis*, in tres diſtincta eſt libros, quorum quilibet in quasdam diuiditur ſectiones. Earum argumenta ipſe auctor hiſce verbis expoſuit:

Liber primus citare ſophialis.

De argumento in citharam ſophie
De prefacione zophiali ſolubilibusque contrariis
De ſeptem dierum ordinacione & ſolubilibus contrariis
De adam *in paradiſo poſito & ſolubilibus contrariis*

De

Digitized by Google

De prothoparentum preuaricacione & ſolubil. contrariis.
De eyectione primorum parentum & ſolubil. contrar.
De dilectis & odioſis dni. & ſolubil. contrar.
De vino ſcripturarum & cauenda ebrietate & ſolub. contrar.
De ſeptem mundi etatibus & ſol. contrar.
De exemplis librorum geneſis.
De exemplis ex exodo.
De exemplis libri ioſue.
De exemplis librorum regum & aliorum.

Liber ſecundus.

De quaeſtione cuiuslibet.
De inuocatione & ortu minerue.
De quatuor anni temporibus eorundem dominis.
De ſex operibus miſericordie & vera Xp̄i *humanitate ſ. c.*
De decem ſperis (ſphaeris) *per lapides precioſos ſignificatis.*
De duodecim ſignis & ſignorum tutelis.
De aſtrorum inclinacionibus.
De fatis ineuitabilibus.
De liberalibus ſtudiis.
De nouem muſis poeticis.
De kathologo poetarum in fonte kaballino lautorum.
De vatibus criſtianis.
De modernis poetis.
De poetis non pellendis ab vrbibus iuſſu Platonis.
De repeticione nouem muſarum.
De quibus vrbibus poete dicantur recedere ſpontanei.

Tercius liber.

De prima decalogi tabula & ſolubilibus contrariis
Vnde datus decalogus cum ſol. contrar.
De ſecunda decalogi tabula & ſolubil. contrar.
De fide criſtiana & ſol. contrar.
De vndecim virtutibus & ſol. contrar.
De repeticione liberalium arcium & phiſice & ſol. contr.

De

De mathesi & superstitiosis artibus & so. contr.
De sacro septenario & sol. contrar.
De beatitudinibus octo & sol. contrar.
De symbolo fidei solubilibusque contrar.
De typo glorioſe virginis & virgine glorioſa.
De theopolios *speciositate & sanctorum requie.*

Speciminis loco Libri II. adscribimus Sectionem XII. XIII. XIIII. & XVI. cum poetarum, illae, tunc temporis viuentium historiam quamdam litterariam complectuntur, ab auctore, more suo, multis absurdis vrbium, in quibus vixerunt, denominationibus obscuratam.

De vatibus christianis.

Fonte caballino lautis citharistria lusit
Hactenus. alludat vatibus amne sacro.
Esopi *cornix donato garrula cedat.*
Cedat alexandro *in grammatica arte strepens.*
Junctior ambrosio *sacer* augustine *sacrato*
Sidereo vati iheronimo damasus.
Inclite gregori fabiano *papa beato*
Junctus. seruorum serue beate dei.
Gotfrido *insignis* solemergius *intima tangens*
Architreniaca est cosmographia ferax.
Aurelius symacho *& doctis* fulgencius apher
Diuina prosper *prosperitate scatens.*
Crebrescens mira virtute boetius. *exul*
Eius & elphe *vxor hymnisonando* cephe.
Res & apostolicas perarans pede diuus arator
Grata coetaneis bibliotheca petri.
Sedulius *dape paschali.* lactancius *albo*
Lacte. paraclitus *in spe veniaque iuuans*
Nature plangens morum plantator alanus
Scibile septenis artibus omne sciens.
Sospite debebas vita gamfrede richardo.
Et constantino *multa* iuuence *pio*
Zographus *in bissex modulans animalibus autor*
(Theobaldus)

Theo-

Digitized by Google

Theodulus *placido carmine pfeuſtin agens.*
Matheus *metrifex* thuronenſi bartholomeo *eſt.*
Debens diſcipulus O benedicte *tibi.*
Rabano albinus. garino helinandus. helias
Franciſco. helye *ſicque* radulphus *huic.*
Percelebris celebri tu didaco dominicus
Et reginaldus *eſt* dominice *pater.*
Ludwico maurus. Sigismundo *vir* eneas
Cribratis pleribus docte petrarcha *tuis.*
Pre ſe fert ſpeculum indignis brunellus *honore*
Nobilis & preſtans in racione bona.

De modernis poetis.

Vite ſuperſtitibus arridet apollo *poetis*
Ex Elicone *ſuo laurea cuique datur*
Mathie andreas guratislauianus *alumno*
Martis *belligeri & palladis armiſone.*
Juſtam ob adulterium robertus Karole *cauſam*
Aut potuit canere mentagran eſſe malam
Celteus *non hic inglorius induperanti*
Fridrico *alludens lauriger ymmo decus*
Illuſtri vates philomuſus maxmiliano *&*
Tedigena *at* priamus ſaxonie *dominis.*
Stoicus *ornato de monte patens* tilomoni
Brunonie *dominis Si populo es placidus.*
Bauarie *domino* rheni *comitique* philippo
Tuque philippee iacobe *prolis amor.*
Guilhelmo *lepidus noſter* mucianus *herili.*
Guilhelmi *patruo* langius *arte* linus.
Terremontano & muſis & theographia
Flexilis hinricus noxarienſis *bonos.*
Trithemio *alludens* herbenus bethauienſis
Cultori aonidum par parilique ſuo.
Lipczee *cantor vrbis* gvimpine iohannes.
Muſis gwardaicus *vir* faber *arte virens.*
Herοi debet aquilonipolenſis *& heros*
Absque manu firmans oppida caſtra caſas.

Quod

Digitized by Google

Quod poete non sunt ab vrbibus iussu platonis pellendi.

Sponte recessuros si vult plato *ab vrbe poetas*
Insontes pellat thesiphonea cohors.
Occulto plaudit erffordia *clara poete*
Theopolis *nitida patria* alherde *tibi.*
Bella aquilonipolis petroclo. *Tum* theodrico
Riuipolis *rorans ceruisione mero*
Amphitritoniaco *ciui* amphitritonia *pugnax*
Propolis olbero *& porta* theopoleos.
Vt pangeapolis conrado *florida nostro*
Gaudeat hinrico thaureapontapolis.
Semipolis semice *sed* gosaniana *volucrum vrbs*
Regine. O tibi sit vpupa spurca cibos.
Digna ducum sedes celebria brunonia xictho *&*
Bernhardo. *votum parti. animique mei.*
Nomine thuringo panethica phebipolensi
Johanni *vrbs. digna laudis. opima sale*
Thobingo *pariter* hinrico *denique nostro*
Johannis *nostri vite* venustapolis.
Non minus & iacobo prudenti burgimagistro
Phebipolis *mons ponti fons sua cui bona dant*
Concors bennonia parthis *reuiricior ipsis*
Ipsi floriste *consona canonico*
Hugoni ascania Gnasoni bercka *diserto*
Debet lindauia lindauiane *tibi*
In cerere & bacho theodosia *regia dines*
Hinrico *adiunctis* fabricioque ihona.
Johanni artito neoburgensi neoburgum
Cis salam *bromio & ceruisione fluens.*
Marschalco *rutila* frislaria. *& hospita vatum*
Lipczis *mi* iacobe *docta* barine *tua*
Remigio hammonia *piscosa.* dauantria zinthi
Stilbonthea. *calens merce. maligna malis.*
Neioforum *scribe* coruino neioforensi.
Delis *&* andree delia *honesta viro.*
Argentina *meo* iacobo *facunda* scholoni.
Scis monomontapolis *quo oculata colat.*

Cum numero quorum eſt laus magnentanda poetas
Dinumerare omnes noſtra thalya nequit.

A quibus vrbibus vates recedere dicantur.

Siluis muſa placet vrbs vatibus eſt inimica
Eſt vbi leuca leo. & vpupa vbi eſt aquila
Nummus vbi eſt iudex. lis. lex. fuga pugna dies nox.
Prepoſitus rechaab. *mortuus omnipotens*
Illic non oculis cernit non audit & auris
Pinguntur nares olfaciendo nichil
Illic abeſſe ſolet veri ſapor. inque baratrum
Abſorbet nabal *vina. venena vomit*
Illic cum canibus mutis crebreſcit in vſum
Reſphe *plebs. plebis crimen edit* phinees.

Omni carmine hoc epigrammate finis imponitur:

A ſophie cithara noſter contraria ludus
Solum in voce nec in mente ſed vna ferens
Ad fidei merita. ad virtutum premia. ad altam
Theopolim *recto tramite querat iter*
Sperſurus rorem quem nobis appluit almus
In vitam eternam fons ſalientis aque
Nos qui pro noſtra non poſſe libidine lector
Omnia nos omnes ſcis fer amice. Vale.

Ea quae de auctore nobis innotuerunt, adlata iam fuerunt in *Analectis litterariis de libris rarioribus* l. cit. quibus heic locum adiicimus, ex Joachim. Joannis Maderi, *Scriptorum inſignium, qui in celeberr. praeſertim* lipſienſi, wittenbergenſi, francfordiana *ad* Oderam *Academiis floruerunt, Centuria*, vbi numer. LXXXIIX. haec leguntur: HENRICVS AQVILONOPOLENSIS, *natione* Theutonicus, *patria* (northeimenſis) *diſciplina & ſtudio* wittenbergenſis, *vir magni ingenii, & tullianae eloquentiae vehemens aemulator*, (quod ex ſcriptis eius non adparet), *philoſophorum praeceptis nobiliter inſtructus, diuinarumque ſcripturarum non ignarus, grammaticus, philoſophus, rhetor, & poeta, nulli noſtro aeuo ſecundus, ingenio ſubtilis, ſenſu clarus,*

Digitized by Google

clarus, & disertus eloquio, iurium non imperitus. Scripsit ad laudem & decorem academiae wittenbergensis, *& vtilitatem legentium & carmine & prosa praeclara opuscula, quae impressa circumferuntur, videlicet:* Sophologiam *lib. I.* (vid. *Analecta litteraria* l. cit.), de vita & laudibus S. Augustini metrice *lib. I.* Epigrammatum *lib. I. Viuit vsque hodie varia conscribens, anno 1514.* Joannes autem Trithemius *de Scriptor. eccles.* Cap. CMXLVII. p. 228. illum hoc elogio ornauit: HENRICVS NORTHEYMENSIS *natione* Teutonicus, *vir in secularibus litteris studiosus, & eruditus, & diuinarum scripturarum non ignarus, ingenio subtilis, & disertus eloquio, metro excellens & prosa, scripsit quaedam non spernendae lectionis opuscula, quibus nomen suum posteritati cum gloria commendauit. E quibus ego vidi duntaxat, opus illud praeclarum, quod metro & prosa conscripsit ad* Fredericum *Marchionem* Mysne, *ac ducem* Saxoniae, Dimetromachiam *praenotatum*, de virtutum & vitiorum conflictu. lib. I. Tu mea laurigeros *&c. De caeteris quae composuit, nihil ad notitiam meam peruenit. Viuit vsque hodie varia conscribens, sub* Maximiliano romanorum *rege illustrissimo & summo pontifice* Alexandro sexto. *Anno Domini MCDXCIV.* Emendatione indigent in *lexico eruditorum* Tom. II. col. 1500. quod HENRICVS Vitebergae natus, & *Sophilogium* (Sophologia) sermone soluto fuisse conscriptum dicatur.

XXCIIII.

Triumphus Veneris HENRICII BEBELII *poetae laureati* cum Commentario Joannis Altenstaig Mindelheimensis. in 4. folior. 120.

Omnium primam hanc editionem esse censemus, quae cum Joannis Altenstaig *commentario*, in lucem

 exiit.

Digitized by Google

exiit. Reperitur quidem in *Catalogo Bibliothecae* kielmannſeggianae p. 494. editio *argentinenſis* 1501. in 4. ſed eiusmodi editionem non exſtare, ex verbis coniicimus Joannis Altenſtaig, in *praefatione*, vbi ſe anno demum 1510. hunc compoſuiſſe *commentarium*, diſertis verbis prodidit. Errori ſine dubio occaſionem dederunt verba, quibus HENRICVS BEBELIVS, ſe ab Imperatore Maximiliano, anno 1501. laurea poetica ornatum innuit. Coronidis loco, illa vltimae operis paginae adpoſita ſunt:

Laus & victoria Maximiliano *Auguſto.*
Romulidum *Caeſar dedit haec inſignia nobis*
Moecenas fuerat Langius *auxilio.*
M. D. I.

His verbis inſignia ſubiecta ſunt bebeliana, cum epigraphe H. BEBELIVS Juſtingenſis *Poeta Laureatus & humanarum literarum Doctor* Tubinge. Eadem inſignia, etiam in libri fronte, ſub tituli verbis, expreſſa fuerunt. Editionis autem annus fol. CXVIII. b. hiſce verbis deſignatur: Argentinae *IX. Calend. Septem. Anno a Chriſto. M. D. XV.* (1515). Quod *Triumphus* ille Veneris, in collectione *operum* HENRICI BEBELII, quae hoc prodiit titulo: *Opera* Bebeliana *ſequentia. Triumphus* Veneris *ſex libris conſcriptus Heroico carmine. Hecatoſtichon de victoria Caeſaris* Bohemica. *Hecatoſtichon contra bella ciuilia* Germanorum. *Hecatoſticha querela Ducatus* Mediolanenſis *ad* Germanos. *Vindicata* Germania *ab iniuria Scriptorum bis libellis. Epitome laudum* Sueuorum *atque Principis noſtri* Vdalrici, *de captiuitate Ducis* Mediolani, *atque eius prodicione, & de mendaciis quorundam Hiſtoricorum. Oratio ad Regem* Maximilianum *Caeſarem de eius atque* Germaniae *laudibus.* Germani *ſunt indigenae. Apologia contra* Leonhartum Juſtinianum Venetum, *Imperatoris nomen extenuantem, eiusque coronationem deridentem. Imperator* Germanus *iure debet dici chriſtianiſſimus. Cohortatio ad* Heluetios

pro

Digitized by Google

pro obedientia Imperii. De laude, antiquitate, imperio, victoriis, rebusque gestis veterum Germanorum. Phorcae *in aedibus* Thomae Anshelmi Badensis 1509. *mense Augusto.* in 4. pp. 219. primo loco repositus fuerit, iam diximus in *Analectis litterariis de libris rarior.* p. 78. sed Hieronymi Altenstaig *Commentarius*, eodem tempore nondum compositus, illi non addi potuit. Dicauit ille *Commentarium* suum Joanni Zinngisser *Canonicorum regularium beati* Augustini *Praeposito in* Pollingen. In *epistola* dedicatoria, inter alia haec leguntur: *pro tua itaque in me perspectissima beneuolentia (quae me inuitat & hortatur vt te amem & obseruem) enarrationes meas (quas sesqui mense absolui) in* Triumphum Veneris BEBELII *nostri poetae laureati, tuae praestantiae peculiariter dedicare statui, qui eleganti scommate omne mortale genus carpit, quod a virtute desciuit & defecit, & ad castra* Veneris, *virtute relicta & spreta (quam pauci colunt inter quos te & tuos esse cognosco) propter quod Deus, multa mala hominibus mittit, quae legere volueris hortor, cum tibi per ocium licuerit, inuenies enim quae animum tuum delectabunt* &c. Omne poema satyricum est, & in primis BEBELIVS in Cleri romani vitia vehementissime inuehitur, in primis libro III. qui inscribitur *Papa cum sacerdotibus.* Quamdam huius rei excusationem adfert in praefatione vbi ait: *quod si quis dixerit, me esse tam temerarium, qui etiam summos pontifices taxare, osque in caelum (vt ipsi dicunt) ponere audeam, huic respondeo, summos pontifices maximis honoribus, atque debita reuerentia venerandos, eorum tamen aliquos a sanctitate ad lasciuiam, superbiam, ambitionem, atque alia vitia declinasse, non esse obscurum ex historiis* Platinae, *quae palam leguntur, nec velim tam impius esse, vt credam vicarium* Christi *& veritatis, tam superbum esse, qui nolit de se audire veritatem* &c. Specimina nonnulla, ex *Triumpho* Veneris ipso excerpsit Cl. David Clement in *Bibliotheque historique & critique* Tom. III. p. 11. Adsignauit HENRICO BEBELIO

ob hunc librum, locum inter testes veritatis, Joannes Conradus Dietericus in *Auctario Catalogi Testium veritatis* Matth. Flacii, *Cattopoli* (Giessae) 1667. in 4. p. 262. Conf. Joan. Vogtii *Catalog. libror. rar.* p. 77. Samuel. Engel *Bibliotheca selectissima* P. I. p. 13. Jo. Christophori Mylii *Memorabilia Bibliothecae* ienensis p. 229. qui omnes librum valde rarum esse, vno quasi ore confirmant. Editio *Triumphi* Veneris, quam posterior, sine loco anno 1690. prodiisse memorat a Wolfgango Theodoro Wendel cum *restrictione glossographica* euulgata fuit.

Joannes Altenstaig, mindelheimensis, Sueuus, Theologiae, & Academiae tubingensis, vt Martinus Crusius in *Annalibus* sueuicis Dodec. III. Libr. VIII. Cap. XVI. p. 533. testis est, Professor, initio Seculi XVI. variis scriptis, quae maxima ex parte ad linguae latinae culturam spectant, editis inclaruit. Tituli eorum videri possunt in Jos. Simleri *Bibliotheca* p. 336. & in Christophor. Hendreich *pandect.* brandeburg. p. 128. Joannes Zingisser monasterii pollingensis Antistes circa annum 1511. illum arcessiuerat, eique praeceperat, vt quaedam *de latinitate praecepta* conscriberet, quibus Ordinis Augustini Canonicorum regularium fratres in monasterio illo, tunc temporis commorantes, *latiniores* & *elegantiores* efficerentur. Ipse id refert Joannes Altenstaig, in *epistola* dedicatoria, *operis pro conficiendis epistolis*, *Hagenoae* an. 1512. *per industrium* Henricum Gran in 4. impressi. Conf. Jacob. Burckhard *Commentar. de linguae latinae in* Germania *fatis* P. II. Cap. IIII. p. 423 sqq. vbi illum, in not. (tt.) contra Daniel. Georg. Morhofium defendit, qui in *Polyhistore* Tom. II. Lib. I. Cap. XIII. §. 10. p. 79. edit. *Lubec.* 1714. in 4. *Barbarum* eum vocauerat. Commemorarunt etiam de Joan. Altenstaig nonnulla P. Baile in *Dictionaire historique & critique* Tom. I. p. 165. Joan. Albert.

Digitized by Google

Albert. Fabricius in *Bibliotheca med. & infim. Latinit.* L. VIIII. p. 130 sqq.

XXCV.

Liber hymnorum in metra nouiter redactorum: Apologia & defensio poetice ac oratorie maiestatis. Breuis expositio difficilium terminorum in hymnis ab aliis parum probe & erudite forsan interpretatorum per HENRICVM BEBELIVM *Iustingensem* edita *poeticam & humaniores Litteras publice profitentem in gymnasio Thübingensi.* Annotationes eiusdem in quasdam vocabulorum interpretationes Mammetracti. in 4. folior. 67.

Curauit collectionem *hymnorum*, satis raram HENRICVS BEBELIVS, iustingensis Sueuus, orator & poeta, suae aetatis celeberrimus, *iis adnumerandus*, vt Jo. Andr. Quenstedt *de patriis illustrium doctrina & scriptis virorum, Viteb.* 1691. in 4. p. 161. ait, *qui* romani *eloquii vsum, temporum iniuria, pariterque hominum incuria neglectum reducere & genuino nitori restituere conati sunt.* Neque Josias Simlerus, neque Christophorus Hendreich, nec Joan. Albert. Fabricius, nec alii, qui *opusculorum* bebelianorum, exhibent indicem, huius collectionis cognitionem habuisse videntur. Praemittitur

a) HENRICI BEBELII *epistola ad* Federicum augustensium *Praesulem comitem de* Zollern, in qua illi iuuenem nobilem Henricum de Steffel, vtroque parente orbatum commendat. Adiicitur *epistolae*

b) *Sapphicum carmen* H. BEBELII *ad eundem* Federicum augustensium *praesulem pro commendatione* Henr. de Steffel *Baronis impuberis generosi & nobilissimi.*

Digitized by Google

c) *Apologiam* & *defensionem poetices ad iuuentutem* germanam praecedit.

d) *Tractatio de auctoribus & metris hymnorum. Apologiae* additur

e) *de laude & vtilitate poetices, & secularium litterarum contra indoctos quosdam elegia* H. B. J. Illam excipiunt

f) *CLVIIII. hymni* in SS. Trinitatis laudem, Sanctorum, & Sanctarum, quibus eccl. R. singularem cultum exhibet, honorem, a diuersis auctoribus, diuerso metri genere compositi. Sequitur

g) HENR. BEBELII *elegia, ad iuuentutem, vt discat tempore iuuente & floride etatis.* Illi subiiciuntur

h) *versiculi quidam* H. BEBELII, iustingensis, *egregias sententias in se continentes.* Ex illis nonnullos heic adscribimus:

Hec quattuor peruertunt omnia iudicia.

Pinguia dona: odium: fauor & timor exitio sunt
Judiciis: per que iudex corrumpitur omnis.
Gelt gunst forcht vnd nyd send
die rechts werffend an ein glink end.

Hec tria peruertunt regna & vrbes.

Vrbes peruertunt & florentissima regna
Res priuata: simul non multum experta iuuentae
Consilia: atque latens funesto in corde simultas.
Aigner nutz: iunger rat vnd verborgner nyd
Verderbt vil stett land vnd leytt.

Hec tria faciunt sapientem virum.

Hec sunt prudentis, faciunt hec iure sagacem
Copia librorum cui sit peruisa frequenter
Qui mores hominum multas & viderit vrbes
Calleat historias: regumque heroica gesta.

Den

Digitized by Google

Den ſchrybend die alte wyſz vnnd klug
der vil biechen geleſen hat vnd lender genug
erfaren darzu menchen man
der vil alte geſchichten waiſt vnd kan.

Hec ſunt que maxime homines decipere ſolent.

Decipiunt multis, (vt nos docuere priores)
Et fauor haud durem principis atque ducum
Et muliebris amor, nec non aprile ſerenum
Labile vel folium quod roſa pulcra geris
Niſus & accipiter multo diſcrimine equusque
Tractatur: ſepe & teſſera vota negat.
Herren gunſt vnd aberellen wetter
frowen lieb vnd roſe bletter
roſz: würffel vnd federſpill.
betriegen manchen der eſz geloben wil.

i) *Annotatiunculas & expoſitiones quarundam dictionum, que in hymnis ſunt minus probe vel lucalenter interpretate*, praecedit

k) *Epiſtola* H. B. J. *ad* Joannem Nauclerum *alias* vergenhans, *iuris pontificii, & omnis litterarie diſcipline antiſtitem & patronum.* Thübingenſis *eccleſie collegiate prepoſitum. ac gymnaſii cancellarium celeberrimum.* In fine *Adnotationum* haec

l) HENRICI BEBELII reperiuntur carmina

1. *Eucharisticon ad reuerendum in* Chriſto *patrem* Joannem Abbatem *monaſterii* bebenhuſen.
2. *Epitaphium doctoris* Martini Vranii Prennynger *vtriusque iuris monarche.*
3. *Tetraſtichicon de eodem.*
4. *De obitu eiusdem, & fragilitate humana. Ad reverendum in* Chriſto *patrem* Joannem *Abbatem monaſterii* bebenhuſen. *epigramma.*
5. *Elegia extemporalis. In mortem nobilis & preſtantiſſimi viri* Hartmanni de eptingen *Canonici* Baſilienſis 15001. (1501).
6. *Epitaphium eiusdem* Hartmanni.

m) *An-*

Digitized by Google

m) *Annotationes in* Mammetractum praemisso epigrammate & epistola, dicauit HENRICVS BEBELIVS *Magnifico & generoso* Francisco *Comiti de* Zollern *Adolescenti & nobilissimo & doctissimo*. Quo tempore haec *opusculorum* bebelianorum collectio, litteris gothicis exscripta, in lucem prodierit, dicere non possumus, cum neque loci, neque anni, neque typographi indicium illi additum fuerit. Si coniecturae fuerit locus, illam *Phorcae in aedibus Thomae Anshelmi, badensis*, anno circiter seculi XVI. primo aut secundo impressam crediderimus. In collectione *opusculorum* HENRICI BEBELII, quae hoc in lucem exiit titulo: *Commentaria epistolarum conficiendarum* HENRICI BEBELII Iustingensis *Poetae Laureati, poeticam & oratoriam publice profitentis in studio* Tubingensi. *Contra epistolandi modos* Pontii *& aliorum. Contra epistolas* Caroli. *Commentaria de abusione linguae latinae apud* germanos *& de proprietate eiusdem. Vocabularius optimarum dictionum Haec omnia denuo emendata sunt. Annotationes & lima in Mammetractum cum nouis additionibus. Annotationes nouae pro lingua latina. De magistratibus* romanorum *cum expositione terminorum. Nomina latina artificum. Nomina morborum corporis humani latine & graece. Nomina propria sanctorum & eorum interpretatio, Expositio quarundam quaestionum. Qui sint pagi* sueuorum *& de aspiratione* Necchari *fluminis. Apologia* BEBELII *pro commentariis. Retractio eiusdem in quibusdam locis. Instructio bene scribendi pro fratre* Guolfgango Bebelio. *Appendix Commentariorum. Multa inuenies hic addita vel dempta priori impressioni, multa castigata & correcta, ita vt priori non tuto credere possis in omnibus.* Phorcae *in aedibus* Thomae Anshelmi *Anno. M. D. VIII.* (1508) *Mense Ianuario.* in 4. folior. 184. *Carmen elegiacum ad iuuenes, vt tempore iuuentutis discant*, fol. 4. & *Adnotationes in Mammotrectum nouis additionibus auctae* fol. III-124. reperiuntur. Alias eiusdem collectionis editiones recenset

censet Cl. Dauid Clement in *Bibliotheque historique & critique* Tom. III. p. 4 sqq.

XXCVI.

In hoc libro continentur Haec Bebeliana opuscula noua. Epistola ad Cancellarium de laudibus & philosophia veterum Germanorum. Epistola ad Jacobum Petri Arlunensem de laudibus & auctoribus facetiarum. Libri facetiarum iucundissimi: atque fabulae admodum ridendae. Proverbia germanica in latinitatem reducta. Mithologia hoc est fabula contra hostem poetarum. Elegia in obitum doctoris Henrici Starrenwadel praeteritorum vaticinatoris. Elegia hecatosticha de institutione vitae BEBELII dum pestis Tubinge grassaretur M. D. II. Elegia ad Appoloniam puellam pulcherrimam de meditatione venturae mortis & senectutis. Ad Thomam Wolphium iuniorem de laude doctorum & poeticae. Egloga contra vituperatores poetarum. Epitaphium Cytharedi ad Joannem Streler Vlmensem. Cantio vernacula. Laus musicae. Apologia poetae de stirpe sua. Elegia Cimonis stulti qui ex amore factus est prudentissimus. in 4. folior. 101.

Quae in hac collectione *opuscolorum* bebelianorum, maxima ex parte poeticorum, satis rara reperiuntur, titulus lectores, satis & abunde docere poterit. *Cantio vernacula*, minime verbis teutonicis composita, sed e vernaculo sermone in latinum sermonem transducta est. Initium teutonicae cantionis tale fuit. *Ich stand an einem morgen gar haimlich an ainem ort.*

Digitized by Google

ort. Praeter nonnulla epigrammata, his opusculis passim insperſa, *Elegiae* Cimonis, haec subiiciuntur carmina I. HENRICI BEBELII iustingensis, *Poe. Laureati, Carmen in Peſtem, pro* Agnete Rethaberin, *virgine pulcherrima* Tubingen. 2. *Epitaphium eiusdem,* 3. HENRICI BEBELII *poetae laureati, pro virgine, iuſta ſoluentis Epigramma.* Editionis tempus designatur, hisce verbis, in calce voluminis adpositis: Argentine *Impreſſit* Joannes grüninger *Anno. M. D. VIII.* (1508). Editionem exstare, cuius in fine haec leguntur: Argentine Joannes Grüninger *imprimebat* Jo. Adelpho *caſtigatore. Anno ſeculi huius M. D. IX.* (1509) *Paſche,* testatur Cl. Dauid Clement in *Bibliotheque hiſtorique & critique* Tom. III. p. 7. Recentior & auctior editio *nouo libro facetiarum, prognoſtico ſeu practica vtili & vera vsque ad finem mundi. Carminibus de miſeria humanae conditionis. de Inuidia. de* Baccho. *Contra Simoniacos. de philomela. Variis de rebus laetis & iucundis.* euulgata fuit Argentorati *denuo ex aedibus* Matthiae Schurerii. *Menſe Auguſto anno* 1514. *Regnante Imp. Caeſ.* Maximiliano *P. F. Aug.* in 4. vid. Die *Merckwürdigk. der königl. Biblioth. zu* Dresden Tom. III. p. 511. vbi *facetiae* BEBELII *rus & fluuium olere* dicuntur, Cl. Dau. Clement *Bibliotheque hiſtorique & critique* l. cit. qui varias *facetiarum* editiones recenset & specimina nonnulla, quibus BEBELIVS seculi sui barbariem & ignorantiam depinxit, adfert. Priores editiones, libros tantummodo duos ob oculos ponunt, recentiores autem tertio auctae fuerunt. Anno 1506. *facetias* primum exiisse in lucem colligimus, ex hisce Martini Crusii verbis, qui in *Annalib.* sueuic. Dodec. III. Lib. VIIII. Cap. XIIII. p. 528. scribit: *Dedicauit hoc anno* (1506) BEBELIVS *ſuum libellum Facetiarum* Petro Jacobo arlunensi *Iuriſc. Praepoſito* Backnangensi, *Canonico* Stutgardiano, *Ducali Senatori. Quales interdum illis temporibus fuerint curatores animarum: vel hinc colligi poteſt: quod 1506. in die reſurrectionis domini, frater qui-*

Digitized by Google

quidam ordinis Praedicatorum, (*ſicut ante ſacerdos quidam* waiblingenſis) *mandauit incipiendum triumphale carmen* Chriſti, Chriſt iſt erſtanden, *illi viro, qui domi ſuae imperium teneret, non vxor, vbi cum nemo virorum inciperet, mulieribus iuſſit, quae imperarent domi. Ibi ſtatim omnes cecinerunt.* Conf. Melchior. Adami *vitae philoſophor.* germanorum, p. 12. vbi ſimili ratione *facetiarum* librum anno 1506. primum eſſe editum commemorat. Verſionis teutonicae titulus: HENR. BEBELII *facetiae, in 3. Büchern. mit einer ordentl. Abwechſelung vnd Einmiſchung der Apologen* Bernhardini Ochini, *ſampt einer angehenckten Practicken, was biſz auff den Jüngſten tag gemein ſeyn werde, verteutſcht. Franckfurt bey Nicolao Baſſeo* 1589. in 8. adlatus conſpicitur in Nicol. Baſſaei *Collectione omnium in vnum corpus librorum* &c. P. II. p. 295. & *Catalogus Biblioth.* weidmann. P. I. p. 72.

De HENRICO BEBELIO & *opuſculis* ab ipſo editis vid. praeter ſcriptores ſupra citat. ipſius BEBELII *epiſtola de operibus a ſe editis, atque aemulis*, quae prodiit cum eiusd. *Commentar. de conficiendis epiſtolis*, & aliis *opuſculis*, *Argentorat.* 1513. in 4. fol. 140 ſqq. Martini Cruſii *Annal.* ſueuic. paſſim, inprimis Dodec. III. L. VIIII. Cap. X. p. 516. Joſ. Simleri *Bibliotheca* p. 272. Chriſtoph. Hendreich *Pandectae* brandenburg. p. 466 ſqq. Gerard. Jo. Voſſii *de Hiſtoricis latinis* Lib. III. Cap. X. p. 583. Martin. Hanckii *de* romanar. *rer. Scriptoribus* P. I. Cap. L. & L. II. P. II. Cap. L. p. 209. Henr. Wharton *Adpendix ad* Guil. Caue *Hiſtor. litter. ſcriptor. eccleſ.* p. 177. Jacobi Burckhardi *Commentar. de fatis linguae latinae in* Germania P. II. Cap. IIII. p. 317–358. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. II. p. 491 ſqq. Jacob. Bruckeri *Ehrentempel der* deutſchen *Gelehrſamkeit* Decur. X. p. 169. not. (n).

XXCVII.

Digitized by Google

XXCVII.

Literarii ſodalitii Apud Marpurgum aliquot cachinni ſuper quodam duorum Lypſenſium Poetarum in Lutherum ſcripto Libello, effuſi. M. D. XXVIII. (1528) in 8. folior. 8.

Ex quo tempore Martinus Lutherus, Catharinam a Bora, matrimonio ſibi iunxerat vndique Eccii, Cochlaei, Emſeri, Wulferi, Dietenbergeri, Koellini, Dungersheimii, Lemnii, aliique contra illum inſurgebant, qui illum eiusque coniugem, ſcriptis ſatyricis, inconditis & inſicetis ſcommatibus, incredibile dictu! peterent. Illis etiam ſe adſociauerant Joachimus von der Heiden, ſiue vt diti maluit, Miricianus, & Joannes Haſenbergius, Academiae lipſienſis magiſtri, & vt κατ' ἐξοχὴν nominabantur lipſienſes *poetae*. Alter enim eorum, Ambroſii libellum, *de lapſu virginis conſecratae* in teutonicum conuerterat ſermonem, & cum epiſtola teutonica ad Lutheri coniugem dedicatoria, & nonnullis inconditis verſiculis & teutonicis & latinis, bis euulgauerat. Editio, qua vtimur, anno 1528. edita videtur, & hunc titulum ob oculos ponit: *Ein Sentbrief*, Kethen von Bhore, Luthers *vermeyntem Eheweibe ſampt eynem geſchenck freuntlicher meynung tzuverfertigt. Dartzu eyne Bedingung auff der* Wittenberger *leſterſchrifft*. in 4. folior. 16. Recenſionem illius vide in Chriſtian. Wilhelm. Franc. Walchii *wahrhafftigen Geſchichte der ſeel. Frau* Catharina von Bora D. Martin Luthers *Ehegattin*, *Halle* 1752. in 8. Sect. III. p. 168. not. t. Qua ratione a Luthero, & amicis eius vitebergenſibus libellus fuerit exceptus, vid. in *Operibus* Lutheri *islebienſibus* Tom. I. p. 422 ſqq. & Tom. II. p. 5. *altenburgenſibus* Tom. IIII. p. 431 ſqq. lipſienſibus Tom. XXII. p. 584. *halenſibus* Tom. XIIII. col. 1336 ſqq. Conf. liber valde rarus, hoc titulo inſignitus: *Monetarius ſeditioſus ſiue Incendia ruſticorum bellica & reliqua eius luſtri memorabilia. Der* Müntzeriſche *Bawren Krieg*, ſo

ſo Anno 1525. in das Evangeliſche Reformationswerck mit eingefallen: Vnd was Gott die Hohe Maj. durch ihren dazu ſonders auszerwehlten Rüſtzeug Doct. Martinum Lutherum *dabey gethan vnd verrichtet. Auch ſich ſonſt, ſint dem* Wormiſchen *Reichs-Tage an, Anno 21. 22. 23. 24. vnd ſonderlich 1525. in Geiſt vnd Weltlichen ſachen, in vnd auſzerhalb Landes begeben vnd zugetragen. Aus* Luthero, Philippo, Schleidano; *vnd andern den fürnembſten Chronologis, faſt auf alle Monat, Wochen vnd Tage auſzrücklich ſpecificirt: Vnd nicht allein Comedien weiſe, ſondern auch als ein richtiges vnd luſtiges Compendium hiſtoricum Ordentlich verfaſſet vnd zugerichtet. Vnd der ietzigen ſichern Welt, zum nothwendigen Lehr- vnd Warnungs Spiegel Beym inſtehenden Seculo vor Augen geſtellet Durch* M. Martinum Rinckhardum, *P. L. in Patria* Ileberga *Archidiaconum. Leiptzig, In Verlegum Eliae Rehfelds vnd Johann Groſſen,* ſine anno in 8. Act. V. Scen. X. *in qua pontificiorum de Coniugio pſeudo-iudicia.* Alter Joannes Haſenbergius anno 1528. *epiſtolam ad* Lutherum *inuectiuam, in illius matrimonium* in 8. teſte *Catalogo Bibliothecae* tellerianae *Paris.* 1693. in fol. in lucem protruſerat, & poſtea drama compoſuerat, hoc titulo inſtructum: *Ludus ludentem* Luderum *ludens quo* Joannes Haſenbergius Bohemus *in Bacchanalibus* Lypſiae *omnes ludificantem ludionem omnibus ludendum exhibuit Anno M. D. XXX.* in 4. vid. Recenſio in Chriſt. Wilh. Franc. Walchii l. cit. in Addition. p. 311 ſqq. Vterque autem iam antea ſymbolam ſuam ad *epithalamia* Lutheri, quae Lipſiae diuulgata fuerant, non invitus contulerat. Diſertis id praeter alios prodidit verbis Martinus Rinckhardus l. cit. vbi inter alia, Cochlaeum, hac ratione loquentem, in ſcenam prodire iuſſit:

Es ſind zwey tapffer Helden Leut,
Haſenberg *vnd der* von der Heyd,
Leipziſch *vornehme Profeſſorn,*
Die hab ich darzu auserkohrn:

Sie

Sie haben Hochzeit Carmina
Gemacht an Luthrs *vermeinte Frah,*
Ihr gleubt nicht mit was ſchön Gedichtn,
Sie ihr den Leyen Stand vernichtn,
Ich kann mich nicht ſatt leſn vor frewden &c.

Hac igitur re, amici Lutheri, viri doctiſſimi, permoti fuerunt, vt iure, quaſi, retorſionis Miricianum in primis & Haſenbergium, poetas ineptos, mirifice depexos darent, & omnium ludibrio exponerent. Et ad id opuſculorum genus, haec, quam deſcribimus, collectiuncula rariſſima pertinet. Epigrammata illa complectitur ſatyrica XXIIX. a *litterario ſodalitio* apud Marburgum in Miricianum & Haſenbergium compoſita. Opuſculum in fine *excuſum* dicitur Marpurgi Anno M. D. XXVIII. (1528) *ſeptimo Calendas octobres.* Typographus anonymus eiusmodi praeire iuſſit praefatiunculam:

Typographus Lectori.

Cum hic nuper literarii ordinis aliquot ſodales, literati cuiusdam literato conuiuio exciperentur, commodum allatus eſt quidam e Lypſia, *neſcio quorum in* Lutherum *ſcribentium libellus. In eum illi, vt erat admodum ridiculus, cachinnabundi quodam certandi voluptate & tentandi ingenii gratia συμβολικῶς luſerunt aliquot epigrammatis. Quae dum a quodam harum rerum auido iuueni conſcripta nactus eſſem ſubita me ea diuulgandi cupido inceſſit, quod non minus elegantia ac erudita quam plauſibilia viderentur. Expreſſi itaque, non vt aliquem infamari (quam enim infamiam liberales illi ioci concilient?) ſed quod nobilium ingeniorum non illaudata ſpecimina ſeruari voluerim. Tu id a me factum boni conſulens cachinnis iſtis fruere, & Vale optime Lector.*

Octo autem auctores, ad iſtam collectionem, ſymbolam ſuam contuliſſe dicuntur, qui fictis nominibus, & perſonati, in ſcenam prodierunt. Sunt illi Euſta-

thius

Digitized by Google

thius Cornelius, Hadrianus Conſus, Chalcondyles Anthyllius, Demetrius Marianus, Valentinus Lorichius, Androſthenes Buccacius, Anneus Barba, Fauſtulus Canens. Omnem operam in detegendis eorum veris nominibus perdidimus. Vni tantummodo Euſtathio Cornelio laruam detrahere potuimus, cum epigrammata illius XVI. in Euricii Cordi *poematibus*, de quibus mox plura dicemus, reperiantur. E reliquorum epigrammatibus, vnum, alterumue, paullo ceteris modeſtius, heic transſcribimus:

Hadriani Conſi Symbolum.

Quae duo Lypſenſes *nuper cecinere poetae*
Carmina non Clario *ſunt referenda Deo.*
Non grauibus Muſis, *doctae non apta* Mineruae
Non Charitum *blando munera digna choro.*
Non recitanda viris, quibus eſt cura vlla decori,
Inter limatos nec numeranda iocos.
Sed ſunt ad foricas, calidumque locanda lupanar.
Hoc theatrum eſt illis ſcenaque digna iocis.

Demetrii Mariani ſymbolum.

Diuinus Plato *maximus Sophorum*
Magneti ſimiles ait poetas
Vires ille ſuas in omne fundit
Attactum, vt ratione mox eadem
Ferrum ad ſe trahat, Id tuliſſe verum
Conſtat, nam rabioſulos poetas
Tractantes rapimur pari furore
Vt ſimus ſimiles eis poetae.

Valentini Lorichii Symbolum.

Punica Dardanium *regem demulſit* Eliſa
Pliſtenium Aſtimone *flexit amica ducem.*
Candida magnanimum coepit Briſeis Achillem
Alcidae *impoſuit* Deyanira *iugum.*
Lypſiaca *fractus muſa iacet ecce* Lutherus
Quem tot honorati non domuere patres.

Digitized by Google

Debita redde tuis iam Lypſia *vota poetis,*
Fige & ouans altis parta trophoea tholis.

Fauſtulus Canens Myriciano & Haſenbergio.

Si vos ſtultitia non inſanire relicta
Vates poteſtis peſſimi,
Imo ſi cultae vos non odiſſe Camenae
Balbutientes poterunt,
Veſtra ſequi poterit bonus hortamenta Lutherus
Judiciumque perpeti.
Sed prius ad fluuos ibunt armenta leones
Saeuis voranda rictibus
Quam probet & faciet prudens conſulta Lutherus
Dementiam verſificum.
Quare ſi ſapitis deſiſtite ludere tantos
Paresque vobis quaerite.

Habemus alium, eiusdem commatis libellum, oppido rarum, non addita temporis, loci & typographi nota, in lucem editum, qui tali inſcribitur titulo: *Epiſtolae* Myriciani *poetae ad* D. Cochleum. *Epiſtola* D. Cochlei *ad* Myricianum *&* Haſembergium, in 8. folior. 8. Niſi omnia nos fallunt libellus *Vitebergae a Nicolao Schirlenz* circa annum 1530. editus fuit. Ab vberiore recenſione nos abſtinemus, cum ſatis ſuperque a Chriſt. Wilh. Franciſc. Walchio ille deſcriptus fuerit libellus l. cit. in Additionib. p. 309 ſqq. Idem Walchius reliquorum Lutheri aduerſariorum, qui eius matrimonium cum Catharina a Bora initum, ſcriptis editis impugnarunt, l. cit. paſſim dedit hiſtoriam.

Digitized by Google

XXCIIX.

EVRICII CORDI *Simesusii Germani, poetae lepidissimi*, opera poetica omnia, iam primum collecta, ac posteritati transmissa. Quorum catalogum versa pagella reperies.

Ad Lectorem.

Nullus in edendis modus est, finisque libellis
Vsque nouis aliis omnia plena scatent.
Vt non tot cerasis veniens Quintilis abundet
Plura nec Augustus sub cane pruna ferat.
Nec tot in apricis erucas frondibus vnquam
Aut Maio vermes videris in solo.
Si quotus est lector, tam multus debet & auctor
Esse, suum scribens dat quoque CORDVS opus.

in 8. folior. 295.

Laudatur editio *francofurtana* 1564. in 8. propter raritatem in *Catalogo Bibliothec.* Daniel. Salthenii p. 478. quam haec, quae sine die & consule in lucem emissa, & sine dubio, omnium prima est, superare videtur. Jo. Alb. Fabricio, Jo. Petr. Niceron, aliisque illa incognita fuit. Complectitur *Bucolicorum Eclogas* X. *Hymnum in natalem* Christi, Nicandri *Theriaca & Alexipharmaca* carmine hexametro, in latinum sermonem conuersa e graeco; *Threnodiam in mortem* Guilielmi Hassiae *Principis; Palinodiam* quod mortuum fuisse Erasmum scripserat. *Expiatorium* hessiaticorum *fontium; Defensionem contra* Thiloninum Philymnum, quam *operibus* insertam esse ignorauit Niceron Tom. XXXVII. des *Memoires pour servir à l'histoire des hommes illustres de la republ. des lettres* p. 374. & *Epigrammatum libros XIII.* Multa in hisce *epigrammatibus* inueniuntur, quibus historia litteraria

 istorum

Digitized by Google

istorum temporum, mirifice illustratur. Martini Lutheri aduersarii, & inter eos praecipue Cochlaeus, Hafenbergius & Miricianus, in EVRICIO CORDO inuenerunt antagonisten, qui multo illos sale perfricuit. Haec exemplo esse poterunt Libr. VIIII. fol. 230. b.

Ad Hermannum Buschium.

Barbara dicta fuit cuidam olim Lipsia *vati*
Sed tunc non celebres protulit illa viros.
Nunc vero quantos eduxerit aspice Homeros,
Et lege, praeclarum, quem cecinere, librum.
Quid rides, strepero numeras quid carmina roncho?
Quid miseros homines terque quaterque sonas?
Post adeo horrendos vultuque minisque Daretas,
Quos supera fudit mille Lutherus *ope,*
Ille triarius est, qui bellum finiet, ordo,
Et sua Helicolis ocia reddet baris.

Ad Lypsiam.

Quis non artifices tuos poetas
Foelix Lypsia *ciuitas stupescat?*
Qui quinta regione septimaque
Possunt hexametros parare versus,
Quod non ille prioribus sub annis
Diuinus potuit Maro, *nec ipse,*
Quo non doctior alter est, Homerus,
Ergo terque beatior quaterque,
Hoc quam Mantua *tunc, eoque* Smyrna,
Tantis Lypsia *Vatibus superbi.*

Ad Apollinem.

Dic intonse Deus, tua quid tibi Lypsia *fecit*
Quo tantum potuit demeruisse malum?
Vt tam ridiculis iuuet hanc temerare poetis,
Qui vetus obscurent diminuantque decus?
O caecos homines, omni qui prorsus honesto,
Omnique ingenio iudicioque carent.

Des

Digitized by Google

Der ſanum precor his aliquando pectus, vt olim
Stulticiam videant, illachrymentque ſuam.

Aliud.

Incuſatus Apollo, *quod duobus*
Iſtis Lypſiacis *fauens poetis*
Contra chriſticolam virum Lutherum
Hunc dictauerit impium libellum,
Irato grauis ore ſe negauit
Vllum noſcere Lypſiae *poetam.*

Conf. Chriſt. Wilh. Franc. Walchii *wahrhaftige Geſchichte der ſeel. Frau* Catharina von Bora p. 170. Nouam *poematum* EVRICII CORDI dedit editionem Joan. Henricus Meibomius, qui & *vitam* CORDI praefixit, & *notas* adiecit, *Helmſtad.* 1616. in 8. recuſam eſſe teſtatur Niceron in Memoires l. cit. *Lugdun. Batauor.* 1623. in 8. Maxima ex parte CORDI poemata inſeruit Janus Gruterus *Deliciis poetarum* germanor. P. II. *Francof.* 1612. in 12. p. 638–935.

Vitam HENRICI VRBANI, ſiue vt dici maluit EVRICII CORDI, Simeſuſii (*Oberſt Simſthauſen*), Haſſi, anno 1486. nati, poetae & medici celeberrimi, Bremae anno 1535. mortui, dederunt praeter ſcriptores iam nominatos Melchior Adami in *vitis* germanor. *medicorum* p. 10 ſqq. Paull. Freherus in *Theatr. viror. eruditione claror.* p. 1224. Joan. Petr. Lotichius in *Biblioth. poetic.* P. III. p. 41 ſqq. Henric. Pantaleon in *proſopograph.* Tom. II. p. 163. & qui omnium optime res ad CORDVM pertinentes expoſuit Wigandus kahlerus in *vita* D. EVRICII CORDI, *cum filio* Valerio *Reformatoris ſtrenui, & poetae eximii, Rintelii* 1744. in 4. Conf. Joan. Alb. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. III. p. 1204. Joſ. Simleri *Biblioth.* p. 190. Phil. Jul. Rehtmeyeri *Antiquitat. eccleſiaſticae vrbis* Brunſuigae P. III. p. 34 ſqq. *Zuuerlaeſſige Nachrichten von dem gegenwärtigen Zuſtande,*

Digitized by Google

Veränderung und Wachsthum der Wissenschafften Tom. V. P. LIII. p. 328 sqq.

XXCVIIII.

GEORGII SIBVTI *Daripini Poete & oratoris laureati:* Siluula in Albiorim illustratam. in 4. folior. 28.

In libri fronte oppido rari, & quod nos quidem sciamus, nunquam recusi reperitur delineatio partis superioris, templi, quod in arce vitebergensi exstructum est, ligno incisa. In altera tituli pagina haec leguntur: GEORGI SIBVTI Daripinii *poete & oratoris imperatoriis manibus laureati ordinarii lectoris humaniorum litterarum in famosissima academia* albiorena. *Siluula: in* Albiorim *illustratam: edita & nuper eorum illustrissimo* Friderico *Sa.* Ro. *Impe. electori ostensa cum vndecim personis memoriter recitata: Vates suadente musa sexcentos versus memoriter cecinit: vna queque aliarum personarum duodecim. Personę fuerunt:* Mercurius: *Parasitus:* Calliope: *poeta:* Apollo: Siluanus: Bacchus: Diana: Neptunus: Chloris: Calliopius. Carminis initium facit Mercurius *deorum nanctius* qui *principes salutat: & musas predicit cum poeta venturas,* deinde Calliope *euocatur a Parasito in teatrum.* Tertio loco comparet *Panegiricum* (carmen) Chiliani *equitis in recommendationem* GEORGII SIBVTI *poete laureati: qui primus suis carminibus* Albiorim *illustrauit.* Cum illud carmen, argumentum, quod GEORGIVS SIBVTVS, in *Siluula* pertractauit, omnium optime exponit, illud integrum heic proferre licebit.

Calliope *ad Principem*

Pascua, rura, lacus, siluas, & florea Tempe
Que colit Albioris *docte poeta cane*

Antra,

Digitized by Google

Antra, feras, hortos, vbertima germina fuco
Insita que sterili cortice prole tument.
Gramina purpurei spacioſaque iugera campi
Lilia verna, roſas, vmbriferumque nemus
Quod bibit irriguum (dum ſe diffuderit) Albim
Aridæ qui biſido gurgite rura lauant.
Is fugit eoo Phebi *radiantis ab antro*
Et caput occiduis labile condit aquis
Templaque marmoreis ſtudio celata coloſſis
Que decus eximium laudis & artis habent
Organa diſparibusque melos reſonantia cannis
Carmina, que alterno pectora feſſa leuant
Indigetum vultus picta ſub imagine viuunt
Viuis & in ſculpto robore nate Dei
Zeuſis *eat cubitum, calamus dormitet* Apellis
Nec tua Praxiteles *hoc opus arma terent.*
Iſta tibi cecinit diuina Minerua SIBVTI
Dum premit Albigenas *peſtis amara lues*
Cui ſacer inflexa praecinxit tempora lauro
Maxmilianus *habens regia ſceptra manu*
Albiorim *primus dignatus ludere verſu*
Menia, templa, nemus, paſcua, rura, laeus
Sarmata *te* Schythia*que canent* garamantus & indus
Ad tua templa ferent annua vota preces
Ergo decent meritum largiſſima munera vatem
Qui canit heroo carmina docta pede.

Sequitur 4) Chriſtiani Boioarii Lanckeimenſis *Epigramma in ſiluulam* SIBVTI.

5) Eiusdem *Epigramma.*

6) *Ad eundem epigramma.*

7) Andree Grappi *epigramma.*

8) *Ad ſapientiſſimum* Albiorene *vrbis ſenatum pro cognoſcendo libro & priſtina omnis fortune conualeſcentia* GEORGII SIBVTI *carmen.*

9) Eiusdem *ad* Dilonem Denum *eiusdem ſenatus Proconſulem primarium & ſapientiſſimum carmen.*

Digitized by Google

10) *Argumentum in primum librum ſiluarum* GEORGII SIBVTI Daripini *poete imperatoriis manibus laureati.*

11) GEORGII SIBVTI Daripini *poete & oratoris laureati Siluarum liber primus.*

12) *Gratiarum actio ad Deum omnipotentem.*

13) *Gratiarum actio ad Dei genitricem.*

14) *Gratiarum actio ad illuſtriſſimum Principem* Fridericum *Sacri* Romani *imperii Electorem*, Saxonie *ducem*, in qua poeta, hac ratione, de ſe loquitur:

Jam tibi me Princeps toto cum corpore vatem
Offero, committo, preſento iugiter vnum
Sub te ſum natus modica de ſtirpe creatus
Infans in pago vidi cunabula prima
Conradus *ſacro lauit me flumine* Celtis
Induit & primam phebeo *murice veſtem*
Poſt vbi me diuus cognouit Maxmilianus
Impoſuit ſacram regali pollice laurum
Carmina & in totum iuſſit me ſpargere mundum
Hoc tibi nunc luſi princeps doctiſſime carmen
Nil ego quero tuus: dici quam poſſe poeta
Et quam viuo diu geminus me nutriet albis.

15) *Gratiarum actio ad illuſtriſſimum principem* Joannem Saxonie *ducem:* Miſne *Marchionem* Thuringie *prouintialem comitem.*

16) *Principi poetam* Apollo *commendat.*

17) Siluanus *dono dat Principi vrſum & capram.*

18) Bacchus *alloquitur ducem.*

19) Diana *aſtipulatur* Baccho.

20) Neptunus *ſe conuertit ad* Dianam.

21) Chloris *dea florum coniungit muſas diis.*

22) Calliopius *ad Principem.*

23) *Ad* Chriſtofer. Scheurlum *magnificum* Albiorene *academie Rectorem, vtriusque iuris doctorem & quondam* Bononienſis *ſtudii ſindicum ſapientiſſimum* GEORGII SIBVTI *carmen.*

24) Eius-

Digitized by Google

24) Eiusdem *carmen ad generosum & illustrem* Fridericum de Rischer *vtriusque iuris doctorem & Consiliarium illustriss. ducum* Saxonie.

25) *Monostichon ad* Joh. Moenheuer *vtriusq. iuris doctorem consiliarium illustriss. ducum* Saxonie *& decanum cathedralis templi* albioreni.

26) *Ad religiosiss. sacrarum litterarum doctorem* Suppiz.

27) *Ad* Wolfgang. Stelhin *vtriusq. iuris doctor. excellentem.*

28) *Ad* Iheronym. Schorff *vtriusqu. iuris doctorem & philosophum argutissimum.*

29) *Ad nobilem & generos.* Vdalricum Denstat. *vtriusq. reip. sapientiss. interpretem.*

30) *Ad illustrem & insignem* Anthon. Nimicum *fortiss. ducum* Saxonie *prefectum &* Albiorene *vrbis vigilantiss. custodem.*

31) *Ad nobilem & erudit. vtriusque iuris indagatorem* Fridericum de Leonroter *Canonicum* Austatn. *ecclesie bene meritum.*

32) *Ad illustr. & expectate eruditionis virum* Christofer. Gros *sapientem & doctum iurium interpretem.*

33) *Ad generosum & in primis eruditum* Heinric. de Seben.

34) *Ad* Joann. de Canniz *in* Treben.

35) *Ad fidelem & amandum* Thomam N. monasterien-sem *iurium & medicine Baccalaureum in primis doctum & experrtum.* Albioreni *Gymnasii notarium bene meritum.*

36) *Ad* Henricum *&* Theodoricum de Peulwitz *illustres fratres & adolescentes sub prima litterarum incude militantes fortissimorum ducum* Saxonie *Marschalci filios.*

37) *Ad* Henricum Gruber de sancto Gallo *rerum hominem, variarum virtutum praeditum.* Is Henricus Gruber, cuius elogium poeta coronidis loco adposuit, sine dubio, e satellitibus Heluetiis fuit, qui in principum arcibus, ante portas & ianuas, excubias agere solent. Ita vero SIBVTVS:

Digitized by Google

Ipſe meos ſoleo tecum concludere libros
Forte mei potius gauderes ianitor eſſe
Libri: res vna eſt: pateat tibi ianua ſemper
Intus cum fueris: claudas: nec ſuſcipe quemquam
Tu mihi ſolus eris cunctis bene gratus in horis
In libro noſtro dabitur tibi tanta poteſtas.
Quanta tibi fuerat peſtis dum ſeuit acerba
Magnificus Rector petiit dum balnea Sixtus
Illius officii fueras ad quattuor horas
Functus: dixiſti: o fortunatiſſimus annus
Felix ille dies matris numerandus ab aluo
Felix illa dies niueo ſignanda lapillo.

Typographus huic *epigrammati*, adiectis ſcutis ſuis, haec addidit verba: *Impreſſum* Lipcz *per Baccalaureum* Martinum Iantzberg Herbipolitanus (Herbipolitanum). Quo autem tempore, liber, charactere litterarum gothico, impreſſus, lucem viderit, non conſtat. Georgius Chriſtophor. Kreyſig in der *hiſtoriſchen Bibliothek von Ober-* Sachſen Sect. V. Cap. IIII. p. 559. anno circiter 1508. id factum eſſe exiſtimat, ſed anno librum antiquiorem, & ſub Rectoratu Chriſtophori Scheurli circa annum 1507. editum eſſe ſcribit Ernestus Salomon Cyprianus in *Catalog. libror.* ſuorum *Lipſ.* 1733. in 8. p. 210. Confirmare videtur Cypriani ſententiam carmen num. 23) repoſitum.

De GEORGIO SIBVTO, daripinio, nihil aliud compertum habemus, quam quod in academia vitebergenſi, recens condita, e primis fuerit, qui ibi docuerunt, profeſſoribus; Joannes enim Matthesius in der *Hiſtorien von des Ehrwirdigen in Gott ſeligen theuren Manns Gottes Doctoris* Martini Luthers, *anfang, Lehre, leben, vnd ſterben* fol. 198. edit. *Norimb.* 1570. in 4. haec ſcribit: *Was aber von Anfang für Doctores vnd Profeſſorn allda* (zu Wittenberg) *geweſen, wird ietzmals zu lang zu erzelen. Doctor* Mellerſtad *vnd* Staupitz *bekommen befelh, das ſie nach guten leuten trachten, bringen auch jr etliche zuwege, von* Deutſchen

Digitized by Google

schen vnnd Wallen, *in allerley Künsten, so gut sie desmals anzutreffen waren. Doctor* SEBVTVS *der Poet — lesen in freyen Künsten* &c. Illum artem etiam medicam exercuisse, & circa annum 1507. Professorem rhetoricæ, Coloniae fuisse, testatur *Lexicon eruditor.* Tom. IIII. col. 565. Sed sine dubio iam anno 1507. Professor fuit vitebergensis. Si coniecturae locus fuerit illum circa annum 1504 & 1505. Coloniae rhetoricam docuisse existimauerimus. Anno enim 1505. illius *ars memoratiua* de qua alio tempore dicemus, *ex officina Henrici Quentel Coloniae* in 4. edita fuit. Conf. Jos. Simleri *Bibliotheca* p. 232. vbi alia eius adducuntur opuscula, id vero, quod recensuimus, eo loco, & in *lexico eruditorum* l. cit. omittitur. *Bibliotheca* cyprianica l. cit. &. p. 206. 211. Jo. Henr. Leichii *Annal. typogr.* lipsiens. p. 101.

XC.

Ad Sereniſſimum Principem, & Dominum, Dominum Maximilianum, Dei gratia Regem Bohemiae &c. Archiducem Austriae, Ducem Burgundiae &c. Dominum clementiſſimum. Libellus de Partibus Reipub. & Causis Mutationum Regnorum, Imperiorumq. in plerisque ad imitationem Aristotelis, scriptus Carmine per M. MARTINVM RAKOCIVM. Additum est praeter ea Encomium spectabilis & magnifici Domini Palatini Regni Hungariae &c. & Eiaculatio ad Magnificum Dominum Magistrum Curiae &c. *Viennae Austriae excudebat Raphael Hoffhalter Anno* 1560. in 4. folior. 23.

Hic MARTINI RAKOWZKI DE RAKOW, Camerae hungaricae Scribae libellus, ad eos omnino pertinet,

Digitized by Google

tinet, qui raro hodie conſpiciuntur. *Epiſtola* illius dedicatoria, ſcripta eſt Piſonii *Menſe Decembr. Anno* 1559. Conſtituit poeta cum Ariſtotele *Politicor.* L. IIII. Cap. IIII. Octo reipublicae partes, quas hiſce verſibus complexus eſt:

Ruricolae pars eſt prima, Artificesque ſecunda,
Tertia quae tantum vendit, emitque foro.
Quarta dehinc, quiduis quae pro mercede laborat.
At quae propulſat proelia quinta ſubeſt.
Pars conſultores ſexta eſt, legumque periti,
Septima, Nummorum caetus, opumque potens.
Qui praeſint, proceres, operis, & publica curent,
Octaua illorum pars liquet eſſe tibi.

Exemplum omnium *pulcherrimae* reipublicae proponit Caphernaum, formoſum nomine pagum, huiusque rei haſce adfert cauſſas:

Vrbis praeſes *erat*, Chriſto centurio *carus*,
Qui coluit vera relligione Deum.
Jayrus, *integra praeſtans pietate*, ſacerdos,
Dilectus, Chriſti *voce*, *trahebat oues.*
Filius, ipſe Dei, mundi ſaluator, Jeſus
Illa pergratus Ciuis *in vrbe fuit.*
Exemploque probans ciuilia munia, cenſum
Caeſare Didrachmon te, Tiberine, *dedit*
Paſtor amicus erat Chriſto, *Centurio* Chriſto,
Ac hoſpes Chriſtus *ſaepe vtriusque fuit.*
Huic ſanat famulum, natum reuocauit ab orco
Illius, & tantum pignus vterque tulit
Integer hic Joſeph *ſedit cum virgine ſancta,*
Atque fero melius milite tutus erat.
Hic habitata domus Petro, *dulcesque penates*
Suffecti, & Chriſti *munere ſana ſocrus.*
Sanctorumque chorus, Chriſtum *comitatus euntem*
Gratus, cum multis, non ſemel hoſpes erat.
Nec deerant matres ſanctae, caſtaeque puellae
Quarum ſaluificus pectore luxit Amor:
Qui fuerat lux, vita, ſalus, & tota bonorum

Copia,

Digitized by Google

Copia, quo Caeli ſpiritus omnis onat.
Cuius & alloquio promanant verba ſalutis,
Et feruens animis enthea flamma piis.
Illum viderunt, illum audiuere loquentem
Illius hi verbis conſeruere ſua
Quottidie docti ſermone loquentis abibant,
Et ſeſe ad verbum compoſuere Dei.
Et variis preſſi morbis, varioque labore,
Diuina ſubito conualuere manu.
Daemone vexati, lunaticus atque ſoluti
Membra, & quos Chriſti *praeueniebat amor.*
Praefectus plebem Satrapes in pace regebat,
Juſſa Dei imperio, non violanda ſequens.
Quod didicit verbum. Chriſto *tradente, docebat*
Jairus, *& domini buccina vocis erat*
Nepthalis *exiliit, plauſit* Zabulonidis *ora,*
In nocte, & mortis nube propago ſedens.
Na[illegible] oriens illi, lumen de lumine luxit.
[illegible]rimae dixit iam reſpiſce, redi.
Felix, ac immortalis Respublica certe,
Conceſſit facilis cui bona tanta Deus.

RAKOCIVM autem non ſolum inter poetas philoſophos, ſed etiam mathematicos ſibi vindicare locum, lectores noſtros, hoc ſpecimen docere poteſt, quo ſecundum Platonem *numerum* inter cauſſas mutationum regnorum adfert.

—— *Numerus placet altera cauſſa* Platoni
Qui duplici harmonia diſcrepet ipſe ſibi
Quando ſuperficies Epitriti πεμπταδι iuncta,
Auctaque ter germina diſſona voce ſtrepit
Cumanae *vatis quamuis oracula vincant*
Haec tenebris, breuiter ſic tamen iſta cape.
Dat natura bonos, & diſciplina regentes,
Principio quorum florida regna vigent.
Poſtea degenerant, frenis paulliſper omiſſis,
Quae diſciplinae fecerat ante rigor.

Poſtri-

Digitized by Google

Postremo, veluti, vitiorum laesa senecta
Prorsus cum dominis praecipitata ruunt,
Vt tribus ascendit modulis symphonia dulcis,
Ante Deum quando musicus ordo canit,
Quos si transscendat, tollatque supra Diapason,
Horrendo strepitu conceaua templa frement.
Nec iam cantus erit, sed erit vox illa, boatus.
Et docta minime gratus in aure fragor.
Sic sit Epitritus $1\frac{1}{3}$ *cuius Diagrammate quinque*
Sit radix, costas parte ab vtraque ligans
Haec tibi dulcisonas reddet symphonia voces
Per quartam docto suauiter ore sonans.



Duc cubice costas 4. 3. media duo pone 48. 36. require
Quos extrema 64. 27. dabunt cum [illegible]iis strepitus
Dimidius ditonus tibi cum diapente patebit,
Qui modus est vnus non ita durus adhuc.
Surget ab extremis 64. 27. Diapason, dimidiusque
Dittonus, heu quantum iunctus vterque frement.
Multiplica simul 64. 27. veniet 1728. plus disdiapason
Latrans, Tartareas vt canis ante fores.
Offensas feriet duris clamoribus aures,
Obruet inceptum vox vlulata melos.
Summa cadunt igitur sua post exordia prorsus
Hic fati numerus cum solidatus adest 1728.
At diatetradion clementer postea rursus
Cum vult post strepitus, inchoat ipse Deus
Sic aetas olim pulchrum mutauit inane,
Aduersus Dominum flagitiosa patrans
Et rudis Israel *factus fatalibus annis*
Cum disciplina concidit ipse sua.
Nec procul a nostro situs est hic terminus aeuo 1728.
Nescio, terrigenis quid feret ille noui.

Inci-

Incipiunt autem tractus ſentire ruinas
Imperia, & fati deteriora ſequi.
Anno 512. qui diapente facit collatus ad illum
Et logon hunc $3\frac{3}{8}$ menſus, ſi trutinetur habet.
Sed breuibus, non eſt, Elegis euoluere tanta
Latiuagi longe res erat iſta pedis.
Non bene magna capit, pelago ducenda profundo,
Et quae ſuperent pondera, parua ratis.
Credite, fatales numeros, momentaque voluunt
Conſcia, virtutem ſydera paſſa Dei.

Omnes autem cauſſae mutationum regnorum, ab auctore, vel *philoſophicae*, vel *theologicae* eſſe dicuntur. Ad illas refetuntur: 1) *fata* cum

Omnia ſint vicibus dominisque obnoxia fatis.

2) vt iam diximus *numerus.* 3) *Seditio populo male concordante coorta.*

4) *Perfidia, regumque tyrannis.* 5)
--- ---- cum ſucceſſor adit moderamen ineptus
Spernendusque capit regia ſceptra puer.

Cauſſae theologicae dicuntur 1) *domini ſecreta voluntas* 2) *populus*
contemnens enthea iuſſa Dei
3)
---- fictilium ſemper vicina tyrannis
Cultibus, inclemens & ſine iure manus.
4)
Rex falſa Dominum religione colens.

Carmini adiicitur *Encomium ſpectabilis & Magnifici domini Comitis de* Nadaſth *Palatini Regni* Hungariae, *Judicis* Comanorum, *ac terrae* Fogaras *perpetui, & Comitatus* Caſtriferrei *Comitis, Generalis Sacrae Imperatoriae & Regiae Maieſtatis Capitanei* carmine heroico. 2) Elegia *ad Magnificum Dominum* Joannem Deſeſi de Czerneck, *Magiſtrum curiae ac ſacrae imperatoriae regiaeque maieſtatis camerae* hungaricae *praefectum, & Conſiliarium*, in eius inſignia. 3) *Ad egre-*

Digitized by Google

egregium Dominum Ladislaum Mossoci S. C. *Regiaeque Maiestat. Camerae* hungaricae *prouentuum Perceptorem.* 4) M. Georg. Purkircher *Epigramma ad lectorem*, in laudem RAKOCII. Libro coronidis loco, typographus Raphael Hoffhalter sua insignia adposuit. In *lexico eruditorum* MARTINVS RAKOCIVS locum non inuenit.

XCI.

De Principatu salutariter administrando Opusculum, Cum Praeceptis politicis, tum exemplis historicis maxime illustribus & memorabilibus refertum, inque quatuor libros, secundum virtutes, vti vocant, Cardinales quatuor, distributum. *Autore* MARTINO PRAETORIO *Silesio. Argentorati Apud haeredes Bernhardi Jobini: M. D. XCIIII.* (1594). in 4. folior. 36.

MARTINI PRAETORII scripta omnia, sunt paullo rariora. Fuit is Suidnicii in Silesia anno 1557. natus, & adeo litteris humanioribus excelluit, vt non solum studiis filiorum Marchionis brandeburgici, Joachimi Friderici, qui tunc Administrator erat primatus & archiepiscopatus magdeburgensis, per decem annos praeficeretur, sed etiam ob egregia eius merita, cum philosophica & medica lauru, vt Nicolaus Henelius ab Hennenfeld, in *Silesiographia renouata* P. I. *Vratisl. & Lipsi.* 1704. in 4. Cap. VII. p. 584. scribit, Athenis Helueticis anno 1599. cohonestatus rediisset, aureo torque, honoris caussa, publice donaretur. Eccles. ad D. Nicolai magdeburgens. Canonicus, diem obiit anno 1615. aetatis anno LIIX. Vid. Georg. Gothofred. Küsteri *Bibliotheca historica* brandenburgica, *Vratisl.* 1743. in 8. L. IIII. Sect. I. Cap. VII. §. 6.

Joan.

Digitized by Google

Joan. Henr. Cunradi Sileſia *togata ſeu elogia* Sileſiorum *doctrina clariſſimorum Lignic.* 1716. in 4. Lib. VII. p. 221. Frid. Lucae Schleſiens *curiöſe Denkwürdigkeiten Franckf.* 1689. in 4. Tom. I. p. 611. Jo. Sigismund. Johnii *Parnaſſi* ſileſiaci *ſiue Recenſionis poetarum* ſileſiacorum, *quotquot vel in patria vel in alia etiam lingua muſis litarunt Centuria I. Vratislau.* 1728. in 8. num. 85. p. 160 ſqq. vbi ille MARTINVM PRAETORIVM in heroicis in primis poetam felicisſimum adpellat, & opuſculum *de principatu ſalutariter adminiſtrando* paullo altius adſurgere ſcribit. Joan. Henr. Cunradus & Nicolaus Henelius ll. citt. de hoc libro, hac ratione ſententiam ſuam expoſuerunt. *Poëtandi quidem arte (ne ceteras dotes commemorem) inter ſuos nequaquam fuit poſtremus: qui cum probe gnarus eſſet, Poëſim vix olim a quoquam cultam, quam vt doceret, nec minus artem praeſtantiſſimam fruſtra actari, niſi ſubiectum adſit elegans, quam filiam haberi pulcherrimam, ſi male illam colloces, diuinum ſtudium, quod ad ſolam animi delicati voluptatem facere multi nugantur, virtuti conſecrauit; interque alia* de Principatu ſalubriter adminiſtrando (*quae vero nobilior materia eligi poterat?*) *poetica ſcriptione periclitari coepit. Id quod illi non infeliciter ceſſit. Exſtant eius ea de re libri IIII. Gratiarum ac Muſarum floribus & deliciis perſperſi, Principis, quem dixi, filio primogenito* (Joanni Sigismundo, Marchioni brandeburgico) *cum* Anna, Boruſſiae *duce nuptias celebrante, dedicati, tantique adeo, a magno Viro habiti, vt deliciis inſerendas cenſuerit poetarum* germanorum *editor* Gruterus (Part. V. p. 442 ſqq.). Liber poematis heroici, I. agit *de Principis iuſtitia*, II. *de prudentia*, III. *de fortitudine*, IIII. *de temperantia.* Os poetae magna ſonaturum initio ſtatim Libri I. ſe prodit, qui hac ratione inchoatur:

Illa ego ſiderei ſolio quae, Diua, Tonantis
Aſſideo, & vigili ſubiectas lumine terras
Luſtro, fori cuſtos, aſtris, Aſtraea, *relictis,*
Gaudeo terrarum poſtrema reuiſere tractus,

Digitized by Google

Sicubi regnorum ſupremis fulcra ruinis
Subiicere, & mores hominum, corruptaque ſecla
In tanto liceat rerum emendare tumultu.
Prima ego terrigenas ſiluarum horrentibus vmbris
Eduxi, indomitosque animos & agreſtia corda
Exuere, & placidos paulatim aſſumere mores,
Oppidaque exſtruere, & tectis coniungere tecta
Et iuſſi magno veniunctos viuere caetu:
Hisque ſacras leges dictaui & candida iura
Barbaraque informi detergens ſecula victu,
Rexi animos pariter populi, Regumque ducumque
Fida comes, dux fida, quibus respublica curae.
Ancipitem geſtans gladium, libramque bilancem,
Sedula proſpicio, ne fraus & iniqua nocentum
Improbitas regnet, turpi nec cedat honeſtum:
Jusque obſeruanti bona, ius auſtera perofis,
Decerno reprobis poenas, & praemia iuſtis.
Me ſine, ciuilis frigent commercia vitae:
Me ſine, nulla domus, Respublica nulla ſenectam
Ferre, nec vlla diu poſſint conſiſtere regna:
Inque Deum pietas, ſine me, nulla, inque propinquos
Nulla fides: ſine me, quanta eſt, prudentia regum
Stultitia eſt laruata, furorque, heroica virtus.
Me ſine, mortales cultos dediſcere mores,
Et vitam atque animos induti rurſus agreſtum,
In ſiluas migrare volent ſtabula alta ferarum,
Et quondam proauis habitata reuiſere luſtra.
Diuarum me pone chorus comitatur euntem,
Nobilior gemmis, pretio pretioſior omni,
Libertas, carum terris & amabile numen:
Terna Charis, fandique potens Suada vbere vena
Quasque homini nouiſſe datum eſt, Pax optima rerum,
Et niueos lauro Concordia nexa capillos:
Ad latus incedit rerum pulcherrima Diua,
Virtutum genitrix pietas, gratiſſima caelo:
Saluifica quae mixa fide, & ſpe diuite freta,
Nunquam vana vocat ſupremum in vota Jehouam &c.

De

Digitized by Google

De eiusdem auctoris libello, raro occurrente, qui inscribitur *Marchiados Libri II. siue illustrissimi Principes S. R. I. Electores & Marchiones* Brandenburgenses, Borussiae *duces ac Burggrafii* Noribergenses, *sigillatim ac seiuncte ferme omnes, quotquot lucem hanc aspexerunt, carmine heroico comprehensi: Auctore* MARTINO PRAETORIO, Silesio. *Argentorati, excudebat Josias Ribelius Anno recuperatae Salutis CIↃ IↃXCIV.* (1594) in 4. vid. Georg. Gothofr. Küsteri *Bibliotheca hist.* Brand. l. cit. Eiusd. *Notitia Scriptorum qui* Marchiae brandeburgicae *historiam illustrarunt*, quam addidit Nicol. Leutingeri *Operum* Tom. II. *Francof.* 1729. in 4. p. 52. die *Nachrichten von einer* hallischen *Bibliothek.* Tom. VI. p. 56 sqq. Jo. Henric. Cunrad & Nicol. Henelius ll. citt. illum etiam opus scripsisse perhibent, medicum, *de animalibus*, quod in Typographeo Francofurti ad Moenum, furto subreptum perierit. *Varia* MARTINI PRAETORII *carmina*, exstare in Jani Gruteri *deliciis poetarum* germanorum Tom. V. p. 442. scribit Küsterus in *Notitia Scriptorum qui* March. brandeb. *histor. illustrar.* & Jo. Sigism. Johnius in *Parnasso* silesiaco ll citt. sed praeter poema *de principatu salutariter administrando*, nihil carminum l. cit. inuenitur.

XCII.

Ποιησις Χριστιανη Παλαιστινης, ητοι αγιας ιστοριας, βιβλια εννεα. Poesis Christiana. Palaestinae, seu Historiae sacrae, Libri Nouem. Vbi ex S. Bibliis, Josepho, Historia ecclesiastica, & aliunde, continua serie recitantur praecipua, quae in Palaestina, seu Terra sancta, ab vltima inde memoria, ad hanc ferme aetatem vsque, Deus, S. Patres, Judices, Reges, Prophetae, Ethnarchae, Pontifices,

Digitized by Google

tifices, Macedones, Asmonaei, Herodes, Christus, Apostoli, Romani, Agareni, Turcae, & Argonautae nostri, aliique interim gesserunt. Ad vsum scholasticae iuuentutis Graecolatina poesi ita concinnati, vt ab omnibus vbique Christianis, bonarum artium studiosis, cum fructu & voluptate, legi possint. *Autore* LAVRENTIO RHODOMANNO. *Francofurti apud Andreae Wecheli heredes, Claudium Marnium, & Joan. Aubrium MDLXXXIX.* (1589) in 4. pp. 322.

Satis rarum, praestantissimum hoc carmen esse, testatur Vir Cl. Joan. Ludolph. Bunemannus in *Catalogo MStorum, & libror. impressor. rariss.* p. 94. & *Catalogus Biblioth.* Daniel. Salthenii p. 175. Illo recensendo iam supersedemus, cum viri clariss. Georgius Lizelius, in *Historia poetarum graecorum* Germaniae, *a renatis litteris ad nostra vsque tempora Francof. & Lipsi.* 1730. in 8. p. 166 sqq. & Carol. Henric. Langius in LAVRENT. RHODOMANNI *vita*, quam edidit *Lubecae* 1741. in 8. Cap. III. §. XVI. p. 321 sqq. istam nobis praeripuerint gloriam. Ne vero plane ἀσύμβολοι discedamus, ex exemplari nostro, LAVRENTII RHODOMANNI carmen elegiacum, ne forte illud pereat, heic adscribimus, quo librum, sua manu insignitum

Nobilitate generis, Virtutis, Sapientiae, Eruditionis & pietatis christianae praestantia magnifico Viro Dn. Johanni Guilielmo a Cerstlingeroda: *Arcis* Scartfeldicae *praefecto amplissimo. Domino & Mecoenati reverenter colendo*, misit.

Quam bene conueniunt, pietas, sapientia, virtus!
Quam rarus magnae nobilitatis bonos!
Haec tria te decorant, & ad aurea sidera tollunt,
Inclyte Vir, claro sanguine natus eques.

Quae

Digitized by Google

Quae simul exornant Charites, Musaeque coronant,
Haec bona sunt cunctis anteferenda bonis.
Quid bona fortunae, si mens non integra? quid vis
Corporis, internae ni socientur opes?
Hae formant hominem, Diisque immortalibus aequant:
Hae dant, vt vere nobilis esse queas.
Hinc tibi non tantum decus & hinc alma voluptas
Sed fluit hinc aliis copia larga boni.
Macte vir ergo bonis, animique & corporis & quae
Sors fundit. Longum det Deus hisce frui.
Quod superest tenuis non adspernere poetae
Officium: vtque cliens sim tuus: oro: Vale

Generosae Praestantiae T.
officiose deditus

D. Georgii LAVRENT. RHODOMAN.
A. C. clɔlɔXIC. *Scholae* Walcerod. *magister.*

Vitam LAVRENTII RHODOMANNI, graecae linguae in Germania restauratoris, Saxouerfiae (Ober-Saſswerben) haud procul Stolberga anno 1546. nati, Vitebergae autem, anno 1606. aetatis anno LVIIII. mortui, omnium optime, quem iam nominauimus, expoſuit Carolus Henricus Langius, & hoc in lucem emiſit titulo: M. LAVRENTII RHODOMANNI *Graecae Linguae quondam in Academia* Jenenſi, *& Hiſtoriarum in Academia* Vitebergenſi, *Profeſſoris longe celeberrimi, inter Poetas Graecos poſt renatas litteras Principis, Vita & in Graecas eum primis Literas Merita ex ipſius* RHODOMANNI *ſcriptis, aliisque monumentis fide digna recenſuit* M. Carolus Henr. Langius, *Gymn.* Lubecenſis *Corrector, Societatum Teutonicae* Lipſienſis *& Latinae* Jenenſis *Collega Honorarius. Lubecae Sumtibus Jonae Schmidt* 1741. in 8. pp. 382. Conf. *Manes* LAVRENTII RHODOMANNI *Viteberg.* 1608. in 4. Complectitur iſte liber *orationes* panegyricas

gyricas Joannis Zezneri & Gaſpar. Barthii, memoriae RHODOMANNI conſecratas. *Programma in funere* LAVRENTII RHODOMANNI *propoſitum a Prorectore Academiae* Vitebergenſis, Daniel. Sennerto *Med. D. & Prof. Witteberg.* 1606. in 4. Henning. Wittenius illud inſeruit *Memoriis philoſophorum* Dec. I. p. 23 ſqq. Legi praeterea merentur Joan. Conrad. Dieterici *Program. de propagatione graecar. litterarum & poeſeos per* Germaniam *a Triumuiris litterariis*, Martin. Cruſio, Mich. Neandro, LAVR. RHODOMANNO *inſtituta*, *Gieſſae* 1663. in 4. Paul. Freheri *Theatr. viror. eruditione claror.* p. 1501. Niceron *Memoires* Tom. XLII. p. 373 ſqq. P. Baile *Dictionaire hiſtorique & critique* Tom. III. p. 2448 ſqq. Adrien Baillet *Jugemens des Savans* Tom. II. P. II. p. 162.

XCIII.

CLAVDII ROILLETI *Belnenſis* varia poemata. Indicem ſequens pagella continet. *Pariſiis, Apud Guliehmum Julianum, ſub inſigni Amicitiae, prope Collegium Cameracenſe. Cum priuilegio* 1556. in 12. folior. 150. ſi folia 8. priora non fuerint numerata.

Cum inter eos Gallorum poetas, CLAVDIVS ROILLETVS, iure mereatur locum, qui haud difficilem experti fuere muſam, miramur profecto, quod eius *poemata*, etiam in inſtructiſſimis bibliothecis non inueniantur. Vix enim vnus alterue catalogus, noſtris ſe obtulit oculis, vbi libellus adnotatus fuerit. Quid? in ipſa *lexici eruditorum editione* nouiſſima ROILLETI nomen fruſtra quaeſiuimus. Praeter duo carmina dedicatoria ad Joan. Ferrandum, ſenonenſem *ſummum Archidiaconum*, & totidem *ad Lectorem* epigrammata in libello inueniuntur *Tragoediae quatuor*, quae inſcri-

Digitized by Google

inscribuntur Philanira, Petrus, Amari, Catharina. *Dialogi* siue *Eclogae quatuor* sequuntur, quarum tituli sunt *Victoria*, *Fortunae coniugium*, Diana *siue Satyri*, *Ecloga in congratulationem Cardinalis* Lotharingi *ab* Italia *reducis*. Illas excipit *Epithalamion* Antonii Bartholomaei, *patricii & ciuis* lucensis & Isabellae Cenami; & *varia epigrammata*. Poeseos specimen ex *Epithalamio* adscribimus:

Phosphore redde diem quid sic sperata moraris
Gaudia? purpureum Phosphore redde diem.
Redde diem, vt surgens cupidos mireris amantes,
Miseris Cypriae *parta trophaea nouae.*
Iam nouus ecce tibi quidam procedit Adonis,
Quo sine visa sibi nulla futura Venus.
Procedit, non qui Triuiae nemora alta Dianae
Dum petat obliquo vulnere figat aprum:
Sed qui ab Acidalio *descendens, monte, petitas*
Virginis in thalamos carmen & arma paret.
Phosphore redde diem quid sic sperata moraris
Gaudia? purpureum phosphore redde diem.
Qualis vbi Delon *maternam tangit* Apollo
Cinctus odoratam fronte premente comam.
Progrediens, vultu fragrantes efflat odores
Et veris sacro spirat ab ore decus.
Talis Acidalio Veneris *de monte receptus*
Praecinctus multa tempora pulchra rosa.
Progreditur spirans, coelumque crocumque rubentes
Ipso etiam Clario *dum videt ora Deo*
Progreditur niueae vt florem decerpat amicae
Quo decerpto alio flore virescat humus
Phosphore redde diem &c.
Gaudia purpureum &c.
Vt Phoebus *aspicies claram sic luce* Dianam
Qua sua sit Triuiae forma futura pudor.
Adspicies ipsa sic tetricitate decorum
Vt comi arridens tetricitate iuuet.
Non pharetrata tamen neruoso prodit in arcu,
Vt possit solas figere casta feras.

Longe alias alio ex arcu pharetraque sagittas
Proiens, vult aliam figere virgo feram.
Figere vult, caeco quam dum defixerit ictu,
Ictu se fixam sentiet esse pari
Phosphore redde diem &c.
Gaudia purpureum &c.
Ipsa Diana *tamen sola vt sua lumina nocte*
Difundit, tenebris sic sua tela iacit.
Sic sua tela iacit, iaciens sibi soluere cestum
Vult Veneris *casto quem capit ore virum.*
Purpureis pudibunda genis thalamique virique
Expers, ad tedas non nisi nocte venit.
Non nisi nocte venit trepidans, metuitque virili
Ne sit in ingressu succubuisse pudor.
Noctem amat & Veneris *tedas, suus ignis in igne*
Nocturno, abscondi vult sua furta Venus.
Phosphore conde diem, quid iam nocturna moraris
Gaudia? purpureum Phosphore conde diem.
Auricomo in caelis exsurgens Hesperus igne,
Aurorae multo gratior igne micat.
Hic natam trepidae complexu auellere matris
Blandius vt pugnat blanda puella potest.
Et iuueni cupido castam sociare puellam,
Quae licet vt pugnet se cecidisse cupit.
Vt desponsa noua firmet connubia flamma
Sentiat impressas ora ad amica faces.
Hesperus vtrique est magis exoptatus amanti,
Occidue occiduus gratior ille thoro
Phosphore conde diem &c.
Gaudia? purpureum &c.
Vesper adest, pulsoque redit Titane; *suoque*
Procedit sponso sponsa petita nouo.
Procedit niueo hinc atque hinc insignis amictu
Ora, sua referens candidiora niue.
Pendulus ad plantas cum fuluo dimicat auro
Crinis, & est cypriae *concolor ipse suae.*
Sardonico smaragdo fulgens, & Jaspide, vultu
Sydereo fulgens est tamen illa magis.

Pone

Pone columbellae niueo ſplendore ſorores
Quas idem certo tempore ſperat Hymen.
Quae vincant Charites, Lucretia, Laura, Camilla
Quaeque illis ſuror eſt Julia *iuncta tribus.*
Procedit virgo diui iam pandite Pauli
Atria, quo ſacer hic concelebretur hymen.
Cernitis aetherei vt ſuperentur ab ignibus ignes
Cedat & humanae caelica teda faci?
Auditisne ipſo dignos Amphione *cantus?*
Auditis Clarii *plectra ſonora dei?*
Cernitis vt quali coetu non prodiit olim
Diua Thetis Peleo *conſocianda ſuo,*
Prodeat exſurgens caetu comitata virorum
Quos alios poſſit dicere terra deos?
Procedit virgo diui iam pandite Pauli
Atria, &c.
Illa verecundo ſuffundens ora rubore
Virgineos tardat ſolicitata gradus.
An flet? flere veto, nulluni tibi nupta periclum
Ne ſurgat toto clarior Oceano.
Neue leuis ſponſus te non contentus adulter
Fiat, & alterius virginis ora petat.
Vitis vt arboribus iunctis ſeſe implicat errans,
Amplexu implicitus ſic erit ille tuo.
Solus vt ille ſibi, fueris ſic ſola, pudicus
Foelixque vtraque eſt parte futurus hymen
Mitte timere, nouo facilis iungare marito
Vt nouus eſt, veneris *ſic noua miles eris.*
Qualis quae nudo viris viduatur in aruo
Mareet, & agricolae nulla petita iacet
Quae ſi vlmo fuerit ſurgens coniuncta marito,
Agricolae fuerit multa petita ſuo:
Sic intacta manens virgo, atque inculta ſeneſcens
Arida amatori nulla petita iacet.
Connubio coniuncta pari, velut ipſa parenti
Grata, ſuo, grata eſt ſic magis ipſa viro.
Vitis vt arboribus decori eſt, vt vitibus arbor,
Vir ſponſae decori eſt, & ſua ſponſa viro.

Mitte timere &c.
Vt nouus eſt &c.
Deſiit, ecce vides tua iam Yſabella *timere,*
Huic vt iungaris Bartholomee *veni.*
Auſpice iam ſacro iuncta eſt tibi, & oſcula figens
Blanda, tibi niueam porrigit ipſa manum.
Porrigit ipſa manum pudibundaque dum premit ora
Se praedam tandem non negat eſſe tuam.
Eia age viciſti parta eſt tibi praeda, petitas
Spargito iam pueris Bartholomee *nuces*
Jam ſatis eſt nucibus luſiſſe, Thalaſſius *adſit*
Felix, ſperatam iam tibi frange nucem.
Dicite iam pueri, geminato dicite voce
O Hymenee Hymen, o Hymenee Hymen &c.

Nimium nonnunquam poeta indulget genio, muſisque caſtioribus improbus illudit. Inter *epigrammata* in primis nonnulla occurrunt, quae laſciua & obſcaena eſſe videntur. Ipſe ſuam muſam, ad id poematum genus, fuiſſe procliuem, fatetur fol. 234. b. *epigrammate* ad Nicolaum Roillet fratrem, quod eiusmodi eſt:

Vt mihi tecum eadem patria eſt data Belna, *paterque*
Eſt idem, ſtudium, ſic mihi, frater, idem
Nil vt opes, magnos nil vt miraris honores,
Contentus modico, nil quoque miror ego.
Vt tibi nil fucus, nil fraus, ſic nil mihi: grata
Vt tibi ſimplicitas, ſic ea grata mihi.
Vt tua grata tibi, mea ſic mihi grata poeſis,
Vt tuus eſt tibi, ſic gratus Apollo *mihi.*
Sic patria & genere, & vita qui iungor eadem,
Nunc verus ſtudio fim tibi frater ego?
Diſſimiles tamen hoc, quod quae eſt tibi tota poeſis,
Vt ſuperis ſacra eſt, ſic ſacra ſola canit
At mea laſciuit nonnunquam, *vtque haec tua prudens*

Mature

Digitized by Google

Mature egreditur, praecipitata mea est.
Rursum hoc dissimiles rapto mihi quod patre veri
Fratris vt officium, sic quoque patris obis.

Ex omnibus CLAVDII ROILLETI *carminibus, quinque* tantummodo *epigrammata*, inseruit Janus Gruterus *Delicijs poetarum* Gallorum Tom. III. p. 686.

XCIIII.

P. RONSARDI ad pacem exhortatio latinis versibus de gallicis expressa a FRANCISCO THORIO *Bellione. Parisiis, apud Andream Wechelum, sub Pegaso, in vico Bellouaco. 1558. Cum priuilegio* Regis in 4. folior. 8.

PETRVS ROVSSARTVS, siue, vt plerumque adpellari solet RONSARDVS, e Pannonia oriundus, apud Vindocinos (*Vendomois*) in castello, quod Gallorum lingua *Château de la Poissonniere* nominatur, familia equestri, anno 1524. natus fuit. Tanta eius, apud omnes fere gentes cultiores, & in primis in patria ipsius, nominis fuit celebritas, vt illum poetarum, quorum Gallia insignem tulit prouentum, Principem, omnium autem, qui, a prima mundi origine, in terrarum orbe exstiterunt, vatum, post Homerum & Virgilium adpellarent tertium. Quid? Joannes Passeratius, teste Aegidio Menagio, in *Observations sur les Poesies de* François de Malherbe *Paris* 1689. in 12. L. III. p. 295. aliisque, adeo RONSARDI carminibus, quasi fascinatus fuerat, vt *Oden*, quam ille ad Michaelem Cancellarium Hospitalium scripserat, ipsi ducatui mediolanensi praeferret. Sed in aliam plane abiit sententiam Joannes Ludouicus Guez de Balzac, qui in *Comparaison de* RONSARD *& de* Malherbe, quae legitur in *Entretiens de feu Monsieur* de Balzac, *à Am-*

à Amsterd. 1663. in 12. p. 315 sqq. *ce poëte si celebre,* ait p. 317. *& si admiré à ses defauts & ceux de son temps, comme j'ay dit autresfois d'un grand Personnage. Ce n'est pas un poëte bien entier, c'est le commencement & la matiere d'un poëte. On voit dans ses Oeuvres, des parties naissantes, & à demi-animées, d'un Corps qui se forme, & qui se fait, mais qui n'a garde d'estre achevé. C'est une grande source, il le faut avoüer; mais c'est une source trouble & boüeuse; une source, où non seulement il y a moins d'eau que de limon, mais où l'ordure empesche de couler l'eau. Du naturel, de l'imagination, de la facilité, tant qu'on veut; mais peu d'ordre, peu d'Oeconomie, point de choix; soit pour les paroles soit pour les choses; une audace insupportable à changer & à innover: une licence prodigieuse à former de mauvais mots & de mauvaises locutions: à employer indifferemment tout ce qui se presentoit à luy; fust-il condamné par l'usage; traisnast-il par les ruës, fust-il plus obscur que la plus noire nuit de l'hyver; fust-ce de la roüille, & du fer gasté. La licence des poëtes Dithyrambiques, la licence mesme du menu peuple, à la feste des* Bacchanales, *& aux autres jours de debauche, estoit moindre que celle de ce poëte licentieux: & si on ne dit pas absolument que le Jugement lui manque, c'est luy faire grace de se contenter de dire, que, dans la pluspart de ses poëmes, le Jugement n'est pas la partie dominante, & qui gouverne le reste* &c. Conf. Nicol. Boileau Despréaux *Art poëtique* Chant. I. v. 123 sqq. in *Oeuvres de* Boileau Tom. II. *à la Haye* 1729. in 8. p. 19.

RONSARD *qui le* (Villon) *suivit, par une autre méthode,*
Réglant tout, brouilla tout, fit un Art à sa mode:
Et toute fois long tems eut un heureux destin.
Mais sa Muse, en François *parlant* grec *&* latin;
Vit dans l'âge suivant, par un retour grotesque
Tomber de ses grans mots le faste pédantesque.

Ce

Digitized by Google

Ce poëte orgueilleux trébuché de si haut,
Rendit plus retenus Desportes *&* Bertaut &c.

& quae doctissimus illius commentator, Mr. Brossette ad h. l. & ad *Satir.* III. v. 171. Tom. I. *Oeuvr.* p. 64. adnotauit. Vid. etiam eiusdem Nicol. Boileau Despréaux *Reflexions critiques, sur quelques passages de* Longin Tom. III. *Oeuvr.* Reflex. VII. p. 226 sqq. *Oeuvr.* Tom. IIII. p. 150. vbi Mr. Arnauld, Doctor sorbonnicus ad Carolum Perrault scribit: ---- *ç a été un desbonneur à la* France *d'avoir fait tant d'éstime des pitoiables poëties de* RONSARD. Menagiana Tom. II. *Amsterd.* 1713. in 12. p. 68. Qui aliorum virorum κριτικοτάτων, de PETRO RONSARDO, eiusque scriptis poëticis, vno quasi obtutu, iudicia, quibus illum partim ad sidera vsque extulerunt, partim ad terram vsque depresserunt, noscere cupit, euoluat Adr. Baillet *Jugemens des Savans* Tom. IIII. P. I. p. 322 sqq. Magnam ille, & fere indelebilem, famae suae inussit maculam, quod cum Prior S. Cosmae in Turonum suburbio, (*Cosme les Tours*) constitutus esset, omni crudelitatis genere, in sic dictos Hugonotas desaeuiret. Mortuus est articulari morbo correptus anno 1585. cum sexagesimum aetatis annum nondum excessisset. Sepulcrum eius in templo S. Cosmae turonensi, hoc elogio ornatum, a Genebrardo L. IIII. *Chronograph.* p. 795. dicitur: OSSA POETAE GALLICI HIC FOVENT MVSAE, MORTEMQVE EIVS LVGENT. QVID STAS VIATOR! RECEDE A LACRIMANTIBVS, PARCE VIRGINVM PVDORI ET ABI. Forte idem epitaphium est, de quo Rodolph. Botereius, in *Commentar. de rebus in* Gallia *gestis*, L. XVI. p. 566. scribit, quod Joachimus Chetardius, marmoris alta strue, statua ad viuentis similitudinem verissime expressa a Phidia lutetiano, manes RONSARDI donauerit *breui nota & elogio.* Conf. P. Baile *Dictionaire historique & critique* Tom. III. p. 2467. not. F. *Opera* PETRI RONSARDI poetica,

Digitized by Google

tica, plus vice ſimplici, edita fuere. Innotuerunt nobis editiones *lugdunenſis* 1592. Tom. V. in 12. *pariſina* 1623. II. Tom. in fol. & pariſina 1629. II. Tom. in fol. *Exortation pour la paix*, cuius ante oculos verſatur verſio latina, ſeorſim prodiit *Paris de l'imprimerie d'André Wechel* 1558. in 4. Vid. de PETRO RONSARDO Jacques Davy du Perron *Oraiſon funebre ſur la mort de Mr.* DE RONSARD, *prononcée l'an 1586. A Paris par Federic Morel* 1586. in 8. Legitur etiam haec oratio funebris in Jacques Davy du Perron *Oeuvres diverſes, contenant pluſieurs livres, Conferences, Diſcours, Harangues, Lettres d'Etat & autres, Traductions, poeſies & Traitez tant d'Eloquence, Philoſophie que Theologie non encore veus ni publiez, maintenant reimprimez ſur ſes Exemplaires revus, corrigez, & augmentez de ſa main. Paris, par Antoine Etienne*, 1622. in fol. p. 649 ſqq. Claude Binet *Diſcours de la vie de* PIERRE DE RONSARD, *avec une Eglogue repreſentée en ſes obſeques, & les vers compoſez par* RONSARD, *peu avant ſa mort; enſemble ſon tombeau recueilli de pluſieurs excellens perſonnages, Paris chez Gabriel Buon* 1586. in 4. Inuenitur etiam in omnibus fere *Operum* RONSARDI collectionibus, v. c. in *lugdunenſi*, qua, dum haec ſcribimus, vtimur, 1592. in 12. Tom. V. p. 276 ſqq. Conf. Scaeuolae Sammarthani *elogia* Gallorum L. III. p. 161 ſqq. edit. *Iſenac.* 1722. in 8. Papir. Maſſon *Elogia, Paris.* 1656. in 8. P. II. p. 283 ſqq. Eſtienne Pasquier *Recherches de la* France 1663. in fol. paſſim, in primis L. VII. Chap. VII. p. 622 ſqq. Jacob. Auguſt. Thuani *Hiſtor. ſui temporis* L. LXXXII. p. 95 ſqq. P. IIII. edit. *Francof.* 1621. in 8. P. Baile *Dictionaire hiſtorique & critique* l. cit. Anonymi Lucien *en belle humeur, ou nouvelles converſations des morts, Amſterd.* 1694. in 12. Tom. II. p. 224 ſqq. Jean Liron *Bibliotheque generale des Auteurs de* France, *Livre premier, contenant la Bibliotheque* Chartraine, *ou le Traité des Auteurs & des hommes illuſtres de l'ancien Diocéſe de* Chartres, *qui ont laiſſé quelque monument à la*

Digitized by Google

la postérité, ou qui ont excellé dans beaux arts &c. Paris 1719. in 4. p. 209 sqq. *Anecdotes litteraires, ou histoire de ce qui est arrivé de plus singulier, & de plus interessant, aux Ecrivains* François *depuis le renouvellement des lettres sous* François I. *jusqu'à nos jours.* Tom. I. *Paris.* 1750. in 12. (cuius libri auctorem Abbatem Rainal, esse dicunt) p. 38. sqq.

FRANCISCI THORII, Bellionis, (*Bailleul*) Flandri, inter mathematicos, medicos, & poetas Seculi XVI. nomen non incelebre fuit. P. RONSARDI *ad pacem exhortationi, latinis versibus, de gallicis expressae,* eiusmodi epigramma praefixit:

Ad Eximium Virum D. Florentinum
Renardum *Consiliarium regium.*
Ecce Renarde *Tibi formosi corporis vmbram*
Mittimus: haec si non displicet vmbra, bene est.
Carmina prototypi (fateor) sunt aurea, nostra
Plumbea de riuo pauperiore fluunt.
Sed tamen ignoscet diuini carminis author,
Si (tua dum propero iussa Renarde *sequi)*
Multa minus compte, minus apte plurima reddo.
Gallia *plus illi, quam mihi* Roma *fauet.*
Atque adeo illi omnis tum laus, tum gratia cedat.
Quod mihi debetur, lector amice dabis.
Hoc tibi nos vni debemus docte Renarde,
Nostra quod haec audax non timet vmbra diem.

F. TH. Bellio.

Versio ipsa hac ratione inchoatur:

Sistite, bella veto: concordes viuite, & arma
Ponite Christigenae, *pietasque coerceat iram,*
Atque in amicitiam cedat veterata simultas.
Parcite vestrorum foedare hastilia fratrum
Sanguine, quos Christus *caelesti sede relicta,*
In terris, precio non vili, sanguine fuso
Ipse suo asseruit: cunctos dignatus amore,
Nomine, lege, fide, ac doctrina iungere eadem:

Illud

Digitized by Google

Illud & in primis rediturus ad aethera mundus,
Alter vt alterius teneamur amore, nec iras
Crudeles animo foueamus, & impia bella &c.

Libri FRANCISCI THORII omnes, raro noſtra aetate in conſpectum prodeunt. Praeter hanc verſionem, edidit in lucem, Joannis Straſeelii, Profeſſoris linguae graecae pariſini, anno 1509. mortui, *explanationem in aurea carmina* Pythagorae, illique, *epiſtolam* lectu digniſſimam praemiſit. *Paris.* 1562. in 4. In Jani Gruteri *Deliciis C. poetarum* belgicorum, *huius, ſuperiorisque aeui illuſtrium* P. IIII. p. 393. duo FR. THORII leguntur carmina. Conf. Joſ. Simleri *Bibliotheca* p. 208.

XCV.

Agriculturae ſacrae Libri quinque, THOMA NAOGEORGO *Straubingenſi autore.* Hoc ſcripto, Lector, non ſolum omnibus numeris abſoluti Theologi expreſſam imaginem es habiturus, verum etiam quibus inſtructum doctrinis, ac moribus imbutum, ad omnem ſanctiſſimi huius muneris exercitationem eſſe oporteat, pleniſſime cognoſces. *Baſileae* in 8. pp. 167. exceptis 4. fol. prior.

Omnia THOMAE NAOGEORGI ſcripta, noſtra aetate raro conſpiciuntur. *Agricultura ſacra*, carmine heroico conſcripta, *quinque libris*, non *quatuor*, vt in *lexico eruditorum* Tom. III. col. 813. legitur, abſoluitur. Argumentum, quod auctor pertractauit, in titulo ſatis ſuperque expoſitum fuit. Sub Agricolae nimirum perſona, veri & perfecti Theologi, & ouium Chriſti paſtoris imaginem exprimere ſtuduit, ſimulque hac ratione, eccleſiae chriſtianae fata expoſuit, & acer-

Digitized by Google

acerrime in vitam ſotadicam clericorum inuectus eſt, qui Curios tunc temporis ſimulabant, & bacchanalia viuebant. Teſtimonium illius rei, e libro II. proferimus, vbi p. 39. hac ratione ſcribit:

Jam dudum inuito magni mihi verberat aures
Publica fama mali, faciesque miſerrima rerum
Quem non absque pio ſpectemus vbique dolore.
Quo ſe cunque Dei tulit & ſeruantis Ieſu
Magnificum nomen, ſcortatorum omnia plena.
Quin & adulteriis crebris, factisque pudendis
Compita cuncta fremunt, foraque infanaque tabernae
Quorum etiam Chriſti *populus nec nomina debet,*
Nec nouiſſe ortum, nedum tolerare, ſequique
Molliter & rebus tanquam arridere probatis.
Nec tenet haec ſcelerum tantum ſentina propbanos,
Poſſet & eſſe quibus, Domini incomperta voluntas:
Immo magis populi capita, agricolasque profeſſos:
Qui legem nouere dei, magnoque fatentur
Eſſe ſupercilio per climata cuncta magiſtri.
Dedecus heu miſerum, nullaque effabile lingua
Agricolae nunc Chriſte *tui,* (*ſi dicere iuſtum*
Eſſe tuos, ſacro qui nunc ſe nomine velant,
Simia ceu turpis generoſi pelle leonis)
Moribus Aufidii *viuunt &* Sardanapali,
Chratida*que atque* Nini *matrem,* Xerxem*que ſequuntur*
Tanquam non in lege tua, verboque verendo,
In gremioque tuae ſanctae caſtaeque cohortis
Sint enutriti, Capreis *ſed ſede* Tiberi,
Sotadicosque libros, ſpurcasque Elephantidos *artes*
A puero biberint, Paphiae *teneantque nepotes*
Quam regionem vsquam, notum qua nomen Ieſu
Et magni fiunt violenta iura Papatus,
Quae collegia, quas illic monſtraueris vrbes,
Quem vitum quoque, vbi meretricum amplexibus ipſi
Agricolae abſtineant? vbi non exempla ſubando
Turpia deſignent? atque hoc impunius, ac ſi
Vicorum tenuis violent mandata tribuni.
Maiores adeo peccant inſigniter ipſi,

Vt nullos possent reprehendere iure minores
Et tales ausint aliis proponere verbum
Corporeque atque animo polluti dia loquantur
Dogmata? num tales cuiquam sacra signa ministrent?

Autolycum *quisnam ferat*, Autolyci*que parentem*,
Si Cacum *doceant*, Massamu*e vafrumque* Voranum,
Non dandam furtis operam, cupidisque rapinis?
Quis non confringat tabulas, & pulpita rumpat,
Si recte fratres hortetur amare Cainus,
Legitimumque torum vesani mater Orestis?
Pasiphae*que pudicitiam, vel tradat* Aristo?
Aut lassata viris modo, non satiata, marita
Caesaris, exibat quae fornicis vltima limen?
Ite pii procul, in Dominique requirite seruis
Mores doctrina dignos, vitamque pudicam:
Caelica ne spurcis capiatis munera palmis.
Sanior est puris longe de fontibus vnda,
Quàm de coenoso que lacu, manibusque lutosis.
Ipse nec omnipotens verbum tractare scelestos,
Ferre potest: vetuitque loqui cacodaemonas olim
Testarique bonum. &c.

Librum suum THOMAS NAOGEORGVS sacrum esse voluit, magistratui & senatui bernensi, & ideo epistolam ad illum praemisit dedicatoriam, scriptam Campiduni *I. Martii* 1550. & per omnes V. libros, initio, viros bernenses adloquutus est. Quo loco, qua aetate, & quo tempore hoc poema composuerit, clausula libri V. prodidit:

Haec sacris super agricolis, ac arte colendi,
Casibus afflictus multis durisque canebam,
Carolus *imperii rector, quo tempore summus*
Rebus ad arbitrium positis, belloque peracto,
In quo captus erat Saxo, *& Mauortius* Hessus
Ad patriam victor rediit comptosque Brabantos:
Atque inibi Hispanis *venientem excepit ab oris*
Gnatum, deliciasque suas, pectusque Philippum

Tum

Digitized by Google

Tum mihi fiderei Regis decreta docenti,
Praebuit Hoſpitium ſat gratum Algouia *tellus:*
Quum rari inciperent diſpergi vertice cani
Octoque egiſſem vegetus quinquennia vitae.

Hiſce verſibus, haec verba ſubiiciuntur, quibus editionis annus, ob oculos ponitur: *Laus Deo & Domino Jeſu Chriſto.* 1550.

THOMAS NAOGEORGVS, ſiue KIRCHMAYR, quem alii Neubauer vocant, & Tobias Schmidius in *Chronico* cygneo P. I. p. 373. fundamento, neſcimus quo Thomam Hubelſchmeiſer adpellatum eſſe ſcribit, Straubingae in Bauaria inferiore anno 1511. natus, multisque, & maxime aduerſis fatis agitatus fuit. Primum in Thuringiae oppidulo, Sulza, ad Ilmam, & poſtea anno 1541. Kahlae, ad Salam, in Thuringia, verbi diuini miniſter conſtitutus, Martinoque Lutheroe, & Philippo Melanchthoni, ob ſtudia elegantiora, quae cum theologia, & vitae integritate, coniunxerat, valde carus fuit. Cum autem *vir*, vt Vitus Ludouicus a Seckendorf in *Commentar. de* Lutheraniſmo *Francof. & Lipſ.* 1692. in fol. L. III. Sect. 37. §. CXXXVII. num. 13. p. 665. ait, *concitatoris ingenii* eſſet, & opiniones a puriori fide diſcedentes foueret, & inter alia, *ab electis non amitti Spiritum ſanctum, etſi in manifeſta crimina incidant*, ſtatueret, non ſolum Martinus Lutherus, cum Joanne Pomerano, & Philippo Melanchthone, illum, de hoc errore admonuerunt, & ediderunt *Deliberation vnd Bedenken der Theologen zu* Wittenberg, *von den Sünden der Auserwählten, geſtellet wider einen Pfarrherren in* Thüringen *anno 1536.* quae legitur in D. Martin Luthers *ſämtlichen Schriften* Tom. X. *Halle* 1744. in 4. col. 1996. ſqq. ſed cum nihilo minus in hoc errore perſeueraret, & in *explicatione in I. Epiſtol.* Joannis, quam teſte Jacob. le Long in *Bibliotheca ſacr.* Tom. II. p. 875. *Francofurti ad Moenum* 1544. in 8. euulgauerat, illum recoqueret, Vinariam, ad conſiſtorium eccleſiaſticum

ſticum citatus, ex prouincia, quod imperata facere nollet, & coercitionem metueret, clam fuga ſe ſubduxit. Vid. Seckendorf. *Commentar. de* Lutheraniſmo l. cit. & Lib. III. Sect. 15, §. XLVIIII. num. 6. p. 135. Conf. praeter alios ſcriptores Chriſtian. Schlegelii *ausführlichen Bericht von dem Leben vnd Tod* Caſpar. Aquilae *Leipz. vnd Frankf.* 1737. in 4. Sect. XLV. p. 318 ſqq. Jo. Georg. Walchii *Einleitung in die Religions-Streitigkeiten vnſerer Kirche* P. IIII. p. 350 ſqq. Chriſtian. Henric. Loeberi *Hiſtoria eccleſiaſtica, quae ephoriam* orlamundanam *deſcribit Jen.* 1702. in 8. p. 396 ſqq. Cum in exilio THOM. NAOGEORGVS vitam ageret, variis in locis, v. c. Auguſtae Vindelicorum, Kaufbyrae, Campiduni, Stutgardiae, Baſileae, muneribus eccleſiaſticis admotus fuit, donec Wisſoci (*Wisloch*) in Palatinatu, anno 1563. diem obiret ſupremum. Vid. de illo, & ſcriptis eius, praeter ſcriptores iam citatos, Joſ. Simleri *Bibliotheca* p. 663 ſqq. Henric. Pantaleonis *Proſopographia* P. III. fol. 332. Olai Borrichii *Diſſertatio IIII. de poetis latinis* p. 134. Adr. Baillet *Jugemens des Savans* Tom. IIII. P. I. p. 293 ſqq. P. Baile *Dictionaire hiſtorique & critique* Tom. III. p. 2042. De inſigni libri raritate, quem edidit titulo: *Regnum papiſticum, in quo papa cum ſuis moribus, vita, fide, cultu, ritibus atque cerimoniis Libris IIII. deſcribitur. Baſil.* 1553. & 1559. in 8. vid. Daniel. Gerdeſii *Florileg. libror. rarior. Groening.* 1747. in 8. p. 209. Cl. Jo. Vogtii *Catalog. libr. rar.* p. 482. *Catalog. Biblioth.* Daniel. Salthen. p. 383. De *Tragoediis*, quarum nonnullas edidit, & quae ex ſententia P. Baile l. cit. not. A. *contrbuerſiae* nominari poſſunt, vid. *Nouantiqua* an. 1733. p. 28 ſqq. *Satyrarum Libri V.* locum inuenerunt in Jani Gruteri *Deliciis poetarum* Germanor. P. IIII. p. 997 ſqq.

XCVI.

Digitized by Google

XCVI.

JOANNIS FABRICII *Montani* Poemata. Syluarum liber vnus. De conſulibus Tigurinis liber primus. De Wilhelmo Thellio Elegia. Cum Epithalamio Joannis Alti Francobergenſis. *Tiguri apud Geſneros fratres* in 8. pp. 76.

JOANNES FABRICIVS, Heluetius, Montani nomen adſumſit, a patria Berckema. Medicinae in primis operam dedit, & amicus Petri Lotichii, poetae celeberrimi fuit. Omnia eius ſcripta, hodie paullo ſunt rariora, inter quae haec eius *poemata* non infimum ſibi vindicant locum. Quo tempore excuſa fuèrint, adcurate non conſtat. Illa circa annum 1556. edita fuiſſe, putat Joſias Simlerus in *Bibliotheca* p. 365. In *Syluarum* libro, haec reperiuntur carmina 1. *Ad* Chriſtum Jeſum. 2. *ad* Petrum Lotichium Secundum, *poetam*. 3. *ad* Chriſtum Jeſum. 4. *de vita beata*. 5. *ad* Joſiam Simlerum. 6. *ad* Joannem Hylerum. 7. *de Paupertate*. 8. *ad* Wigand. Happelium. 9. *Orion*. 10. *in funere* Jacobi Fabricii, *parentis*. 11. *in funere* Catharinae *filiae infantis*. 12. *in funere* Catharinae *filiae infantis, ex ſecunda coninge*. 13. *Epitaphium* Eliſabethae *&* Regulae. 14. *Epitaphium* Felicis Bullingeri: 15. *Epitaphium* Leodouici *comitis ab* Oettingen *iunioris, qui obiit* Tiguri *anno 1549*. 16. *in funere* Joannis Collini. 17. *in funere* Regulae Lauaterae *conſulis filiae*. 18. *Epitaphium* Huldrici Hutteni, *poetae & equitis* Franci, *qui in inſula lacus* tigurini, Vſnavia *dicta, hodie a doctioribus* Hutteni *inſula nuncupata, ſepultus eſt*. 19. *ad* Hulderichum Spaan. 20. *in imaginem* Joan. Friſii, tigurini. 21. *ad* Petrum Lotichium Secundum, *poetam*. 22. Renato Birago. 23. *Ad eumdem*. 24. Theodori Collini *de itinere ad montem* Vtliacum, *ſcripſit haec admodum adoleſcens anno 1551*. 25. *Epigramma in Exequias* Leonis Judae, Tiguri 1542. *19. Jun. mortui*. Libro primo, qui *de Conſuli-*

Digitized by Google

bus tigurinis inſcribitur, poeta originem deſcribit, dignitatis conſularis tigurinae, & motus inde exortos commemorat, qui incidunt in annum 1336. vid. Joſ. Simleri *de Republ.* helvet. L. I. p. 58 ſqq. edit. Joan. Conr. Fueslini *Tigur.* 1734. in 8. mai. Primus, qui conſul ſalutatus fuit, Brunonis nomen geſſit. Sequitur *epithalamion de nuptiis* JOANNIS FABRICII, Montani, *& boneſtiſſimae virginis* Catharinae Stutiae, Joanne Alto, Heſſo *auctore*. Praemiſit illi FABRICIVS epiſtolam, ſoluta oratione, ad Georgium Altum, & Joannem Altum, fratres, Tiguri *Calend. Martiis* an. 1556. ſcriptam, in qua nonnulla, de amicitia, quae illi & Lotichio, cum fratre eorum interceſſerat, exponit, illumque Bononiae obiiſſe ſcribit. *Elegiam de* Wilhelm. Thellio, libertatis helveticae vindice, FABRICIVS Conrado dedicauit Pellicano. In epiſtola praemiſſa, ſe illam *elegiam* conſcripſiſſe ait, cum in ſudore & puluere ſcholaſtico verſaretur. Qualis FABRICIVS exſtiterit poeta, noſtri lectores ex hiſce ſpeciminibus colligere poterunt:

Epitaphium Hulderici Hutteni.

Haec quicunque cita decurris ſtagna carina
Ponis & hoc noſtro littore forte pedem.
Imperio ſic aura tuo, ſic paveat vnda:
Perlege quae ſaxo carmina ſculpta vides.
Hoc equitum decus, hoc vatum Germanus *ocellus,*
Huttenus, *iaceo, conditus in tumulo.*
Ingenio, dextraque potens, dum vita manebat,
Muſarum ſimul & Martis *alumnus eram.*
Caeſar apollinea *cinxit mea tempora lauro*
Idem pro meritis nomen equeſtre dedit.
Saepe bonos ſtuitare ſolum fortuna coegit,
Magna quibus patria poena carere fuit.
Aſt mea non alio tantum ſe iactat alumno,
Francia, *nec meritis eſt mala grata meis.*
Aeger ad has veni legatus Caeſaris oras,
Cum me mors alias iuſſit inire vias.

Ante

Digitized by Google

Ante ſepulturae ſeruiret vt angulus iſte,
Quam morerer ſociis iuſſa ſuprema dedi.
Aſſiduis vbi me lugerent planctibus vndae
Et gemerent plenis ſtagna refuſa vadis,
Sertaque vernarent tumulo natiua ſub ipſo,
Et querulae canerent flebile ſemper aues.
Vade, ſed admonitu noſtri, ſpes contrahe laxas:
Quo minime credis ſtant tua fata loco.

Alterum, quod adſcribimus ſpecimen, deſumtum eſt ex *elegia de* Wilhelmo Thellio:

—— cum preſſa malis virtus humana fatiſcit,
Auxilio praeſens tunc ſolet eſſe Deus.
Impia Grisleri *fugiunt quem facta tyranni*
(*Nam fuit* Heluetii *praeſes & ipſe ſoli*)
Arboris a viridi ſuſpenſum fronde galerum
A populo voluit praetereunte coli.
Famque frequens illum vulgus, formidine poenae,
Fama refert flexo praeteriiſſe genu,
Thellius *vna Deo debetur gloria dixit;*
Pileus arcendis imbribus aptus erit.
Intumuit praeſes, totusque in imagine poenae,
Perfidiae pretium filius (*inquit*) *erit.*
Dixerat: expediunt famuli mox iuſſa tyranni,
Prob ſcelus inſanum non timuere nephas.
Ducitur hinc teneris vinctus poſt terga lacertis
Filius, & patrias ſiſtitur ante pedes.
Praeſes ait toto memorabile nomen in orbe,
Arte ſagittandi nuper adeptus habes,
Vtque puto geſtas ferientes cuncta ſagittas,
Figis & in iuſſo qualibet arte loco.
Siquid habent igitur vulgi praeconia veri,
Et potes: Eia age, nunc experiare licet.
Natus ab aduerſi ſiſtetur robore trunci,
(*Non procul in molli gramine truncus erat*)
Eius & in capitis ponetur vertice pomum
Quod feries telis ingenioſe tuis.
Thellius *imperio ſtupuit non ſecius iſto,*

Digitized by Google

Quam ſi membra ſibi diripienda forent.
Nec mirum: ſceleris mentem perſtrinxit imago
Omnis & in nato cura paterna ſtetit.
Quid faceret? rigidum tentat mollire tyrannum
Paucaque pro nato verba rogantis ait.
Praeſes ait contra, ſic ſic dabis improbe poenas.
Diſcet ab exemplo caetera turba tuo.
Nec mora, frondenti ſignatur limite meta,
Eſt & vterque ſuum iuſſus adire locum,
Digreſſurus erat, paruo prius oſcula nato
Dat pater, & lachrimis immaduere genae.
Scena theatrali, denſatur plurima circo:
Quisquis adeſt (tacito ſed tamen ore) fauet.
Stat puer & largis humectat fletibus ora,
Impediunt teneras vincula dura manus.
Sed pater imperio quod erat parere neceſſe,
Promit de pharetra ſpicula bina ſua.
Altera poſt tergum medio thorace recondit,
Allatura tibi ſaeue tyranne necem.
Temperat adducto miſſurus at altera neruo:
Jam ſpes in puero nulla ſalutis erat.
Haud mora, per medium malum penata ſagitta
Quaerit iter: patitur vulnera nulla puer
Scena fauet, nouitate rei commota, ſed irae
Non poſuit praeſes fulmina ſaeua ſuae
Experiar dixit, quid & haec ſibi tela ſecunda
(Viderat a tergo tela repoſita) velint.
Ipſe peremiſſem ſi natum, Thellius *inquit*
Exitio fuerant illa parata tuo &c.

Vid. de JOANNE FABRICIO, & reliquis eius ſcriptis, Jo. Petr. Lotichii *Bibliotheca poetica* P. III. p. 107 ſqq. Jo. Alb. Fabricii *Centuria* Fabriciorum *ſcriptis clarorum, Hamb.* 1709. in 8. p. 51.

XCVII.

Digitized by Google

XCVII.

Vlularum Speculum Alias Triumphus Humanae Stultitiae, vel Tylus Saxo, nunc primum Latinitate donatus, ab JOANNE NEMIO. *Cum gratia & priuilegio ad decennium. Anno M. D. LXIII.* (1563) in 8. folior. 38.

Neminem quidem inter lectores noſtros fore exiſtimauerimus, cui Tyli Vlenſpigelii, Saxonis, res ſcurriliter geſtae, incognitae eſſe poterint, & ſi non ipſe, *vitam* illius inficetam, & inconditam, in iuuentute legerit, vnam tamen alteramue ex illa fabellam, a nutricula ſua audierit. In tanta enim liber vernaculo ſermone conſcriptus, celebritate eſt, vt raro, & inter infimae ſortis homines, inueniatur quidam, cuius haec *hiſtoria*, bibliothecae non conſtituat partem. Sed pauci fortaſſis erunt, qui librum in latinum ſermonem conuerſum eſſe nouerint, nedum viderint. Attamen duplex exſtat verſio latina, vtraque ligato ſermone conſcripta, & vtraque oppido rara. Aliam dedit Aegidius Periander, bruxellenſis, poeta non incelebris, titulo: *Noctuae ſpeculum, complectens omnes res memorabiles, variasque & admirabiles* Tyli ſaxonici, *ex idiomate germanico, latino idiomate ligato donatum. Franceſ.* 1567. in 8. cum figuris ligno inciſis. Vid. Cl. Joan. Vogtii *Catalog. libror. rarior.* p. 527. Aliam compoſuit JOANNES NEMIVS, ſyluaducenſis, ſcholae initio neomagenſis, poſtea amſtelodamenſis, & deinde patriae Rector. Carmine iambico trimetro expreſſa eſt ab auctore, medio ſeculi XVI. tempore, quod epiſtolae dedicatoriae, ad Simonem Pelegromium, *portae caeleſtis*, *apud* Syluam ducis *Praefidem*, *& ſanctiſſimi ordinis* Guilielmi, *per* Germaniam Galliamque *prouincialem* docet ſubſcriptio, quae talis eſt: *E regione vbi παῖδες imperium habent in τοὺς γονεῖς. Anno poſt Deum hominem ſeſqui-milleſimo quingenteſimo*

mo (fine dubio quinquageſimo) *octauo* (1558.) *Calendis Decembris.* Quo in loco, libellus typis fuerit exſcriptus, ignoramus. Forte illud eo tempore factum eſt, Amſtelodami, cum ſcholae in iſta vrbe eſſet Rector. In calce enim libelli haec legitur Adprobatio: *Viſus & approbatus eſt hic libellus a venerabil.* D. M. Nicolao de Caſtro *Commiſſario Regio*, & M. Guilhelmo Cinneſio, *paſtore* Amſtelredamo *& admiſſus ab* Harmanno Borculo *imprimi. Et erat admiſſio ſubſignata* G. Scryvers. In titulo conſpicitur vlula, ligno inciſa, arboris trunco inſidens, quae vngula ſpeculum geſtat, hiſce adſcriptis verbis:

VT SAPIENS FIAS, CVM VLVLIS VLVLARE MEMENTO.

Secunda tituli pagina, ob oculos ponit tria epigrammata, in JOANNIS NEMII laudem conſcripta, e quibus duo priora Petrum Apherdianum, poſterius, Chriſtianum Schindelium auctorem habet. Qua ratione NEMIVS, exemplar ſuum expreſſerit, particula lectores docere poterit, qua Tyli Vlenſpigelii deſcribuntur natales, & prima iuuentus:

Fuiſſe quondam dicitur apud Saxones
Exorta proles Nicolao *patre* Tylo,
Quae plurimis dum viueret, miraculis,
Strophisque nulli incognitis innotuit
Vt capita rerum, quas patrauit, explicant.
Mos eſt in orbe chriſtiano tingere
Infantulos, ac deinde pergraecarier
Quod ſit ſatis Lucina *partibus tuis*
Factum; periculis procul fugientibus.
Eſt itaque iuxta patriae ritum ſuae
Delatus infans a pia nutricula
(Et plurimis comitantibus mulierculis)
Ad ſacra baptiſteria, & nomen datum
Tyli, *parentem auumque vt exprimeret ſuum.*
At mox itum eſt in celebre diuerſorium,

Ibique

Digitized by Google

Ibique potitatum vti mos exigit.
Sed pota quum nutricula repeteret domum
Paſſis ferens vlnis tenellum infantulum,
Iretque ſupra foſſam aquis plenam nigris,
Illapſa merſit puſionem ſordibus.
Egreſſaque inde tertium lauit Tylum
Domi, a ſupremo vertice ad pedum digitos,
Sic vt foret ter tinctus idem infantulus
Vno die, non absque diuum numine.
Nec ex biſce principiis & biſce fontibus
Quis ambigat, oritura foeda facinora.
Nam poſt relictam infantiam ſolus domi
Agens, rogatus vt equiti oſtenderet iter,
Reſpondit equitandum qua eunt via anſeres.
Eques mali nil ſuſpicans, prouectus eſt,
Donec videret anſeres, qui viſo equo,
Fugere in vndas proximas celerrime.
Hos ille ſubſequens aquis demergitur.
Reuerſus autem ad indicem viae puerum,
Conqueſtus eſt, fucum ſibi factum improbe.
Nanque anſeres deterriti petiere aquas
Et pene ſubmerſus fuit eques, ac equus,
Subiecit aſtutus puer, dixiſſe ſe,
Equitandum ea eſſe, qua anſeres pedibus eunt,
Non qua natant via. Haec nebulonis indoles &c.

Quis *biſtoriae* Tyli Vlenſpigelii fuerit auctor, non conſtat, illam, in Germania, priſcis iam temporibus, conſarcinatam eſſe, nullum eſt dubium, quamuis Petr. Daniel Huetius in *Lettre à Mr.* Segrais *de l'origine des Romans*, p. LXXXI. edit. quae cum fabula romanenſi Zayde dicta, *Amſterd.* 1715. in 12. prodiit, ea de re, dubitare videtur. Ad eam autem, recte quidem, librorum claſſem, illam retulit, *auſquels l'ignorance a donné la naiſſance, qui portent des marques de leur origine, & ne ſont qu'un amas, de fictions groſſierement entaſſées les unes ſur les autres* &c. Conf. Georg. Paſchii *de variis modis moralia tradendi liber*, Cap.

Digitized by Google

Cap. II. §. XXXIIX. p. 200. vbi ait: *Tantum abeſt, vt ſcriptum de* Tiello Vleſpiegelio, *fabulam romanenſem repraeſentet, vt potius ex ſcurrilibus, & ſpurciſſimis geſtis conſarcinatum, ac centonis inſtar, factum ſit; quae qui memoria repetit, aliisque recitat, laedit aures pudicas, ex proprioque ore facit podicem.*

De JOANNE NEMIO, vid. praeter Valer. Andream & Joannem Sloeertium in *Bibliothec.* belgicis, Joſ. Simleri *Bibliotheca* p. 399. vbi minus adcurate Joannes Nenius adpellatur.

XCIIX.

NICOLAI PARTHENII GIANNETASII *Neapolit. Soc. Jeſu.* Halieutica. *Neapoli, ex officina Jacobi Raillard. Anno MDCLXXXIX.* (1689) *ſuperiorum permiſſu.* in 8. pp. 245.

Inſignem ſcriptis ſuis poeticis, inter patres Loiolitas, nominis ſibi parauit famam, NICOLAVS PARTHENIVS GIANNETASIVS, natus Neapoli anno 1648. mortuus autem Maſſae, anno, praeſentis ſeculi, decimo quinto. *Opera* eius omnia poetica, quae ſeorſum olim prodierant, in vnum corpus collecta *Neapoli* 1715–1722. III. Tomis in 4. edita fuerunt. Sed nonſolum haec collectio, in Germania, inuentu admodum eſt difficilis, ſed libri etiam ſeorſum excuſi, rariſſime in conſpectum apud nos veniunt. *Halieutica*, dicauit vates Carolo de Cardenas *Familiae Principi S. R. I. Principi Primo* Laini, *& Regni* Neapol. *Marchioni*, *Comiti* Acerrarum, *Comiti Palatino*, *Alcaydo perpetuo vrbis* Plutiae *in regno* Siciliae, *Militum grauis armaturae Praefecto* &c. Omne poema in X. libros diuiſum, & quilibet liber figura ab H. Vincentio, ad F. Solimene picturas, nitidiſſime, aere expreſſa ornatus eſt. Quod auctor pertractauerit in hoc poemate argu-

Digitized by Google

argumentum, hiſce verbis, quae Libri I. initio leguntur, expoſuit:

Qui curſent vada ſquamiferi, quae lacta frequentent
Paſcua, qui mores gentis, quae proelia, & ignes,
Nec non & variae quot ſint piſcantibus artes,
Siue hamos verſent, ſeu retia: ſiue tridente
Monſtra petant, vel fixa cauis conchylia ſaxis,
Aut duro ramoſa legant corallia trunco,
Hinc canere: & coeptis aderit ſi muſa, ſub ortum
Gemmiferas Indo *quaeſitum gurgite conchas*
Ibo alacer. Zephyris, vos o, mulcete ſerenis
Aequora, Nereides; *veſtro ſub numine quando*
Innumeri ſpumoſa natant per caerula piſces,
Et fortunato concreſcunt oſtrea ſucco &c.

Quae autem ſingulis libris expoſuerit, talia ſunt.

Libro I. poſt argumentum quod adſcripſimus, & praefationem ad Diuam virginem, Cardeniumque Ducem, Carminis patronum, piſcium nomina, genera, & differentias explicat.

L. II. de coniugiis & amoribus piſcium, & de induſtria in prole tuenda, prolixe agit.

L. III. bella & pugnas piſcium exponit.

L. IIII. piſcationem deſcribit, & in primis quomodo aſtu capiantur piſces docet.

L. V. Piſcationi, quae retibus peragitur, operam impendit poeta.

L. VI. piſcationem ob oculos ponit, quae fuſcinis & iaculis peragitur.

L. VII. Venationem balaenarum, phocarum, Manatis, ſeu bouis americani, & Crocodili depingit.

L. IIX. Oſtrea & teſtacea quomodo capiantur exponit.

L. VHII. Conchas purpuriferas & earum venationem, & Coralliorum ac ſuccini piſcationem ediſſerit.

L. X.

Digitized by Google

L. X. conchas margaritiferas, & qua ratione legantur narrat.

Pluribus verbis describitur liber in *Actor. Eruditor.* lipsiens. *Supplement.* I. Sect. XI. p. 577 sqq. vbi carmen non tantum adcuratissime elaboratum sed venustissimum insuper, & bonae frugis plenissimum esse dicitur, cum auctor ita argumento satis alias sterili immoratus fuerit, vt non tantum doceat, sed mirifice etiam fabulis, & episodiis, singulis libris, ingeniosissime admistis delectet. Praeter *halieutica*, & alia scripta, quae heic silentio omittimus, idem auctor carmine etiam celebrauit *piscatoria & nautica*, quorum *editio II. auctior* prodiit *Neapoli Typis regiis* 1686. figuris aere expressis ornata, in 8. Recensetur in *Actor. eruditor.* lipsienſ. *Supplement.* I. Sect. I. p. 1 sqq. *Bellica* edidit *Neapoli apud Jacobum Raillard.* 1699. in 8.

XCVIIII.

NICOLAI PARTHENII GIANNETASII *S. J.* Autumni Surrentini. *Neapoli apud Jac. Raillard an.* 1698. in 8. pp. 272. exceptis foliis 5. prioribus.

In surrentino secessu, ac temporibus subcisiuis, hosce autumnos se elucubrasse ait auctor in epistola dedicatoria, ad Thomam Aquinatem, Castilionis, Feroleti, Sancti Mangi *ac S. R. I. Principem*, Mamertinorum *Comitem*, *vrbiumque* Neocastri, Mamerti *earumque statuum dominum*. Opus soluto sermone conscriptum, tribus absoluitur libris, quibus varia passim carmina inseruntur. Quilibet liber in sua diuiditur capita, quorum argumenta, ipsis auctoris verbis adscribimus, vt lectores quid in omni opusculo inueniatur, cognoscant.

Libri

Digitized by Google

Libri I. Cap. I. eiusmodi praefixum habet argumentum: *Dum per hortum motandi corporis causſa deambulatur, carmen recitatum eſt, cui titulus,* Surrentina Tempe.

Cap. II. *Fit mentio* circaei Fani, *quod non longe a* Surrenti *pomaerio fuiſſe memoriae proditum eſt.*

Cap. III. *Quorumdam amicorum in* Surrentinum *aduentus, a quibus de fodina ad* Nicatem *inuenta, mentio habita: & quo aurum, argentumque modo eruatur, expoſitum. Atque hinc adrepta occaſione, nihil admodum eſſe, quod in meridionali* Italiae *parte, non abunde proueniat, demonſtratum.*

Cap. IIII. *Cum in* Surrentino *verſaretur Cardinalis,* Capreas *profecti, cuncta* Tiberii *Caeſaris monumenta, quae adhuc exſtant, circum luſtrauimus: deque ſpecu, quam* Tiberii *adpellant.*

Cap. V. *Dum per Xyſtum deambulatur,* luſitanae *nauis, ad vltimum* Africae *promontorium, fuſe naufragium enarratur.*

Cap. VI. *Dum in hypaethro ad placidiſſimas Zephyri auras conſidimus, interrupta ab heſterno die de* luſitanae *nauis naufragio, fuſa enarratio continuatur.*

Cap. VII. *Quid* Luſitanis *in itinere acciderit, ex quo* Siamenſes *reliquerunt, & ad* Batauorum *coloniam peruenerint, ducisq. ipſorum lacrymabilis caſus enarratus: & quaedam alia quaeſitu digna diſputata.*

Libri ſecundi capita hac ratione inſcribuntur. Cap. I. *Pluuia impendente iuxta alueoria conſeſſum: quaeſitumque quid eſſet mel, quid cera, & quaedam ſcitu digna commemorata.*

Cap. II. *Nonnulla de marinis vitulis, ac pelamydibus quaeſita: deque piſce quodam vexillario.*

Cap. III. *Occaſione cuiusdam pareliae ab auctore viſae, quomodo fiat explicatum, & nonnulla curſim de Iride quaeſita, & expoſita.*

Cap.

Digitized by Google

Cap. IIII. *Amicissimi viri rus, & retia circumlustrantur, & sumta a venatione occasiuncula, multa scitu digna de ficedulis, & marinis coturnicibus notata.*

Cap. V. *Recitatur quaedam epistola ab amico data, vbi perridicula quaedam de pignoratitia sue fabula enarratur: vtque leones facibus, quas pertimescunt, capiantur.*

Cap. VI. *Post deambulationem sub quercu viridi, & amoena sessum est, ibique aliquot versiculi ex* III. Naut. *ricitati: ex quibus dedita occasione, de ventorum procreatione fuse disputatum: deque auctoris pene naufragio mentio facta.*

Cap. VII. *Amoena semita describitur, in cuius mox crepidine sessum est, ibique reliqua, quae ad ventorum procreationem spectare videbantur, adcurata disputatione perquisita.*

Cap. IIX. *Quaesitum de aura serotina, quid esset? & cur illam nonnulli noxiam experiantur, alii vero non ita, cur item varia, variis in locis esset.*

Cap. VIIII. *De vita quieta, ac solitaria, quam felix sit, disputatum, mox occasione hospitum, de modo adornandi, condiendique quaedam edulia tractatum.*

Libri Tertii, argumenta capitum talia sunt.

Cap. I. *Dedita occasiuncula, perquam lepida aduenienti amico fabella narratur: mox eidem recitatum de pace carmen est.*

Cap. II. *Litterae ab amico transmissae recitantur; mox occasione arrepta ab* Homero *quaesitum, cur hic* Aethiopes inculpatos *vocet, & vnde niger in* Aethiopibus *color oriatur.*

Cap. III. *Amicis conuenientibus conuiuium adornatur, cuius occasione de quibusdam cibis praeparandis tractatur: mox inter conuiuandum de variis vini generibus disputatum: plurimaque scitu digna quaesita.*

Cap.

Digitized by Google

Cap. IIII. *A ſomnulo cucumis, & mulſa ſcite adornata hoſpitibus data: mox multa de Camelis ſcitu digna quaeſita, & diſputata.*

Cap. V. *Cum mane reficiendi animi cauſſa orientalem* Surrenti *oram perlegerem, quaedam ſcitu digna obſeruata.*

Cap. VI. Statii *quidam locus in* III. Syluarum *explicatus: cuius occaſione quaeſitum, quid eſſent illae faces in malorum verticibus videri ſolitae, quas* Tyndaridas *vocant.*

Cap. VII. C. Manlii *in* Surrentinum *aduentus, cuius occaſione, multa de piſcibus condiendis ſtrictim notata, mox occaſiuncula a medicina dedita, quaeſitum quid eſſet manna, quid pix, quoque tempore, ac modo vtraque conficiatur.*

Haec ſunt, quae in libro per dialogi modum conſcripto, inueniſuntur. Edidit GIANNETASIVS & alium librum, qui inſcribitur: *Aeſtates* ſurrentinae, *Neapoli* 1696. in 8. Vid. de NICOLAO PARTHENIO GIANNETASIO, *vita* eius, partim ab ipſo, partim ab amico eius conſcripta, quae initio Tomi I. *Operum* eius *Neapoli* 1715. in 4. adpoſita fuit. Locum etiam inuenit, in *Giornale de' letterati d'*Italia Tom. XXXIIX. P. I. p. 270 ſqq. Conf. *Elogium* illius hiſtoricum, ſermone gallico conſcriptum, quod legitur in *Memoires de* Trevoux 1723. *Juin*, p. 1100 ſqq. *Noua litteraria* lipſienſ. an. 1725. p. 378. 1729. p. 386 ſqq.

Digitized by Google

C.

Triumuiratus Sanctimoniae Societatis Jesu Tribus Epigrammatum Libris ad imitationem propositus. *Auctore* ANTONIO BARONE *ex eadem Societate. Neapoli, M. DC. XCV.* (1695). *Apud de Bonis Typographum Archiepiscop. Cum Superiorum Facultate.* in 8. pp. 170.

Liber in nostris regionibus satis rarus & infrequens, tres epigrammatum libros ob oculos ponit. Primus elogia & miracula celebrat Francisci Xauerii epigrammatibus CCXCVI. Secundus Francisci Borgiae epigrammatibus CLXX. Tertius Aloysii Gonzagae epigrammatibus XCI. Cuilibet libro, elogium Sancti praemittitur prosaicum. Speciminis caussa, epigramma adscribimus Libri I. CLIIII. quod p. 45. legitur:

Homines, multiplici pellicatu infames, admirabili morum, alloquiique suauitate, ad castimoniam traducit (Franc. Xauerius). *Hos inter* Velosus: *e cuius sinu pellices septem paullatim auulsae.*

Vrebant septem Velosi *pectus* Erynnes:
Nulla sed his valtu turpi, Erymis *erat,*
Plurima sed Venus, *& multo simul illita fuco,*
Forma, lues miserae forma pudicitiae.
Ob quid agas, Francisce? *pio tegis omnia vultu:*
Hasque domo comi dexteritate fugas.
Alloquio, mensaque frequens, alia omnia tractas:
Vna haec curando sat medicina malo est.
Obstupui, fateor. Quisnam vni crederet agno,
Septenas pelli sic potuisse lupas?

Libro secundo p. 125. Epigramma CXXVI. tale legitur:

Mitram pretiosissimam, septem ipsos dies supra caput orantis, e caelo pendentem, suspiriis, ac lacrymis

est

est sibi tam diu deprecatus (Franciscus Borgias) *vt exorauerit, eademque euanuerit.*

Septenos demissa dies medio Axe, pependit
Orantis supra gemmea Mitra Caput.
Luce oculos tenet illa: Ducem at plus omine terret:
Omen at hic lacrymis, suppliciisque fugat.
Quaeque aliis sunt vota, timet sibi. Borgius *ipsos*
Expauit superos, haec vbi dona ferant.
Nunc scio quid sit bonos, Res anceps, plena pericli est
Vnde vnde aduenias, qui sapit, ille cauet.

Libro III. Epigr. XXXXVIIII. p. 157. de Aloysio Gonzaga legitur, quod

Vel puellarem vmbram puer, ex ludo reus, nullo modo vt oscularetur adduci potuerit, ludoque omisso, amissoque pignore abierit.

O Lodoice, *adeone leuem terreris ad vmbram?*
Mos puerisque vmbras, nempe, pauere leues
Ludicrane vanae delibes oscula laruae;
Respuis ingenuo gaudia coepta ioco.
Indignaris, abisque, caues Fac vera puella
Oscula, & os fuerint; plus rogo quid facercs?

Auctor in *lexico eruditorum* locum non inuenit. Edidit is etiam *Triadem fortium* Dauid, *epigrammatibus propositam, Neapoli* 1695. in 8. Vid. *Catalog. Biblioth.* hulsianae Tom. III. p. 475.

CI.

MICHAELIS CAPELLARII Christinas, siue Christina Lustrata. *Venetiis, M. DCC.* (1700). *Ex Typographia Andreae Poleti. Superiorum permissu* in 4. form. mai. pp. 341. exceptis foliis 6. prioribus.

Digitized by Google

Cum arctoa herois, Chriſtina Sueciae regina, Romae commoraretur, & anno 1658. litterariae ſocietatis poneret fundamenta, quae inſequuturis temporibus, ſub paſtorum arcadicorum nomine, non ſolum Romam, ſed omnem fere Italiam illuſtrabat, & hodienum illuſtrat, Abbas MICHAEL CAPELLARI, anno 1679. ſolemni ritu, in eam receptus fuit. Vid. Giov. Mario de Creſcimbeni, *Vite degli* Arcadi *illuſtri* Parte I. *Rom.* 1708. in 4. p. 209 ſqq. Eiusd. *Commentarii intorno alla ſua iſtoria della volgar poeſia* L. IIII. p. 235 ſqq. vbi Catalogus paſtorum Arcadicorum priorum, & eorum vitae exhibentur. Belluni MICHAEL CAPELLARI natus, anno aetatis XXXIIX. Romam venit, ingeniique alacritate, rerumque vtiliſſimarum, quam ſibi parauerat, cognitione effecit, vt variis ſtatim muneribus publicis, grauiſſimisque admoueretur. Multum in primis apud ſummos Europae principes valebat gratia, & non ſolum ab Imperatore rom. Leopoldo, S. R. I. Baro, & a Ludouico rege Galliae XIIII. Eques creatus, ſed etiam a Chriſtina, in palatium arceſſitus, & Secretarii dignitate ornatus fuit. Epiſcopatum feltrenſem, & bellumenſem, nec non munus profeſſoris humaniorum litterarum, patauini, poſt Reginae mortem recuſauit, vitamque priuatam, in muſarum conſortio, Romae, Venetiis, & in patria vrbe, ad vitae exitum vsque egit, qui anno 1717. accidit. Beneficiorum, quibus illum Chriſtina cumulauerat, memor hoc panegyricum compoſuit carmen, quod haud adeo frequenter noſtra occurrit aetate. Genere carminis heroico conſcriptum eſt, & duodecim abſoluitur libris, quorum cuilibet, ab auctore, argumentum ſatis amplum praefigitur. Omnis autem *poematis* conſpectum, ſiue *mentem & diſtributionem* auctor hiſce verbis expoſuit: *In primis quatuor libris* Chriſtina Guſtaui Suecorum *&c. Regis filia, atque haeres, in eo tota eſt, vt ſuſcepti imperii fines in immenſum proferat, & quam maximam nominis celebritatem conſequatur. In quatuor proxime ſequentibus Reges a monarchiae adeptione*

Fata

Digitized by Google

Fato prohiberi perſuaſa, & humanarum rerum fluxu, & puſillitate offenſa, de Caelo cogitare incipit, Lutherisque *fallacias, & impoſturas deprehendit. In quatuor reliquis, perpatrato bello* Stokholmiam *reuertitur, ſeque regno abdicat, &* Romam *venit, atque ibi, haereſi abiurata, ſolemni luſtratione, a Summo Pontifice expiatur.* Obtulit auctor hoc opus ſuum Innocentio XII. Pontifici rom. & praemiſſa epiſtola dedicatoria, ſacrum illi eſſe voluit. Cum liber paullo prolixius in *Actis Eruditor.* lipſienſ. an. 1701. p. 88 ſqq. deſcribitur, ab vberiore recenſione nos abſtinemus, & vt poetae os magna ſonaturum, innoteſcat, initium tantummodo carminis, & ingreſſum Chriſtinae in vrbem Romam ex libro XII. poetae verbis deſcribimus. Initium eiusmodi eſt:

Foemineae laurus dextrae: Sexumque minorem
Transgreſſum virtute mares: terraque, marique
Victos marte Duces: Herebique hinc inde doloſe
Saepius eluſas artes: ſuſceptaque regna
Aucta manu, tandemque animo maiore relicta
(Magnum opus, & gratum ſuperis, caeloque repenſum)
Ordiri, & ſaeclis amor eſt mandare futuris &c.

Ingreſſus reginae deſcribitur p. 330 ſqq.

Vt vero acceſſus allapſa eſt fama propinqui:
Omnis in occurſum properauit ſexus, & aetas,
Omnis honos. Ipſi, quos vis defecerat aegra,
Oderunt latebras, ſubitoque vigore refecti
Exceſſere thoris, ac ſuffecere labori,
Et non ſucciduis implerunt planſibus auras.
Hos genus, hos aetas, rapit hos flos aureus oris
Siderei, hos habitus, ſpeciesque erecta ſerenae
Frontis, & alterna maieſtas inclyta laude
Pacis, & armorum, circumfuſumque virile
Foemineae robur formae, miſturaque felix
Indolis, atque acres ſpirantia lumina flammas.
Diuerſos diuerſa magis dos implet: at omnes

Digitized by Google

Suſpendit regale decus; nam vertice quamuis
Iret inornato vittis: Diademate frontem
Inſtruxit Numen trino, iuſſitque videri,
Quae fuerit terris, & quae rutilabit in aſtris.
Quadriiuges cunctantur equi; compreſſaque turmis
Suſtinet inceſſus, & ſe non explicat vnda.
Pulchrior o quanto viſa eſt, haec pompa triumphis
Queis compſit ſe Roma *prior! quanto agminis ordo*
Leſtior, & potior! Quod ſi conſurgere curru
Laurigero optaſſet, ſeque oſtentare cruentis
Exuuiis, lateque ſtruem proferre ſuperbam
Compita congeriem coepiſſent nulla. Phalanges,
Caſtra, Duces vincti, domitum mare, flumina, montes
Praeſto aderant captaeque vrbes, gentesque ſubactae,
Praedaque victricem conuecta, & ſparſa per Arctos.
Maior bonos placuit. Niueo comitata ſororum
Agmine praeibat Pietas, Aſtraea, Fidesque,
Caſtaque Virginitas, *atque vna, & plurima* virtus.
Pone catenatae peſtes Vis, luxus, & exlex
Aulai ambitio, *vetitoque incenſa* libido
Fortunae in terris ſummae, commentaque Ditis
Saepius eluſi, tandemque efferre coacta
Haereſis, *& veros populis oſtendere vultus.*

Quid lipſienſes de hoc opere pronunciauerint, haec eorum verba in *Actis eruditor.* l. cit. p. 95. quemlibet docere poterunt. *Opus inuentionis aeque ac auguſtae dictionis laudem apud omnes conſequetur. Non mirabuntur vero euangelica ſacra profeſſi, vbi* religionem orthodoxam *vbique ſub* Haereſeos *nomine traduci & proſcindi viderint: cum a viro pontificiae religioni addicto, & cuis Heroinae ſunt laudes, vel maxime ex eo, quod fidem, pro qua aſſerenda Pater glorioſe occubuerat, deſeruiſſet, arceſſendae erant, expectari alia non potuerint. Etſi mallemus inter alia,* Plutonem *ſub* Guſtaui *ſpecie introductum non fuiſſe; quam fictionem* Chriſtinam *ipſam, ſi ſuperſtes eſſet, magno applauſu excepturam fuiſſe, multi forte dubitabunt.*

Conf.

Conf. de MICHAELE CAPELLARI, & aliis eius libris editis, praeter Scriptores citat. *noua litteraria* lipſienſia anni 1717. p. 790. & 1718. p. 114 ſqq. Io. Arckenholz *hiſtoriſche Merkwürdigkeiten der Königin* Chriſtina P. II. *Leipz. vnd Amſterd.* 1752. in 4. p. 159 ſqq. qui vero opus, quod deſcripſimus, non oculis conſpexiſſe videtur, cum non ſolum l. cit. ſed etiam in *Appendice* p. 253. cum *lexici eruditorum* auctore Tom. I. col. 1638. id minus adcurate titulo: Chriſtinae *illuſtratae* inſignitum eſſe ſcripſit, cum a Chriſtinae *luſtratione*, Chriſtina inſcribitur *luſtrata*.

CII.

De Litteris inuentis Libri ſex. Ad illuſtriſſimum Principem Thomam Herbertum, Pembrokiae Comitem, &c. *Auctore* GVLIELMO NICOLS *A. M. Londini. Apud Henricum Clementem Bibliopolam, ad Inſigne Lunae Falcatae, in Coemeterio D. Pauli, MDCCXI.* (1711) in 8. pp. 387. exceptis fol. 3. priotibus & vno erratore.

Quamquam hic liber, qui Hiſtoriam litterariam ab O. C. ad tempora, quibus auctor vixit, complectitur, & carmine conſcriptus eſt elegiaco, eo, quo viuimus ſeculo, in lucem fuit emiſſus, inter eos tamen, iam his noſtris diebus, libros inuenit locum, qui non facile in eruditorum manus incidunt. Auctor librum ſuum, hoc epigrammate dicauit Amico ſuo, quem Herbertum Pembrokiae Comitem, cuius in titulo mentio facta eſt, eſſe cenſemus.

Ad amicum veterem.

Carmina quae quondam ſcripſi florentibus annis
Optime amicorum, iam tibi mitto ſenex:
(Nam dolor immenſus ſabitae mihi cauſſa ſenectae
Extitit & vultus attulit ante diem)

Digitized by Google

Accipe, & haec animo, quo tu mea cuncta legebas
Dum iucunda aetas esset vtrique, lege.

Eumdem comitem libro primo, haud procul ab initio p. 3. his compellat verbis:

Ardua qui tractas Herberti *negotia regni,*
O & militiae, grande decusque togae!
Temporibus dubiis qui rectus, & vsque saluti
Inuigilans patriae qui prope solus eras.
Pembrokiae *praeclare Comes, taa tempora si fas*
Vt morer, exiguis si tibi adesse vocat.
Adsis, oro, meis, dum tot miracula pando,
Quae fieri libris litterulisque solent.

Argumenta librorum, ipse auctor hisce exposuit versibus.

Lib. I.

Primus scribendi liber incunabula pandit
Et quos auctores hanc artem habuisse vetustas
Crediderit: multa but spectantia promere testor
Quae sint vtilia, & non iniucunda iuuentae.

II.

Hinc artis recitat miracula multa secundus,
Qua fragiles hominum peruadunt secula voces,
Stant artes, viget ingenium, sapientiaque omnis
Aeui mansuris retinetur picta tabellis.

III.

Tertius inuenti superantis cuncta reperta
Ingenio humano paulo maiora recenset
Munera, & hoc vno monstrat legesque manere,
(Vincula communis vitae,) famamque virorum.

IIII.

Quartus iura canit digito conscripta Tonantis,
Et data temporibus cuncta relegenda futuris.
Mentibus humanis portantia verba salutem,
Inde sacrae laudes Scripturae dicere suetae,
Et contra Romam *meritos defendit honores.*

V. Com-

Digitized by Google

V.

Commemorat libros cudendi commoda Quintus
Et ſtudia hac vna docet arte renata per orbem:
Conſecratque virorum aeterna nomina famae,
Qui inſtaurare, bonas artes, ſacrasque Camoenas.

VI.

Vltimus inde ſcholas geſtit celebrare Britannas.
Datque viri docti formam, laudesque recenſet.

Liber deſcribitur in *Actis Eruditor.* lipſienſib. anni 1712. p. 253 ſqq. Cum auctor in *lexico eruditorum* omiſſus fuit, iis, ea heic adiicimus, quae poeta de ſe ipſe carmine ad poſteros transmiſit. Illum Joannis Felli, Epiſcopi oxonienſis, & aedis Chriſti Decani, qui anno 1681. obiit, diſciplina innutritum, & in familia educatum, atque ab eodem ſacris ordinibus fuiſſe initiatum, his L. VI. p. 269 ſqq. teſtatur verſibus:

Huic (Fello) *poſt ſummum Numen debeo iure referre*
Acceptum, ſiquid conſequar in ſtudiis.
En mihi magnus amor Felli *cum tempore creſcit*
Dictaque ſub memori pectore multa gero
Atque mihi illius cum quid paro dicere coram
Vel facere, in mentem ſaepe venire ſolet:
Vt quid vel faceret, vel quid, ſi viueret, idem
Diceret, oblata re ſimili, reputem.
Saepe mihi dixit, Tu ex me tolerare labores,
Atque voluptates, ſpernere diſce, puer.
Aſpera ſiqua Tibi in vita ſors obtulit, ex me
Aequo animo, vt par eſt, aſpera diſce pati
Et velut alta graui creſcit ſub pondere palma,
Inclyta ſic virtus ſub cruce preſſa viget.
Vix adamas ſplendet, niſi ſaeuos ſentiat ictus,
Artificis docta ſit domitusque manu.
Qui cupit aeternam in caelo geſtare coronam
Chriſti ferre ſacram diſcat in orbe crucem.
His recreor dictis, dum plurima propter amorem
Principis & patriae cogor iniqua pati.

Alme parens, impone mihi, quod vis, modo posse
Tu ferre impositum des patienter onus.
Sub tanto exemplo bis denos circiter annos
Olim me studiis incubuisse bonis;
Illum Praeceptorem habuisse, locoque parentis,
Qui fuerat secli gloria magna sui;
Illius impositis manibus quoque Presbyterorum
Ordini adoptatum deinde fuisse sacro;
Atque operam (meminisse iuuat,) nauasse fidelem.
Illi, dum veterum scripta recusa daret;
Est quod gratulor ipse mihi: dum vita manebit
Illius laudes semper in ore feram:
Forsitan illius natalem carmine tentem,
Hunc quoties referet sol, celebrare diem.

Quae mala a factione gallica perpessus fuerit auctor, haec L. VI. p. 236 sqq. lectorem docere poterunt.

Hoste — nunquam carui, quia dissimulare
Moribus a nostris res aliena fuit.
Saepe est bile tumens in me testata furorem
Tale nihil meritum Factio saeua *suum.*
Dum reliqui blanda fruerentur pace Britanni
Solus ego belli incommoda passus eram.
Quae mihi nec Gallus *dederit, neque saeuus* Iberus
Saeuior his cunctis Factio *damna dedit*
Saepe mihi mortem minitata, incendia tandem
Immisit tectis pessima turba *meis.*
Causa est: gaudebam Regis patriaeque salute,
Nolebam Britones gallica ferre iuga.
Corripere hos miseros solitus, qui saepe fauere
Consiliis visi sunt, Ludouice, *tuis.*
Qui patriae aduersi, si quid contingeret, ausi
Gaudia testari saepe fuere sua.
Et quoniam a puero mihi verum dicere cordi,
Id multis irae causa odiique fuit.
Huic, quia consulerem, nollet peragrare popinas;
Immemor officii, protinus hostis eram.

Illi,

Digitized by Google

Illi, ne absentis famam laceraret amici,
Linguae eius rabiem cogor & ipse pati.
Denique quod studui fratrum componere lites
Atque inter sese conciliare bonos,
Nunc huius sensi partis, nunc illius iram:
Tam paucos labor hic demeruisse solet.

Quod Stopportae vixerit, in prouincia cestrienſi, dum hoc poema compoſuit, patet ex eodem L. VI. p. 235.

Fama refert, Danos *vbi nunc* Stopporta *locatur*
Affectos olim clade fuisse graui:
Inde vrbi nomen, praedonum incursibus obex.
Quod datus, hic Anglis *sit quoque parta salus.*
Hic mihi secessum, Deus hic dedit otia blanda,
Hic studiis voluit meque vacare bonis.
Tempora in his ipsis nocturnaque saepe diurnis
Jungere, qua vita nulla beata magis.
Me puerum imberbem studia attraxere, senectam
Illa meam oblectent, siqua senecta manet.
Hic inter libros paucis contentus amicis,
(Si mihi nunc restent forsan in orbe duo,
Post obitum multorum, & funera acerba) peroptem
Quod supersit cursus absoluisse mei.

Coniugis mortem defleuit L. V. p. 211 ſqq. Initio Libri V. Germanis gloriam typographiae tribuit inventae. Ita enim p. 153. canit:

Nec mihi Germanus (*quisquis fuit ille*) *tacendus,*
(Si liceat famae credere, miles erat,)
Qui primus docuit perituros cudere libros,
Atque dedit Scribis posse carere malis:
Vna tot monstrans bora renouare libellos,
Anno quot nequeant scribere mille manus;
Mira fides! spatio tot forsitan vnius anni,
Quot, nisi qui vincat Nestora, *nemo legat:*
Inuento miles longe fallacior illo
Quam fuerit monachus puluere tartareo.
Marmora niliacae *iam cedant cuncta papyro,*

Es

Et cedant chartis aera Corinthiaca:
Non est cur metuant ferrum nunc scripta, vel ignem;
Cogitur huic arti cedere tempus edax.
Si quaedam neglecta iacent, non sunt tamen vlla
Hinc nouitura, nisi quae meruere mori.
Quamuis sunt multi qui iam dubitare videntur,
An prosit pulchra haec ars, noceatne magis;
Nempe quod hac vna renouentur pessima scripta,
(Hi mala dant arti, quae tribuenda viris:)
Dum tamen eripuit tot pulchra volumina morti,
Quae mox aeterna nocte premenda forent
Multa agnoscuntur cecidisse volumina, quae si
Extarent, rebus lumina magna darent
Manca simul nobis lacerataque plurima restant,
Debuerant fato quae meliore frui;
Aequum est auctori grates persoluere dignas,
Atque eius laudes dicere promeritas:
Qui si mille annos forte editus ante fuisset,
Nulla forent criticis bella gerenda feris:
Nemo vsquam exemplaria sic pugnare videret
Et transscriptorum vulnera saeua pati.
Denique (iacturam dolor est meminisse fatebor,)
Haud ita trunca forent nunc monumenta virum. &c.

In notis, hisce versibus subiectis, haec ad eorum illustrationem adtulit: Joannes Guttenbergus, Moguntinus, (Wimpfelingus Argentinensem *fuisse tradit*) *equestri* (*si* Polydoro *credimus*) *dignitate vir, mirandam hanc artem inuenit An. Dom. 1440. Alii* Joanni Fausto, *ciui etiam* moguntino, *alii* Laurentio Joanni harlemensi *banc palmam tribunnt: pro* Laurentio *pugnat acriter in* historia *sua* batauica *vir doctissimus* Hadrianus Junius. *Nos rem in medio relinquimus. Quod de* Chinensibus *nonnulli scribunt, habuisse illos Typographiae vsum ante* Germanos, *mihi vix credibile est; Certe si fuerit apud illos aliqua eiusmodi ars, erat tamen rudis admodum & imperfecta. Vid.* Paul. Jouii Hist. Lib. XIV. Melch. Guilandinum *in* Tractatu de Papyro,

Digitized by Google

ro, *& Historicos qui de rebus* indicis *scripserunt*. Insignem sane istae adnotationes, carmini subiectae, historiae litterariae amatoribus adferre poterunt vtilitatem, cum virorum doctissimorum, qui omni tempore, in toto terrarum orbe inclaruerunt, breuem exhibeant notitiam. Cum vero eiusmodi adnotationes, vt ipse fatetur, magna ex parte, prelo currente scripsisset, necesse habuit, absoluto iam opere, quae ad vberiorem locorum quorundam explicationem facere videbantur, adiicere. Inueniuntur ista *addenda*, a p. 275–342. Haec excipit *Catalogus auctorum veterum, quorum pletique in hoc opere vel notis laudantur, adducuntur* &c. secundum *seriem temporum*, notis historicis & criticis illustratus. Duplex adiicitur *index* alphabeticus, alter *Auctorum*, alter *rerum & verborum*. Dignum autem librum omnino existimamus, qui Germanis facta noua editione fiat notior.

CIII.

LAZARI BAYFII *viri doctissimi*, Commentarius de vestium generibus, & vocabulis in L. vestis, ff. de auro & argento, seu re vestiaria. Subiecta est & praefationi lex ipsa, quo facilius intelligatur, quid in toto libro tractetur. D. Eras. Rot. in Ciceroniano. *Superest* LAZARVS BAYFIVS, *qui vnico libello de vestibus eoque non magno magnam laudem meruit, summamque spem de se praebuit.* in 8. pp. 81. excepto indice & erratis pp. 8.

Quo tempore, quoue loco editio haec nitida, & rara in lucem exierit, dicere non possumus, quandoquidem istius rei, nec vola nec vestigium in libro ipso deprehenditur. Si chartae & litterarum spectaueris elegantiam, *basileenses editiones* longe superat, in Germania

Digitized by Google

mania tamen illam excusam esse facile crediderimus. Sine dubio editionum, quae vnquam in lucem prodierunt, *secunda*, & ad archetypon *basileense*, *apud Joan. Bebelium* 1526. in 4. impressum, typis exarata est. Colligimus id e verbis, quae quinque erratis typographicis subiiciuntur: *Inuenies p. 63. non semel* pesagarii cursores: *opinor in* ἀυτογράφῳ pegasarii *scriptum fuisse. Nos autem incitati fere vnicum exemplar, quod e* Basilea *venit* (*quoniam ita continenter habebat*) *nihil mutare ausi fuimus. Et graeca quoque bis terue imperfecta citata offendes, quod an voluntate auctoris factum sit, an scribae potius incuria, nihil habeo pronunciare.* Initium libri facit *auctorum catalogus, quorum testimonia addidit* LAZARVS, *praeter eos qui ab aliis citantur.* Illum excipit epistola dedicatoria ad Joannem Lotharingiae Cardinalem, & liber ipse. In fine conspicitur *Index graeco-latinus* in librum L. BAYFII *de re vestiaria, per ordinem abecedarium.* Figurae autem, quae in aliis editionibus reperiuntur, heic locum non inuenerunt.

CIIII.

LAZARI BAYFII Annotationes in Legem II. de captiuis & postliminio reuersis, in quibus tractatur de re nauali, per authorem recognitae. Eiusdem Annotationes in tractatum de auro & argento legato, quibus vestimentorum & vasculorum genera explicantur. His omnibus imagines ab antiquissimis monumentis desumptas, ad argumenti declarationem subiunximus. Item ANTONII THYLESII de coloribus libellus, a coloribus vestium non alienus. *Basileae* anno MDXLI (1541)

Digitized by Google

(1541) in 4. pp. 323. except. praemiss. & indice folior. 8.

Non nouam editionem, sed secundam anni 1537. nouo ornatam tantummodo titulo & folio vltimo mutato existimamus, cum illi, quam nominauimus, omni ex parte similis est. In fine vltimi folii, haec leguntur verba: *Basileae apud Hier. Frobenium & Nic. Episcopium an. 1541.* Prima editio prodierat *Paris. per Robert. Stephanum* an. 1536. in 4. quam descripsit Cl. Dauid Clement in *Bibliotheque historique & critique des livres qui sont difficiles à trouver*, Tom. II. p. 503. Omnium optima est editio, quae *Paris. apud Robert. Stephanum* 1549. in 4. in lucem emissa fuit. Vid. Cl. Dauid Clement l. cit. p. 504. vbi etiam variae editiones libelli *de re vestiaria*, & *de vasculis*, nec non collectiones, quibus isti libelli inserti fuerunt, memorantur. Conf. *Recueil de litterature de philosophie & d'histoire*, *Amsterd.* 1730. in 8. p. 28 sqq. Libro epistolion praemisit Carolus Stephanus, medicus, ad lectores, in quo figuras nauium, vestium, ac vasculorum, quibus liber exornatus fuit, cum ex antiquissimis monumentis, tum maxime e vetustis marmoribus, quae tunc temporis Romae adseruabantur, fuisse desumtas, ait, sed illis minime fidem esse adhibendam monet, vt ad vnguem effictas fuisse credant, etiam in ipsis marmoribus, cum marmora antiqua licet non nihil interdum habeant, quod artificis libidini potius, quam veritati respondeat. Id exemplo confirmat triremis, quae BAYFII iudicio, triremibus antiquorum non respondeat, cum ea ratione τετραβοτήρης in mari nauigare minime potuisset. Idem Carolus Stephanus tres BAYFII *de re nauali*, *vestiaria*, *& vasculari*, in adolescentulorum, bonarum litterarum studiosorum, gratiam, in compendium redegit, & diuersis temporibus in lucem emisit. Diuersas editiones recenset Cl. Dauid Clement l. cit. p. 504 sqq.

LA-

Digitized by Google

LAZARVS BAYFIVS, ex antiqua ſtirpe, apud Andes, patre magni nominis equite genitus, variisque muneribus publicis, in Gallia functus, & Franciſci I. Galliae regis, ad Venetos, & nonnullos Germaniae principes, legatus fuit. Diem obiit ſupremum, aetatis anno LX. anno 1545. Lutetiae Pariſiorum. Vid. Joſ. Simleri *Bibliotheca* p. 447. Antoine du Verdier *Bibliotheque de* France, *Lyon* 1585. in fol. p. 787. François la Croix du Maine *Bibliotheque de* France, *Paris* 1584. in fol. p. 287. Scaeuolae Sammarthani *Elogia* Gallorum p. 22. Cl. Dauid Clement *Bibliotheque hiſtorique & critique* l. cit.

ANTONII THYLESII Equitis coſentini, oratoris & poetae, Seculo XVI. celeberrimi, libellus *de Coronis* prodiit *Romae* 1525. in 4. quae editio perrara eſt. *Opuſcula* eius iunctim edita eſſe *Baſileae* 1545. in 8. teſtatur Thom. Hyde in *Catalog. Bibliothec.* bodleian. Tom. II. p. 205. Nonnulla illius *poemata* inſerta fuerunt a Jano Grutero *Delicijs poetarum* italorum Tom. II. p. 1154 ſqq. a Caſp. Dornauio *Amphitheatro ſapientiae ſocraticae ioco-ſeriae* Tom. I. p. 112. 173. 236. 664. Conf. Nicol. Toppi *Biblioteca* Napoletana, *Napoli* 1678. in fol. p. 213.

CV.

FRANCISCI MARII GRAPALDI de partibus aedium Dictionarius longe lepidiſſimus nec minus fructuoſus.

Beatus Arnoaldus: Seleſtatinus.

Laudantur monumenta vel caduca
Vt Pori domus alta: Apollinisque
Ex auro ſtatua: Herculisque gades:
Et fanum triuiae ſacrum Dianae

Nomen

Digitized by Google

Nomen quo tulit impius cremator:
Aut Memphitica Pyramis sepultae
Quam struxisse ferunt puellae amantes:
Mausoli quoque Cariae tyranni
Instructum aere pendulum sepulchrum:
Vitam quaeque dabant vel architectis:
Aedes: atria: porticus: columnae:
Quae nullos meruere vt haec honores
Constructa ingenii sagacitate.
Laudata ingeniosioribusque.
Quae conspecta tibi: scio placebunt.

in 4. folior. 120. si titulum & indicem praemissum folior. 15. exceperis.

In fine editionis, cuius insignem testantur raritatem Cl. Joan. Vogtius in *Catalog. libr. rarior.* p. 316, & *Catalog. Biblioth.* Daniel. Salthenii *Regiomont.* 1751. in 8. p. 179. haec typographi leguntur verba: *Finivnt libri* F. GRABALDI *de partibus aedium cum regesto vocabulorum impressi in vrbe* Argentina *per Industrium* Joannem prysz *In aedibus Lustri vulgo* zum thiergarten *Anno salutis M. CCCCC. VIII.* (1508). His verbis insignia sua adposuit typographus. FRANCISCVS MARIVS GRAPALDVS, parmensis, hoc opus suum, quo per optimas disciplinas, perornatum diligenti cultura ingenium demonstranit, illoque longe lateque nominis famam propagauit, illustri viro principi Horlando Marchioni Pallauicino dicauit. In duos distinctum est libros, quorum alter praeter praefationem, decem absoluitur capitibus, in quibus describuntur sequentes domus partes, *parietes*, *vestibulum*, *ianua*, *atrium*, *peristylium*, *cauedium*, *pluteus*, *cisterna*, *fons*, *vinaria & penaria cella*, *Hortus cum hippodromo & nemusculo*, *piscina*, *leporarium*, *stabulum*, *auiarium*, & *cors*, *balneum*, & *thermae*. Duode-

Digitized by Google

cim libri alterius capita ponunt ob oculos, *scalas*, *contignationem*, *pauimenta*, *proceſtrium*, *baſilicam*, *coenaculum*, *coquinam*, *gynaetium*, *cubiculum*, *valitudinarium*, *ſacellum*, *bibliothecam*, *armamentarium*, *granarium*, *turrim* & *tectum*. Haec omnia, ex omni antiquitate eruta, multis veterum auctorum teſtimoniis illuſtrantur, confirmanturque. Prima editio prodiit *Parmae ſumtibus Antonii Quintiani* anno 1500. quam ſecunda auctior & emendatior excepit *Parmae* 1506. in 4. Ad illam, haec, quam manibus verſare nobis licuit, exſcripta eſt. Haud igitur ſatis adcurate Michael Maittaire in *Annal. typogr.* Tom. II. p. 194. illam *ſeptimo, poſt primam, anno* prodiiſſe ſcribit, praefatione GRAPALDI permotus, quae ex editione *parmenſi* 1506. tranſcripta fuit. Praeter iſtam GRAPALDI praefatiunculam, exſtat etiam in noſtra editione Barnardini Saxoguidani *epigramma*. FRANCISC. MARII GRAPALDI *Epigramma*, ad Horlandum Marchionem Pallauicinum, & Philippi Beroaldi, bononienſis, in laudem Operis *epigramma*. In fine Libri II. hoc Georgii Anſelmi Nepotis legitur *Tetraſtichon*.

Priſca fides ſileat radiantia tecta Neronis
Luculi *nitidas marmora ſecta domos*
Maius opus ſtruxit MARIVS *cui liuor & ignis*
Ipſaque non poterit longa nocere dies.

Recentiores editiones, quae vero omnes admodum rarae ſunt, recenſentur a Cl. Joan. Vogtio l. cit. a Daniel. Gerdeſio in *Florileg. libr. rar.* p. 114. in *Catalogo Bibliothec.* Daniel. Salthen. l. cit. & p. 496. Cum nonnullae editiones e. g. *dordracenſis* 1618. in 8. titulo *Onomaſtici de partibus aedium* inſcribuntur; in *lexico eruditorum* Tom. II. col. 1130. liber *de partibus aedium*, & *Onomaſticon*, diuerſa eſſe opera exiſtimantur.

De FRANCISCO MARIO GRAPALDO, poeta, qui a Julio II. pontifice ſeculo XVI. laurea corona donatus

Digitized by Google

natus fuit, vid. Paul. Jouii *Elogia doctorum virorum* p. 143 sqq. vbi illum fato functum esse in patria, (Parmae) scribit, post quinquagesimum aetatis annum, *quum interiores meatus emittendo lotio, globosior calculus obstruxisset.* De eius *scholiis in* Plautum, doctrina plenis, quae nonnullis Plauti editionibus, adiiciuntur, vid. Principis eminentiss. ANGEL. MARIAE QVIRINI *Specimen variae litteraturae, quae in vrbe* Brixia, *eiusque ditione paullo post typographiae incunabula florebat* P. I. *Brix.* 1739. in 4. form. mai. p. 30 sqq. *die Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dresden Tom. I. p. 94 sqq. Conf. Jos. Simleri *Bibliotheca* p. 203. Pier. Baile *Dictionaire historique & critique* Tom. II. p. 1300. Joannes Matthaeus Toscanus in *Peplo* Italiae L. II. p. 424. edit. Jo. Alb. Fabricii, hoc in eum, & eius librum *de partibus aedium*, scripsit epigramma:

Pierio MARIVS *postquam de vertice doctas*
Deduxit faciles in sua vota deas:
Artis opus mirae, sublimes condidit aedes,
Degat vti digno turba nouena loco.
Grata cohors vati decreuit, tempus in omne
Viuat vti MARIVS *cum* MARIO*que domus.*

Huic adiungimus elogium, quo illum condecorauit Joannes Latomus, apud Paullum Jouium l. cit.

Colluſtrans amplas MARIVS *quas ſtruxerat aedes*
Extulit artificem mors ſtupefacta manum.
Quae tamen, vt bile iuſto feruentior atra,
Subridens, tumulum (dic, ait) hoſpes, vbi?
Jam video coeca es, nedum (intulit ille) maligna?
Pro tumulo erexi hanc inuidioſa domum.

Digitized by Google

CVI.

JOANNIS FABRI, *Bambergensis, Medici Romani*, In Imagines Illustrium Ex Fuluii Vrsini Bibliotheca, Antuerpiae a Theodoro Gallaeo expressas Commentarius. Ad Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Cynthium Aldobrandinum Cardinalem S. Georgii, &c. *Antuerpiae ex officina Plantiniana, Apud Joannem Moretum MDCVI.* (1606.) in 4. form. mai. pp. 88. si titulum, dedicationem & indicem 7. fol. non numeraueris.

Cum Fuluius Vrsinus, ex thesauro suo, *Illustrium imagines*, quas multos annos, maximis sumtibus sibi comparauerat, in lucem edere constituisset, & ideo cum Theodoro Gallaeo communicasset, vt aeri eas incideret, simul Gasparem Scioppium rogauit, vt interpretationem quamdam breuem, litteris mandaret, quae vna cum iconibus in lucem prodire posset. Conscripsit etiam Scioppius, qui saepius apud Fuluium in aede farnesiana, marmorea signa, tabulas, gemmas, ac numismata, ex quibus Gallaeus imagines expresserat, ante oculos & in manibus habuerat, nonnulla, quae ad declarandas illas, non parum lucis adferre poterant. Sed mortuo postea Fuluio Vrsino, cum neque illi, quibus thesauri fuluiani, siue supellectilis antiquae a Cardinale Farnesio, commissa erat cura, nisi elapso demum biennio, ad sua Scioppio restituenda schedia induci possent, & Scioppius ipse grauioribus negotiis esset implicitus, omnis illa imaginum declarandarum cura deposita fuit. Cum autem Marcus Velserus, augustanus, Scioppium saepius rogitaret, vt ne Gallaeo, qui maximas in hoc opus impensas fecerat, suum illud de republica bene merendi studium, fraudi ac damno esse pateretur, quod omnino futurum censeret, si nudae ac velut mutae imagines ederentur, Scioppius tandem his precibus permotus, JOANNI FABRO, bam-

Digitized by Google

bambergensi, Germano, Medicinae Doctori atque Professori in Academia romana, & Simpliciario pontificio, id negotium iniunxit, vt, quoniam saepissime cum illo, apud Fuluium Vrsinum fuisset, & ipse etiam ista antiquitatis monumenta manibus saepe tractasset, notas tam suas latinas, quam Fuluii hetruscas, diligenti lectione recognosceret, atque nonnulla quae deesse forsitan viderentur, adderet, alia autem superflua, & minus necessaria praecideret. Et inde iste *Commentarius* enatus est, cuius titulum adscripsimus, qui nunc inter libros rariores, haud vltimum occupat locum. Conf. die *critische Bibliothek* Tom. I. p. 229 sqq. Fuluii Vrsini *imagines* a Gallaeo expressae aere, ad quas hic *Commentarius* spectat, primum prodierunt *Venetiis* 1570. in fol. vid. Joannis Fabricii, *Historia Biblioth.* fabric. P. III. p. 75 sqq. Secunda priore multo auctior editio, hunc praefixum habet titulum: *Illustrium imagines, ex antiquis marmoribus nomismatib. & gemmis expressae quae extant* Romae *maior pars apud* Fuluium Vrsinum. Theodorus Galleus *delineabat* Romae *ex Archetypis incidebat* Antuerpiae MDXCIIX. (1598) *Antuerpiae ex officina Plantiniana sumptibus Theodori Gallaei* in 4. folior. 158. Describitur illa editio, quae 151. tabulas aere expressas complectitur, ab auctore der *critischen Biblioth.* P. I. p. 213 sqq. Qua ratione factum fuerit, vt a JOANNE FABRO XVII. imagines descriptae fuerint, quae in Gallaei collectione aere expressa non inueniuntur, ignoramus, forte *tertia* exstat editio, quae hisce XVII. imaginibus auctior est. Sunt autem M. Agrippa L. F. Antiochus Commagenorum rex, Aratus sicyonius, Archelaus Macedo, C. Caesar, Augusti nepos, L. Caesar, Augusti nepos, Cimon, P. Cornelius Scipio Nasica, Cratippus, Germanicus, Leander, L. Liuinius Regulus, Nero Claudius Caesar, Nicomedes, Cn. Pompeius, Tmolus Heros, & Cicero, ab illo, qui in collectione an. 1598. delineatus conspicitur, diuersus.

Digitized by Google

CVII.

Epitome Thesauri Antiquitatum, hoc est, Impp. Rom. Orientalium & Occidentalium Iconum, ex antiquis Numismatibus quam fidelissime deliniatarum. Ex Musaeo JACOBI DE STRADA *Mantuani Antiquarii.' Lugduni apud* JACOBVM DE STRADA *& Thomam Guerinum MDLIII.* (1553) *cum Priuilegio Regio* in 4. pp. 359. si dedicationem, praefationem, indices & priuilegium folior. 46. & dimid. exceperis.

Incredibile dictu est, quam rara huius libri haec sit editio. Omnium prima est, quae, vt ex titulo patet, ipsius STRADAE sumtibus prodiit. Quae enim Philippus Labbeus in *Biblioth. nummaria* p. 259. de JACOBI STRADAE *Thesauro antiquitatum, Lugduni* 1551. in lucem emisso, somniauit, nullius plane sunt momenti, cum eiusmodi editio nullibi reperiatur. Constituerat JACOBVS DE STRADA, magnum opus, quatuor Tomis, in lucem edere, vbi Imperatorum singulorum vita, longa prolixaque oratione traderetur, & ad finem vitae, cuiusque Imperatorum, Numi, illorum effigie signati adponerentur. Peragrauit eam ob caussam, omnes fere Italiae regiones, Galliam, & magnam Germaniae partem, vetereſque numos, insigni cura atque sollertia conquisiuit, eosque partim ipse delineauit, partim ab aliis delineandos curauit. Quae vero caussa fuerit, vt hoc opus laboriosissimum, ad vmbilicum fere, vt ipse scribit STRADA, perductum, lucem non viderit publicam, ignoramus. Adseruantur in bibliotheca caesarea vindobonensi decem codices manu exarati in folio, in quibus a STRADA numismata antiqua, & quidem pleraque rarissima, incredibili studio, & elegantia depicta inueniuntur. Duo volumina, numismata consularia, tria, Principum romanor. a C. Jul. Caesare, ad Claudium gothicum

Digitized by Google

gothicum nu[illegible]mata latina, tria eorumdem graeca, & duo reliquorum Imperatorum, cum aliquot barbaris, Petro Lambecio teste Tom. I. *Commentar. de Bibliotheca* vindobonens. p. 75 sqq. ob oculos ponunt. Inter cimelia sua, refert Bibliotheca ducalis gothana opus JACOBI DE STRADA numismaticum XXXI. voluminibus in fol. elaboratum, in quo rarissimi numi romani consulares, & imperatorii, stupendo labore, & arte mirabili, & ingenti, vt Seckendorfio quidem, in epistola ad Andr. Bosium videtur, Antonii Comitis Fuggeri sumtu, circa annum 1550. delineati conspiciuntur. Numos depictos eius operis singulos, singulis coronatis constitisse, ex Occonis Epistola mſ. ad Amerbachium apud Carol. Patinum, in *Introduct. ad Histor. numismat.* Cap. XXIIII. p. 188. refert Burcard. Gotthelf. Struuius, *in introduct. in notit. rei litterar. & vsum Bibliothecarum* Cap. IIII. §. VIII. p. 139. edit. 1715. Luculentam istius operis dedit descriptionem Ernest. Salom. Cyprianus, in *Catalogo Codicum mſtor. Bibliothecae* gothanae p. 83 sqq. Habemus anonymi cuiusdam introductionem in rem numariam, mſtam, in qua codices ist[illegible]gothani, hac ratione describuntur. *Diese XXXI. Folianten sind das vornehmste Cimelium selbiger Bibliothek.* STRADA *hat in diesem Werke die numos weitläufftig vnd gros abgezeichnet, also, daß eine iede figura numi, eine viertel Ele in diametro hat. Nun hat wohl* STRADA *dadurch vornehmlich intentiret, daß man die zarten figuren so auf numis vorkommen, so wenn sie gros abgerissen würden, leichter erkennen koenne, doch ist solches ein so kostbares werk daß es sowohl mehr vor Principes vnd zur Curiosité als zu sonderbaren Nutzen dienet. Denn es führet* Lambecius *an daß ein ieder Riß eine krohne gekostet. Es sind aber diese verschiedene Tomi zu* Gotha *dergestalt eingetheilet daß in etlichen Tomis numi consulares, in andern numi Imperatorum, vnd zwar per seriem & ordinem Imperatorum beschrieben sind. Eine Beschreibung ist nicht dabey, sondern* STRADA *hat blos eine*

Praefation vorgeſetzt. Der Band dieſes Werks zeigt, daß ſie ehemals in der bayeriſchen *Bibliothek zu* München *geſtanden, denn ſie ſind in regal folio, vnd iſt auf jeden Buche Herzog* Albertus *in* Bayern, *auf Gold zu ſehen. Daß ſie nach* Gotha *gekommen, iſt im dreißigiabrigen Kriege geſchehen, da* München *von* ſchwediſchen *Trouppen eingenommen vnd geplündert wurde, da waren in der* ſchwediſchen *Armee viel* ſächſiſche *Herren, die lieſen aus der* bayeriſchen *Bibliothek viel Cimelia in ihre Lande führen, wie man denn in der Bibliothek zu* Waimar *verſchidne Cimelia Codicum vnd Bücher aus der* bayeriſchen *Bibliothek findet.* De codicibus iſtius operis manuſcriptis, qui in Bibliotheca regia dresdenſi & Electoris Bauariae monacenſi adhuc exſtare dicuntur, vid. Joan. Albert. Fabricii *adnotat. ad* Anſelmi Banduri *Bibliothecam numariam, Hamburg.* 1719. in 4. p. 10. Sed ad *epitomen* redeamus. Illam ex magno iſto opere confectam eſſe, ipſe teſtatur JACOBVS DE STRADA, in praefatione. Inſcripſit illam nomine illuſtriſſimi Comitis a Kirchberg & Weiſſenborn, D. Jo. Jacob. Fuggeri *παναρέτου*. Auſpicatus eſt librum a Julio Caeſare ordinemque Imperatorum ſubdita hiſtoria eorum breuiſſima, adhocatis eorum propinquis & affinibus, qui iure ſanguinis imperium ſibi vindicare potuerunt, interiectisque Orientis Imperatoribus, & interpoſitis tyrannis multis, nominatisque feminis illuſtribus, quae Imperium adfectarunt, ad Carolum V. vsque perſequutus eſt. Imagines Imperatorum pro ratione temporum, quibus liber prodiit, ſatis quidem nitide, ſed ex Anſelmi Banduri, in *Bibliotheca numaria* p. VII. edit. *paris.* ſententia, *impolite, & aliquoties imperite confictae, & buxo expreſſae* fuerunt. Hanc etiam ob cauſſam, hoc opus, magnopere olim commendatum, nunc *piperi condendo, quam illuſtrandae veteri hiſtoriae vtilius* Bandurio videtur. Ceterum haec editio, litteris nitidiſſimis, in officina Joannis Tornaeſii exſcripta fuit. *Romae* librum recuſum eſſe anno 1557. teſtatur Caſpar. Sagit-

Digitized by Google

Sagittarius, in *introduct. in Histor. eccles.* Tom. I. p. 592. not. (a). In Heluetia editionem curauit Andreas Gesnerus *Tiguri* 1557. in 8. E latino sermone in gallicum transtulit Joan. Louveau, aurelianensis, quam versionem ipse JACOBVS DE STRADA hoc titulo in lucem edidit. *Epitome du Thresor des antiquitez, c'est à dire pourtraicts & medailles des Empereurs tant d'Orient que d'Occident. Lyon* 1553. in 4. vid. Anselm. Banduri l. cit. Secundam quidem libri partem, in qua auersae numorum imagines continentur, se editurum in praefatione & dedicatione promiserat auctor, sed hisce promissis suis haud fecit satis. Conf. Jos. Simleri *Biblioth.* p. 324.

CIIX.

Opera MAR. ANT. SABELLICI: Quae Hoc Volumine Continentur. Epistolarum familiarium: libri XII. Orationes XII. De situ Venetae vrbis: libri tres. De Venetis magistratibus: liber vnus. De praetoris officio: liber vnus. De reparatione latinae linguae: libri duo. De officio scribae: liber vnus. De Vetustate Aquileiae: libri sex.

Poemata.

Genethliacum Venetae vrbis vnum. De apparatu Venetae vrbis poema vnum. De Vicetiae (Vicentiae) ortu & vetustate vnum. De Italiae tumultu vnum. De Coriolani luctu vnum. de Munitione fontiaca. De incendio carnico vnum. De barionae Cymba vnum. De Hunnii origine vnum. De inuentoribus artium vnum. De laudibus

Digitized by Google

dibus Deiparae virginis Elegiae. XIII. *Gratia & priuilegio*. in fol. folior. 136. & 72.

In fine codicis, qui raritate commendabilis est, haec leguntur typographi verba: *Expliciunt libri epistolarum familiarium, & orationes* MAR. ANT. SABELLICI *vna cum poematibus foeliciter Impressi* Venetiis *per* Albertinum de Lisona. Vercellensem *M. CCCCC. II.* (1502). *Die XXIIII. Decembris. Cum gratia & priuilegio.* Memorant istam editionem Michael Maittaire in *Annal. typographic.* Tom. II. p. 160. Niceron in *Memoires* Tom. XX. p. 52. Josias Simlerus in *Bibliotheca* p. 469. Christian. Schoettgenius in *Continuat. Biblioth.* fabric. *med. & infim. Latinitat.* I. XIIX. p. 397. Schoettgenium autem, hanc editionem oculis non conspexisse, ex illo adparet, quod hac editione *Opera* SABELLICI *coniunctim* prodiisse scripsit. Rectius *opera* tantum *aliquot* SABELLICI in illa reperiri, monuit iam Simlerus l. cit. Conf. *Bibliotheca* hamburgensis *historica* Centur. X. p. 233.

Epistolarum familiarium libros XII. dicauit MARCVS ANTONIVS SABELLICVS, Antonio Mauroceno Equiti aurato.

Orationes, quas nomine Equitis aurati, Antonii Lauretani, Patricii veneti, inscripsit, numero sunt *duodecim*, quatuor nimirum encomiasticae 1. *de laudibus poeticae artis, in* Flaccum Horatium. 2. *de laudibus historiae in* Tit. Liuium. 3. *de laudibus eloquentiae in* M. Tullium. 4. *de praestantia latinae linguae in* Plautum. Duae funebres 5. *in funere* Zachariae Barbari, *Equitis, & Procuratoris diui* Marci, *coram Principe & Senatu* Venetiis. 6. *In funere* Benedicti Rugii, *regii Oratoris*, (Alfonsi Regis neapolitani) *coram Principe, & veneto Senatu.* Hae duae *orationes*, in *Orationibus clarorum hominum, vel honoris officiique caussa, ad Principes, vel in funere de virtutibus eorum habitis, in academia veneta* 1559. in 4. nec non in editione repetita

Digitized by Google

petita *parisina* 1577. in 16. reperiuntur. Insertae etiam fuerunt *Orationibus funebribus, in morte pontificum, Imperatorum, Regum, Principum* &c. *habitis, a legatis, virisque suae aetatis doctissimis, Hanou.* 1613. in 8. & quidem prior p. 150-- 154. posterior p. 224- 230. Sequuntur tres orationes progymnasticae 7. *de origine & incrementis philosophiae*, Venetiis *recitata, frequenti philosophorum conuentu in gymnasio* rivoaltino. 8. *de cultu & fructu philosophiae* Venetiis *recitata*, in eodem gymnasio, *frequentissimo philosophorum consessu.* 9. *de vsu philosophiae* Venetiis *recitata in* eodem gymnasio, *celebri philosophorum conuentu.* Tres orationes panegyricae & encomiasticae 10. *de origine & auctu religionis*, Veronae *recitata, celeberrimo Minoritarum conuentu, magistratibus vrbis, cum parte ciuitatis multo maxima astantibus.* 11. *in festum diem* Vincentii *martyris*, Vincentiae *recitata, celebri conuentu magistratuum & vniuersae ciuitatis.* 12. *de Sacerdotii laudibus*, Venetiis *recitata, frequenti sacerdotum consessu, in nouam liturgiam.* Emendatione quadam indigent, quae in *lexico eruditorum*, Tom. IIII. col. 7. de *XII. orationum* SABELLICI *libris* leguntur. Eodem praeterea loco, *orationes* in Zachar. Barbarum, & Benedictum Rugium, haud satis adcurate, seorsum adducuntur, cum iam inter *XII. orationes* inveniuntur.

Tertium in codice nostro occupat locum *Historia de* Venetae *vrbis situ, & vetustate*, quam Hieronymo Donato, *viro omnibus disciplinis ornatissimo*, dicauit. Absoluti fuerunt libri III. a SABELLICO an. 1492. Multa ex illis, non nominato SABELLICO, transcripsit in historiam suam venetam Franciscus Sansouino, quam euulgauit titulo: *delle cose notabili che sono in* Venezia. *In Venezia* 1561. in 8.

Libellum *de* venetis *magistratibus*, Augustino Barbadico, *inclyto* Venetiarum *principi* confecratum, prima vice euulgauit *Venetiis per Anton. de Strata* an. 1488.

Digitized by Google

1488. in 4. vid. Mich. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. I. p. 504. In fine noſtrae editionis, hoc ad lectorem Petri Benedicti legitur epigramma:

Qui modo res venetas, primamque ab origine gentem
Tempora lector adhaec ſcripſit tibi vite SABELLVS
Subiicit ecce breui nunc publica iura libello,
Atque magiſtratus mores regimenque forumque
Ordinibus digeſta ſuis: quae candide lector
Omnia ſollicita quum mente euolueris ipſe
Luminibus ſubiecta tuis erit vrbis imago.

Libellus *de praetoris officio* anno 1481. ad finem perductus, Antonio Cornario, *philoſophiae ſtudiis eminentiſſ. Practori* vicentino, dicatus eſt.

Dialogus *de latinae linguae reparatione*, nomine *magnifici & praeſtantis viri* Marci Antonii Mauroceni, *Patricii* veneti, *Equitis ſplendidiſſimi* munitus eſt. Cum opuſculo *de Officio Praetoris*, & *de* venetae *vrbis Situ*, *Venet.* an. 1494. in 4. editum eſſe, teſtatur Niceron in *Memoires* Tom. XII. p. 162. Colloquuntur Sanariſius, SABELLICVS, & Guarinus. In *dialogi* fine, hoc ad Antonium Moretum, brixienſem, SABELLICI legitur epiſtolion:

M. ANTO. SABELLICVS Ant. Moreto Brixienſi. *Sal.*

Librum de latinae linguae reparatione: quem toties efflagitaſti: miſi tandem Morete *vir humaniſſime: nec aliud fuit in mora: quam conſilium: ſciebam ego in celebri emporio homini negocioſo vix tantum ocii dari: vt tris de ſitu vrbis libros: vnumque de praetoris officio: quos tibi cognoſcendos tradidi: tam breui perlegeres: ſed tu contentus credo illorum indicibus: vt es in eos: qui ſacra colunt litterarum egregie officioſus ad hanc anhelabas lectionem: quae illuſtrium virorum laudem contineret: verum meminiſſe oportet hos inter ſe libros cognatos eſſe: ac tua opera velut implumes pullos ex eodem nido deuolaſſe: quare magnopere abs te peto*

ne

Digitized by Google

ne patiaris illis: quod & egypti filiis euenire: sed aut per te rogo viuant omnes: aut nox vna opprimat. Vale. Illud excipit

Dialogus *de Officio Scribae*, inter Calphurnium, SABELLICVM, & Aurelium.

Initio libri *de vetuſtate* Aquileiae, quem Joanni Hemõ, venetarum *copiarum aduerſus* Ferrariae *ducem, prouiſori generali* dicauit, hoc Cynthii ad SABELLICVM conſpicitur epigramma.

Donec ſaecula colligata faſtis
Extabunt latiis: Forum manebit
Juli Caeſaris *altius ſub orbe*
Inuicto Venetorum *& vniuerſae*
Terrai domino: quod ore docto
Immortale facis SABELLE MARCE:
Qui maior Fabio *es: minor nec* Arpis
Cui paean fouet: iſthmiae Dione
Pallentes quoque blandiuntur vndae
Viuas neſtoream *precor ſenectam.*

Libro primo *de vetuſtate* Aquileiae, auſpicatus eſt hiſtoriam. Liber ſecundus *patriae* inſcribitur *vetuſtas.* Liber tertius Hunnicum *bellum*, Liber quartus, *bellum* Longobardicum, Liber quintus *bellum domeſticum*, & liber denique ſextus *bellum* Turcicum inſcriptus eſt. Illius in fine Joannes Petrus Valerianus bellonenſis haec adpoſuit carmina:

Quisnam Muſa probatus eſt ad vnguem?
Sinceriſſimus omnium SABELLVS.
Scit quisnam omnia: quae fuere quae ſunt?
Peritiſſimus omnium SABELLVS.
Quis dat ſingula, quae fuere, quae ſunt?
Facundiſſimus omnium SABELLVS.
Quis linguae auſoniae exprimit nitorem?
Latiniſſimus omnium SABELLVS.
Quis nunc omnibus eſt ferendus ante?
Praeſtantiſſimus omnium SABELLVS.

Eius-

Digitized by Google

Eiusdem.

Edere si magnum est facta inuidiosa SABELLI
Quantum erit inuidiam, quod superauit: opus?

Niceron in *memoires* Tom. XII. p. 156. de hoc posteriore SABELLICI opere, sententiam suam hisce exposuit verbis: *Il y a bien des contes, dans cet ouvrage, qui n'est qu'un cahos, sans ordre & sans methode. Il lui fit cependant honneur dans le* Frioul, *à la gloire duquel il l'avoit entrepris.* Haec autem, quae descripsimus, prosaica opera, primam collectionis rarioris constituunt partem. Ex illis Andreas Schottus, Italiae suae *illustratae* inseruit Libros III. *de* Venetae *vrbis situ* p. 1 sqq. & libros VI. *de vetustate* Aquileiae p. 51 sqq. Iidem libri reperiuntur etiam in Petri Burmanni *Thesauro* Italiae & quidem ille Tom. V. cui adiectus est liber *de* venetis *magistratibus*, libellus *de praetoris officio*, & dialogus *de scribarum officio*; hic vero exstat Tom. VI.

Secunda collectionis pars, complectitur *poemata*, quae hoc nouo ornantur titulo: *Poema.* M. ANTONII SABELLICI. *Genethliacum* Venetae *vrbis: ad* Georgium Cornelium *Equitem. De apparatu* Venetae *vrbis. poema vnum. De* Vicetiae *ortu & vetustate seu* Vicentinus *Crater. Poema vnum. De* Italiae *tumultu. poema vnum. De domus deflagratione. Poema vnum ad* Cipicum Coriolanum. *de munitione* fontiaca. *poema vnum. De caede* fontiaca. *Poema vnum.* (Describit Sabellicus ingentem cladem, qua Christiani a Turcis anno 1477. ad fluuium Sontium, (*Lisonzo*) in Carniola, prostrati fuerunt). *De incendio* carnico. *Poema vnum.* (Depingit Carniolae calamitatem, in qua Turcae omnia igne ferroque vastauerant). *De* Barionae *cymba. Poema vnum.* (Idem poema alio titulo inscribitur: *in naufragantem. diui* Petri *Cymbam*). *De* Hunnii *origine. Poema vnum.* (Per Hunnium intelligit vrbem vtinensem *Vdine*). *De inuentoribus artium.*

poema

Digitized by Google

poema vnum. *De laudibus diuae virginis. Elegiae XIII.* Ex iis *poematibus* apud Andream Schottum reperiuntur l. cit. p. 35. *Genethliacon* venetae *vrbis*, p. 42. *de Adparatu* venetae *vrbis*, & p. tandem 103. *Carmen de* Vincentiae *ortu*, *& vetuſtate ſeu* vicentinus *Crater.* Duo priora exſtant etiam in *Theſauro Scriptor. & Antiquitat.* Italiae Tom. V. & poſterius Tom. VI. Cum anno 1613. *Hamburgi*, Joan. Matthaei Iunenſis (*Luna* celebris olim Hetruriae vrbs, hodie *Sarzana*) libellus *de rerum inuentoribus*, *ex recognitione* Aug. Juſtiniani, *Epiſcopi* nebienſis, in 8. recuderetur, illi ob argumenti ſimilitudinem SABELLICI poema, *de artium inventoribus* additum fuit. Quod ad collectionis, quam deſcripſimus, formam exteriorem adtinet, litterarum characteres romani, quibus exſcripta eſt, ſatis quidem nitidi & luculenti ſunt, omne tamen opus mendis typographicis mirifice commaculatum eſt. Inſignis eorum *catalogus*, adiectus eſt libro, in fine, vbi *impreſſio ſaltuatim & tumultuoſe recognita* dicitur.

CVIIII.

Enneades MARCI ANTONII SABELLICI Ab Orbe condito Ad inclinationem Romani Imperii. In fol. formae max. foliorum 477.

Diſtribuit MARCVS ANTON. SABELLICVS, hiſtoriam, quam ab orbe condito, ad Arcadii vsque obitum conſcripſit, in ſeptem partes, quarum quaelibet, nouem complectitur libros, vnde illis *Enneadum* titulus impoſitus fuit. Codex, quem manibus noſtris verſamus, nitide litteris romanis impreſſus, typographi, aut bibliopolae, neſcimus cuius, inſigne in fronte gerit. Hiſtoriae ipſi praemittitur SABELLICI ad Auguſtinum Barbadicum *ſereniſſ.* Venetiarum *principem epiſtola*, & cuiusque libri, *ſeptem* ENNEADVM, *elenchus.* In fine reperitur SABELLICI *epiſtola* ad

De-

Digitized by Google

Democritum, in qua illum rogat, vt sua fide & industria, id efficere velit, vt lucubratio haec, maneat inoffensa, ab omni opificum iniuria, instando, moriendo, singula pensitando, vt sartum & tectum inde opus, omnique ex parte emaculatum in lucem prodeat. Laudat praeterea Bernardinum Cadolum, monachum camaldulensem, virum diuinarum humanarumque litterarum impense doctum, & ex brixiana illa probitate, quam Plinius celebrat, multum referentem, cuius in primis opera se vsum praedicat, in iis quae ad sacram adrinent historiam. Hanc *epistolam* excipit *Registrum*, & Augustini Barbadici, Venetiarum Ducis *privilegium*, quod heic, cum typographorum subscriptione, integrum adponimus.

Augustinus Barbadicc Venetiarum Dux.

Quum eruditissimus vir: & de latina lingua optime meritus: MARCVS ANTONIVS SABELLICVS: *qui publice profitetur in hac vrbe nostra: historiam omnium gentium a primordio mundi ad inclinationem vsque* romani *imperii conscripserit: quam ad vsum legentium sumptuoso apparatu imprimi fecit: humiliter petiit vt sibi publico decreto caueatur: ne quis in XV. proximos annos id opus imprimere audeat.*

Infra scripti domini Consiliarii volentes morem gerere praefato excellentissimo viro MARCO ANTONIO *& praesertim ob operis excellentiam. Statuerunt: & decreuerunt: & sic statuunt & decernunt: vt in XV. annos nemo: aut* Venetiis: *aut in locis* venetae *ditionis: possit id opus imprimere: aut imprimi facere: seu alibi impressum venale proponere, nisi* SABELLICO *ipso volente sub pena ducatorum centum & librorum amissione: quoties aliquis contra fecerit; quorum pars vna accusatori detur: altera ipsi* SABELLICO: *ad quem res spectat: reliqua coenobio pietatis.*

Consiliarii.

Dus. Marcus Barbo.
Dns. Marcus Bollani.

Dns.

Digitized by Google

Dns. Nicolaus Triuiſanus.
Dns. Petrus Balbi *&*
Dns. Franciſcus Fallerio *viceconſiliarius.*

Verba typographorum haec ſunt: *Impreſſum* Venetiis *Per* Bernardinum *&* Matheum Venetos. *Qui vulgo dicuntur* Li Albaneſoti. *Anno Incarnationis Dominice M. CCCC. XCVIII.* (1498.) *Pridie Calendas Aprilis regnante Inclito* Auguſtino Barbadico *Sereniſſimo* Venetiarum *Principe. Feliciter Diuque & Fauſte ſuperſtite. Diu.* His verbis typographi inſignia adiuncta ſunt. Inſignem iſtius editionis, omnium primae, raritatem teſtatur Theophilus Sincerus in der *neuen Sammlung von lauter alten vnd raren Büchern* P. VI. p. 532. Omnis autem *Rhapſodiae hiſtoriarum*, complectitur illa, partem tantummodo primam, ſiue *Enneades VII.* priores. Secunda pars, quae *tres Enneades*, & *quartae libros duos* priores ob oculos ponit, Secul. XVI. in fol. primum edita fuit. Eius in calce typographus haec adpoſuit verba: M. A. COCCII SABELLICI *Rapſodiae Hiſtoriarum ab orbe condito Enneadis vndecimae liber ſecundus finit. Impreſſum* Venetiis *per Magiſtrum* Bernardinum Vercellenſem *anno M. D. IIII.* (1504) *Die XX. Octobris. Cum Priuilegio.* Vid. Niceron *Memoires* l. cit. p. 164. Theophil. Sincerus l. cit. In ſecunda parte, hiſtoria ad annum vsque 1504. producta eſt. Quae Paulli Jouii de SABELLICI *Enneadibus* hiſtoricis, fuerit ſententia, haec verba, ex illius *Elogiis doctorum virorum* p. 115. lectores docere poterunt: *In Enneadibus omnium temporum, ab orbe condito memoriam complexas, vti neceſſe fuit, ingenti operis inſtituto feſtinanter indulgenti, res illuſtres praeclara cognitione digniſſimas perobſcura breuitate adeo vehementer offuſcauit, vt excitatam vberrimo titulo legentium cupiditatem paſſim eluſerit, quum omnia in aceruum anguſtiſſime coarctata, nequaquam certa effigie, ſed exiguis tantum punctis, & lineis annotata deſignentur.* Conf. P. Baile *Dictionaire hiſtorique & critique*

Digitized by Google

Tom. III. p. 2505. not. (B). Niceron *Memoires* l. cit. Nihilo minus tamen liber saepius editus fuit. Caspar Hedio, illum, cum *Exemplis* SABELLICI, de quibus mox loquemur, *Basileae* an. 1538. II. Tomis in fol. edidit, & addita *synopsi historica rerum gestarum*, ab anno 1504. ad annum vsque 1538. produxit. Omnium autem optima censetur editio, quae cum reliquis SABELLICI *operibus*, exceptis *adnotationibus*, quas in nonnullos auctores conscripsit, in lucem exiit, & hunc praefixum habet titulum: M. ANTONII COCCII SABELLICI *Opera omnia, ab infinitis quibus scatebant mendis, repurgata & castigata: Cum supplemento Rapsodiae historiarum ab orbe condito, ad haec vsque tempora, pulcherrimo ac diligentissimo, in Tomos quatuor digesta: qui, quid contineant, aduersa pagina indicabit: atque haec omnia per* Caelium Secundum Curionem, *non sine magno labore iudicioque confecta. Autores, quorum e monumentis haec sumpta sunt, statim a Praefatione ordine dispositi, leguntur. Item, Index operum omnium copiosissimus, quem statim argumenta singulorum primi Tomi librorum sequuntur: reliqua vero suis locis disposita sunt. Basileae per Joannem Heruagium Anno M. D. LX.* (1560) Tomo I. col. 1156. si praemissa & indicem exceperis, exstant *Rapsodiae historiarum ab Orbe condito Enneades quinque.* Tom. II. except. praemiss. col. 1542. *Rapsodiae Enneades sex, & Rerum* venetarum *ab vrbe condita, Decades III. & quartae libri III.* Tom. III. col. 744. *Supplementi, libri XXVIIII.* quibus Coelius Secundus Curio, SABELLICI *Enneades* ad annum vsque 1560. continuauit. Erratum irrepsit typographicum in Niceroni *Memoires* cum l. cit. p. 165. C. S. Curio *Supplementi libros XXXVIIII.* conscripsisse dicitur Tom. III. col. 602. inueniuntur *Exemplorum libri X. varia opuscula & poemata*, quae supra descripsimus. Adseruantur in bibliotheca regia dresdensi SABELLICI *historiarum Enneades*, iussu sereniss. Electoris Augusti, ab Henrico Habermehl & Joanne Frenzelio in sermonem ver-

Digitized by Google

vernaculum conuersi. Praefigitur codici manuscripto, qui nondum publicam lucem vidit, hic titulus: *General-Historien* MARCI ANTONII COCCII SABELLICI, *nach ordentlicher gewisser Jahr-Rechnung von Anfang der Welt, biß auf vnsere Zeiten. Darinnen neben den Historien geistlichen vnd weltlichen, auch die gantze Cosmographia, vnd über das aller königreich, Landt vnd Völker Gebreuch, Sitten, vnd Trachten alte vnd neue begriffen, vnd vorfaßt, aus alten authoribus die zu finden deducirt, vnd aus dem Latein in die Teutsche Sprach gebracht, durch* Heinrich Habermehl *weilandt Churfl.* Sechsischen *Diener in der Cantorei, von neuen über durchsehen von* M. Johanne Frenzelio XI. Tom. in fol. vid. die *Merkwürdigkeiten der königl. Bibliothek zu* Dresden Tom. III. p. 497 sqq. Exstitit seculo XV. exeunte & initio XVI. quidam Joannes Kusthuert, wissenstatensis, qui ex M. ANTON. SABELLICI *Enneadibus* excerpsit *Historiam* Hebraeorum, *in qua eius gentis ritus, leges & gesta ab orbe condito, ad* Jesu Christi *tempora, succincte libris VII. comprehenduntur.* Liber prodiit *Basileae ex officina Langendorfii* 1515. in fol. & vt Josias Simlerus in *Bibliotheca* p. 388. testatur, *eodem anno Parisiis* in fol. Conf. Jo. Albert. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit.* Lib. XI. p. 665. Recentioribus temporibus pari ratione Guilielmus Nichols ex SABELLICI *Enneadibus*, in vsum scholarum excerpsit, quae ad sacram historiam spectant, & edidit *Historiae sacrae libros VII. in quibus narrantur res gestae veterum Patriarcharum, Judaeorum & Christianorum a prima mundi origine, vsque ad excidium* hierosolymitanum. *Londini, impensis Guil. Taylor* 1711. in 12. vid. *Acta eruditor.* lipsiensia an. 1712. p. 395. Niceron l. cit. p. 166.

Digitized by Google

CX.

MARCI ANTONII COCCII SABELLICI Exemplorum Libri Decem, Ordine Elegantia & vtilitate Praestantissimi.

G. B. C.

Dum fuerat rerum tibi Roma suprema potestas
Pareretque aquilis terra fretumque tuis,
Eloquii antistes Marcus princepsque latini
Floruit, & linguae lumen honosque fuit.
Dum Veneti regnant terraque marique suisque
Romanum exaequant legibus imperium,
Eloquii antistes MARCVS princepsque latini
Floruit, & linguae lumen honosque fuit.
Culta fuit Marcisque adeo par lingua duobus
Non facile vt dicas, hic ne vel ille prior.
At quo posteritas dignoscat scripta duorum
Tullius hic fuerat, COCCIVS ille fuit.

Ad Christianae pietatis augmentum & decus. in fol. form. minor. folior. 105.

Exemplorum libri decem saepius editi fuere. Cum ipse SABELLICVS illos in lucem emittere non posset, moribundus eorum curam commendauit, Joanni Baptistae Egnatio, amico suo, qui illos, post mortem SABELLICI, euulgauit Venetiis an. 1507. in 4. & Leonardo Lauredano, *sereniss.* Venetiarum *Principi* dicauit. Editioni, qua vtimur, paullo rariori praemisit Beatus Rhenanus *epistolam*, ad Joannem Franciscum Apezonibus Mirandulanum, scriptam *Helueti pridie Calend. Januar. An. M. D. VIII.* In fine epistolae collocatum conspicitur Domici (Dominici) Palladii Sorani, ad Joan. Bapt. Egnatium Epigramma.

Ex-

Digitized by Google

Extollant alii pariis *erecta columnis*
Templa deum & miris pegmata ducta modis.
Et iactet quantumque poteſt mea Roma *coloſſos*
Et quod praerupta mole paratur opus.
Nec ſileant alii variis ſimulachra figuris
Quicquid apellaea *pinxit in arte labor.*
Exornent tumulos alii titulisque venuſtent,
Hic aurum, hic gemmas congerat, alter opes.
Cuncta haec, longa dies carpit, tollitque vetuſtas.
Non quae vera animi ſunt monumenta, rapit.
Tu quare Egnati *felix, felicia quorum*
Nomina nulla aetas, nec teget vlla dies.

Praeterea in fine codicis, legitur Egnatii ad lectorem epiſtola, ex qua adparet, illi per aliquod tempus cum SABELLICO intercesſiſſe inimicitias, eas tamen ante SABELLICI mortem plane fuiſſe ſopitas. Quod SABELLICI precibus adductus fuerit Egnatius, vt iſtius libri in ſe ſuſciperet curam, haec epiſtolae prodit particula: *Nos cum aliis honeſtiſſimis cauſſis adducti, & prius* SABELLICVM *funebri laudatione proſecuti ſumus, & nunc pro virili opus hoc emendauimus. Cuius editionem moriens mihi ad ſe accerſito, & gratam recordationem pietatis in ſe* Michaelis Triuiſani Nicolai *filii, qui ſub eo non paruo tempore meruerat, quique opus hoc lituris plenum exſcribendum curarat, commendauit, vt tam obſtinatum, tam durum, tam denique ferreum eſſe putem neminem, quem ſuprema illa vox moribundi hominis, atque ideo ab omni ſuſpicione inmunis non emolliſſet. me certe adeo emolliit, vt nihil pro humanitatis iure negare homini praeſertim iam morienti potuerim* &c. Typographus huic epiſtolae, ſua ſubiecit inſignia, hiſce verbis adſcriptis: *Hos decem* MARCI ANTONII COCCII SABELLICI *Exemplorum libros, nouiſſima foetura editos,* Matthias Schürerius Heluetenſis, *ſtanneis vſus calamis,* Argentoraci *oppido quam emendate exſcripſit. VIII. Calend. April. Anno M. D. VIIII.* (1509) *Dn. Imp. Caeſ.* Maximiliano

Digitized by Google

Auſtrio *P. F. Aug.* Ro. *Imperii Summam obtinente.* Michaeli Maittaire incognita fuiſſe editio videtur. Exiſtimatio, in qua olim hoc opus fuit, non impedivit Petrum Baile, quominus de illo, in *Dictionaire hiſtorique & critique* Tom. III. p. 2505 ſqq. not. (F) haec talia pronunciaret: *Jamais livre ne mérita mieux que celui-ci qu'on lui apliquât cette penſée de* Pline: Inſcriptiones propter quas vadimonium deſeri poſſit. At cum intraueris, dii deaeque quam nihil in medio inuenies! *On nous le donne comme un ouvrage très-utile à tous ceux qui étudient, mais principalement à ceux qui régentent une claſſe, & aux prédicateurs. Je croi qu'en effet il peut ſervir à ceux qui ont à dicter des thêmes à des petits Ecoliers.* Conf. Niceron l. cit. p. 167.

MARCVS ANTONIVS COCCIVS in Vico Varronis, (*Vicovaro*) ad Anienem, circa annum 1436. natus parentibus obſcuris fuit. Cauſſam ob quam SABELLICI adſumſit cognomen, expoſitam conſpicimus, in Octauii Ferrarii *Prolusione* VIIII. *de litteratorum infelicitate*, vbi p. 110. edit. Joan. Fabricii, *Wolfenbüttel.* 1711. in 8. ait, *Hi* (viri docti) *ad propagandas bonas litteras, ſodalitium* Romae *inſtituerant, & quicumque in eum coetum adſcribebatur; veterum ingeniorum illuſtrium nomina, ad aemulandum decus adſumebat. Ita* Bartholomaeus Saccus, *ſiue ab hoc inſtituto, ſiue aliunde* Platina *eſt dictus.* Julius Sanſeuerinus Pomponii Laeti *cognomen adſumpſit*, Philippus Geminianus, Callimachi, Jacobus Pontanus, Jouiani *titulo gaudebat;* M. ANTONIVS COCCIVS, SABELLICI; Jacob. Sannazarius, Actii Sinceri *cognomento nobilis fuit.* Conf. Franciſc. Ariſii Cremona *litterata* Tom. I. p. 314. Qua ratione, quibuſue ex cauſſis, hoc ſodalitium Romae inſtitutum, a Paullo II. Pontifice max. e medio ſublatum fuerit, vid. in eminentiſſ. Principis ANGEL. MAR. Cardinalis QVIRINI *Vindiciis* Paulli II. *aduerſus* Platinam, *aliosque obtrectatores Rom.* 1740. in 4. Cap. I. p. VIIII ſqq. Abſolutis Romae

Digitized by Google

Romae ſtudiis Vtinum conceſſit SABELLICVS, & *nobiles regionis*, vt Paullus Iouius in *Elogiis doctor. viror.* ſcribit, *adoleſcentes* docuit. Poſtea Vicentini, eius nominis celebritate permoti, duplicato ſtipendio illum conduxerunt. Sed nec ibidem diu perſtitit; cum a ſenatu Veneto euocaretur, vt reipublicae hiſtoriam conſcriberet, & trecentis aureis in gymnaſio profiteretur. Mortuus eſt anno 1506. cum LXX. fere aetatis annum adtigiſſet, gallico morbo, *ex vaga* Venere, vt Iouius teſtatur, *quaeſita, non obſcure conſumtus.* Joannes Latomus hanc ob cauſſam, illi, eiusmodi ſcripſit epitaphium.

Magnus in hoc tumulo, iacet ille SABELLICVS *orbis*
Cuius ad ingenium non ſatis vnus erat
Tempora permodicis incluſerat omnia chartis,
Seruire exemplo quae potuere aliquo.
In Venere *incerta tamen hic contabuit; atque*
Maluit italicus gallica *fata pati.*
Quid iuuat humanos ſcire atque euoluere caſus
Si fugienda facis, & facienda fugis?

Plura de illo retulit Daniel Guil. Mollerus in *Diſſertat. de* MARCO ANTONIO COCCIO SABELLICO *Altorf.* 1698. in 4. Apoſtolo Zeno in *vita* illius quae praefixa eſt SABELLICI *hiſtoriae* venetae in *Raccolta degl' Iſtorici delle Coſe* veneziane *i quali hanno ſcritto per publico decreto in Venezia* 1718–1722. X. Tom. in 4. Tom. I. p. 29 ſqq. Niceron in *Memoires* Tom. XII. p. 144 ſqq. Conf. Paul. Jouii *Elogia* l. cit. Joſ. Simleri *Bibliotheca* p. 469. Gerard. Jo. Voſſii *de Hiſtoricis latinis* L. III. Cap. XII. p. 600 ſqq. Jo. Fabricii *Hiſtor. Bibliotb.* fabric. Tom. II. p. 513. Petr. Anton. Corſignani *de viris illuſtribus* Marſorum *liber ſingularis, cui etiam Sanctorum ac venerabilium vitae, nec non* marſicanae *Inſcriptiones acceſſerunt, Romae* 1712. in 4. p. 220. Paul. Freheri *Theatrum viror. eruditione claror.* p. 1434. Henr. Wharton *Appendix*

Digitized by Google

ad Guil. Caue *Hiſtor. litterar. Scriptor. eccleſ.* p. 178 ſqq. Conrad. Samuel. Schurzfleiſch *Introduct. in Notit. Scriptor.* P. III. p. 387 ſqq. *Bibliotheca* Hamburgenſis *hiſtorica* Centur. X. p. 235 ſqq. P. Baile *Dictionaire hiſtor. & critique* l. cit. Theophili Sinceri *Neue Samlung von lauter alten vnd raren Büchern* P. VI. p. 532 ſqq.

Retulit in Catalogum Operum MARCI ANTONII COCCII SABELLICI, *Lexici eruditorum* Auctor Tom. IIII. col. 7. *Summam diuerſorum Tractatuum, ac reſolutiones, in quibus omnigenae vniuerſi iuris ſelectiores, methodicae, practicae ac deciſiuae concluſiones, circa iudicia, contractus, vltimas voluntates & delicta, ad forum ſeculare & eccleſiaſticum & conſcientiae ſpectantes, ad inſtar vberrimi repertorii habentur, & a probatiſſimis huius aetatis neotericis auctoribus, ac quarumuis materiarum deciſionibus, praecipue Sacrae* Romanae *Rotae, vrbis & orbis Areopagi confirmatae, cum locis, vbi materiae diſtinctae erudite & copioſiſſime pertractantur,* eiusque operis editionem adtulit, *Coloniae ſumtibus Wilhelmi Metternich* 1707. VI. Tom. in fol. euulgatam. Sed diuerſus omnino a M. ANTON. COCCIO SABELLICO, hiſtorico & philologo Seculi XV. eſt Marcus Antonius Sabellus operis auctor, Seculo XVII. celebris, Iureconſultus mutilianenſis Italus, Sereniſſ. magni Etruriae ducis curiae criminalis auditor, cuius *variae reſolutiones & reſponſa* ſeorſum etiam prodierunt *Bononiae* 1691. in fol. *Summa* autem *diuerſorum tractatuum, reſolutiones, cum praxi criminali, ac indice generali,* poſt editionem *colonienſem* edita fuit *Parmae* 1717. VI. Tom. in fol. Vtrique editioni additae fuerunt Guidi Antonii Sabelli, Marci Antonii filii, Jcti & in ſacra atque illuſtriſſima D. Stephani Sereniſſ. Magni Etruriae Ducis, religione Equitis, *acceſſiones innumerae, locis propriis inſertae,* ac inſuper III. Tomis prioribus, *diuerſorum iuris procerum allegationes & deciſiones, varia iuris argumenta* con-

Digitized by Google

concernentes, separatim in calce adiectae. Conf. *Acta Eruditorum* lipsiens. Ann. 1707. p. 547 sqq.

CXI.

Transzlatzion oder tütschungē *des hochgeachten* NICOLAI VON WYLE: *den zyten Statschriber der Stat Esselingen:* etlicher bücher Enee silvii: Pogii florentini: Felicis hemerlin: doctoris. Mit sampt andern Schryfften, dern XVIII. nacheinander vnderschydenlichen mit iren figuren vnd titeln begriffen sint. in fol. folior. 147.

Integer libri oppido rari titulus, sine dubio formis ligno incisis, expressus fuit, cum litterae adeo cohaerent, vt characteribus, quibus typothetae plerumque vtuntur, nulla prorsus ratione fieri id potuerit. Versiones autem & reliqua scripta, quae in vnum corpus redacta, heic reperiuntur, fere omnia, diuerso tempore, seorsum olim prodierant. Expressa est editio, qua vtimur, ad illam, quam Prosper Marchand in *l'histoire de l'origine & des premiers Progrès de l'Imprimerie, à la Haye* 1740. in 4. p. 70. *Stutgardiae* 1478. in fol. prodiisse memorauit. Testis illius rei esse videtur NICOLAI VON WYLE *Vorred an den edlen hochgelerten vnd strengen hern* Jörgen von Absperg *ritter vnd doctor der rechten*, qua opus illi dedicauit. Scripta dicitur illa Stutgardiae anno 1478. (*Geben zu* Stutgarten *vff den fünfften tag des aberöllen* (april) Anno domini MCCCCLXXVIII). Fuit tunc temporis NICOLAVS DE WYLA, cum hanc collectionem versionum suarum ederet, Vlrici, Comitis würtenbergensis & Montis Bellicardi, Cancellarius, Georgius de Absperg autem eiusdem Comitis Praefectus prouinciae supremus. (*Landhofmeister*). Causam qua adduc-

Digitized by Google

ctus, hoc opus in lucem emiserit, hanc fuisse ait: *du hast myn translatz vnd tütschung* boecii de consolacione philosophie *tzu meren malen gelopt vnd mir geraten die gedruckt vsz zegeen lassen. Vnd als ich das dotzemal nit thun mocht, vrsachen halb, daz das letst buch nit gantz zu end gebracht was: rietest du: daz ich doch dann etlich ander myner translatzen vnd schriften: die ich in vergangen zyten vsz schweren vnd zierlichen latin nit on arbeit zu tütsch gebracht hett: wölt lassen trucken vnd vszgeen: vnnd daz die menschen, vil cluger dingen darynn begriffen: vnnd so zewissen gut sind ouch anteilhafftig werden möchten vnnd ir gemüt zu zyten darmit in kurtzwyle ergetzen, wiewol ich nu weisz dero vil syn: die diese myn translaciones schelten vnd mich schimpfieren werden vnd sagen, daz die an vil enden verstentlicher möchten worden gesetzt sin, dann von mir beschehen sey noch dann dynen rat vnnd gut bedunicken nach (die ich acht syn oraculum* appolinis) *so wil ich sölich myn translaciones yetz lassen vszgeen. bis vf* boecium *den ich noch etlicher vrsachen halb wil verhalten* &c. Diluit, & removet a se praeterea nonnullas obiectiones, quibus nonnulli eius versiones impugnauerant. Jam olim se, senatus ciuitatis nurembergensis fuisse secretarium, multosque tunc temporis iuuenes, in arte scribendi instituisse memorat his verbis. *Fürter hort ich einsmals als ich tzu* Nürenberg *ratschriber was: von dem hochgelerten wytverrümpten redner: herrn* Gregorien heimburg *beder rechten doctor: den du allein an kunst wysheit vnd gesprechnüsz yetz tust du vergleychen vnd vns ersetzen (got sey ym barmhertzig) das er sagt: das yetklich tütsch: daszvsz guten zierlichen vnd wolgesätzten latin getzogen vnd recht vnd wol getranszferyeret wer: ouch gut, zierlich tütsch vnd lobswirdig, beissen vnd syn nusz, vnd nit wol verbessert werden möcht. dem allem nach: do mir vor zyten vil wolgeschickter iüngling, erberer vnd fromer lüte kinder ouch etlicher baccalarii von manchen enden her zu tisch in*

myn

myn coſt wurden verdingt: die in obgemelter kunſt ſchribens vnd dichtens zeinſtutewieren zeleren vnd zeunderweyſen &c. In fine eiusdem epiſtolae, ſiue praefationis narrat, qua ratione alius iam ante illum in lucem emiſerit verſionem Boetii *de conſolatione philoſophiae* teutonicam, intellectu admodum difficilem: *ich würd ouch nichtz deſternynder myn translatz* Boecii de conſolacione *gedruckt laſſen vſzgeen, wiewol mir dartzu ſchaden komen wirt. daz nechſt by vier iaren ein andere tranſzlatz deſſelben* boecii *ouch gedruckt vſzgangen, vnd in werdem kouff vertriben worden iſt: Vnnd haben diſer köffern vil gewendt ſöllich trauslatz ſey myn geweſen: nachdem vnd vorgeſagt worden was, das die in myner ſchmitten leg vnd bald vſzgeen ſölt: daſz iſt aber mir dagegen zu troſt: daz ſölicher köffern wenig ſynt, die do ſagent das ſie diſe translatz mercken oder verſteen mügen* &c. Iſtius verſionis, quae in folio edita fuit, iam mentio a nobis facta fuit Tom. I. *Adpar. litter.* p. 245. Leguntur illius in fine haec verba: *Hic liber* Boëcii *de conſolatione philoſophie, in textu, latina alemanicaque lingua refertus ac translatus vna cum apparatu & expoſitione Beati* Thomae de Aquino, *ordinis Praedicatorum, finit feliciter. Anno domini M. CCCC. LXXIII.* (1473) *XXIIII. menſis Julii. Condidit hoc ciuis alumnis* nurembergenſis *opus arte ſua* Antonius Coburger. Conf. Mich. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. I. p. 323. *die Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dresden Tom. I. p. 287 ſqq. vbi nonnullis adlatis ſpeciminibus, NICOLAVM DE WYLA, non iniurioſum fuiſſe in anonymum Boetii interpretem confirmatur, cum caligine multa, eius verſionem laborare pronunciauerit. Verſiones, & opuſcula ab ipſo NICOLAO DE WYLA elucubrata, iam eo perſequemur ordine, quo in collectione noſtra occurrunt.

In der erſten *Translatz von* Euriolo *vnd* Lucrecia *wirt funden ein groſſer fremder Handel einer bulſchaft: da-*

darynn alle eigenſchaft der lieb, dann was die gebüret: beſunder das darinn mer bitterkeit dann ſüſſe, vnd mer leids dann fröden funden werd: darumm die ſey zefliehen vnd zemeyden. Translata fuit Aeneae Syluii *hiſtoria de* Eurialo *&* Lucretia a NICOLAO DE WYLA *zu* Eſſelingen *vff Montag nach dem Sontag Eſto michi des Jares do man tzalet von* Criſti *geburt Tuſent vier huntert vnd im zwey vnd ſechtzigſten Jare* (1462). Hoc enim tempore epiſtola dedicatoria, ad Mechtildem Comitem palatinam, & Archiducis Auſtriae viduam conſcripta fuit. In *Merkwürdigkeiten der königlichen Biblioth. zu* Dresden Tom. I. p. 113 ſqq. recenſetur editio admodum vetuſta in fol. form. minor. figuris ligno inciſis, inconcinnis ornata, cui praefatio, a NICOLAO DE WYLA praemiſſa dicitur, ad Katherinam Auſtriae Duciſſam, & Marchioniſſam badenſem. Eamdem verſionem anno 1560. in 4. emendatiorem prodiiſſe idem teſtatur auctor *der Merkwürdigkeiten der königl. Bibliothek zu* Dresden l. cit. p. 115. De Aeneae Syluii idiomate latino, vid. quae ſupra p. 889 ſqq. diximus, ex quibus etiam ea emendari poterunt, quae leguntur in D. Gottfr. Rudolph Pommers *Sammlungen hiſtoriſcher vnd geographiſcher Merkwürdigkeiten*, quam ex Auctoris autographo edidit Vir Cl. Abraham. Gotth. Kaeſtnerus, *Altenburg.* 1751. in 8. p. 139. vbi, ſub perſona Eurici (Euriali) & Lucretiae, Caſpar Schlickius, *ciuis* ſenenſis, *& eius vxor* latere dicitur. Neque enim Caſpar Schlickius, *ciuis* ſenenſis, neque Lucretia *eius vxor* fuit; ſed amavit Caſp. Schlickius nobilis bohemus, & Imperatoris Sigismundi cancellarius, vxorem cuiusdam ciuis ſenenſis, quem amorem furtiuum ſub Euriali & Lucretiae nomine, Aeneas Syluius litteris conſignaſſe dicitur.

In der andern *Translatz von* Guiſcardo *vnd* Sigismunda: *wirt funden ein leydſamer truriger vſzgang einer bulſchafft vnd groſſer lieb zwüſchen diſen zweyen men-*

Digitized by Google

menſchen: des der vatter Tancredus *ein vrſach was, daz er dieſelben* Sigismundam *ſyn tochter zelang verbielt vnnd nit vßgeben wolt in elicher verbyrung.* Primus hiſtoriam, ſermone hetruſco narrauit Joannes Boccacius, qui illam inſeruit libro, qui inſcribitur *il Decamerone*, vbi conſtituit *nouellam primam della IIII. giornata.* A duobus poſtea viris, iisque doctiſſimis, in linguam latinam conuerſa fuit. Sermone illam expreſſit ligato Philippus Beroaldus. Inſerta fuit illa verſio, titulo *Fabulae* Tancredi, *ex* Boccacio *in latinum verſae*, *Operibus* Philippi Beroaldi ſenioris P. I. fol. XCIII. edit. *aſcenſian.* 1513. in 4. Jam ante illum oratione ſoluta tranſtulerat Leonardus Brunus, arretinus titulo: *de crudeli amoris exitu* Guiſcardi & Sigismundae, Tancredi Salernitanorum *principis filiae, hiſtoria ex* Boccacio *translata.* Prima ſine dubio, iſtius verſionis editio fuit, quae *Turonis in domo Archiepiſcopi an. clocccLXVII.* (1467) *prid. Kal. Januar.* in 4. euulgata dicitur a Michaele Maittaire in *Annal. typogr.* Tom. I. p. 278. not. 1. Conf. V. Cl. Laurentii Mehus Diſſert. *de vita & ſcriptis* Leonardi Bruni, arretini, illius *epiſtolis* praemiſſa p. LXXXI. ſqq. Eadem verſio, ob cauſſam, neſcimus quam, Aeneae Syluii *Operibus* inſerta fuit, & inter *epiſtolas* num. CCCCX. pag. 954 ſqq. edit. *Baſil. Henricpetri* 1551. locum inuenit, id quod Aegidium Menagium eo adduxit, vt in *Antibaillet* P. III. p. 166. edit. *Amſterd.* 1725. in 8. iſtius verſionis, Aeneam Syluium faceret perperam auctorem. Conf. Bernard de la Monnoye *Remarques* ad h. Menagii l. & Niceron *Memoires* Tom. XXV. p. 293. Leonardi Bruni verſione, vſus eſt in narranda Boccacii hiſtoria, NICOLAVS DE WYLA, quod ipſe retulit in praefatione ad Carolum, Marchionem badenſem, & Comitem ſpanhemenſem vbi ait: *vßz dem buch* Bochacii --- *hat vor vil iaren der hochgelert man* Franciſcus Petrarcha *die Hyſtory von* griſelde *lutend vßſer dem* welſchen *zu* latin *verkert: wie dann euwer gnade die ſelben hiſtory nachmals*

aber

aber von dem latin *zu* tütſchen *gebracht von mir hat gehört. Sydher iſt durch den hochgelerten man* Leonardum aretinum *vſſer dem obgemelten buch die hiſtory von* Sigismunda *ſagende: vnd aber von eim andern gelerten die hiſtory von* Marina *lutend ouch zu* latin *gebracht worden. Vnd wann dieſelben hochgelerten mann beducht hat, ſölich hiſtorien der Arbyt wert ſyn, das ſy zu* latiniſcher *zungen geſetzt wurden, ſo hab ich gemeint ſich wol gebüren das die von dem* latin *zu* tütſche *ouch gemacht wurden vmb das ob ützit darinn kurtzwyligs, böſlichs oder gutes wer, das die* tütſchen *des vnberoubet ouch teylhafftig werden möchten.* Quo tempore a NICOLAO DE WYLA haec verſio confecta fuerit, hac in editione non commemoratur. De eiusdem hiſtoriae interpretibus gallicis, ſcilicet Franciſco Haberto d'Yſſoudun, Richardo le Blanc, & duobus anonymis vid. Niceron *Memoires* Tom. XXXIII. p. 66 ſqq.

In der dritten *translatz wirt funden ein getruwer nutzlicher rat wie ein menſch der vf der bulſchaft in vnordenlicher lieb gebunden vnd gefangen iſt, ſich dero müg ledigen vnd die band ſyner gefengknüſz brechen mit mancherley warnungen leeren vnd vnderwyſungen hiertzu dienende.* Verſio eſt *epiſtolae*, quam Aeneas Syluius ad Nicolaum wartenburgenſem, *de remedio amoris* ſcripſit. In Collectione *epiſtolarum* Aeneae Syluii CVI. eſt *epiſtola*, & in editione *baſileenſi operum* p. 607 ſqq. legitur. Conf. quae ſupra p. 894. diximus. Duplicem illi NICOLAVS DE WYLA epiſtolam praefixit, vtramque ad Mechtilden, quam iam nominauimus Comitem palatinam Rheni ſcriptam, alteram *vff ſant Matheus abent als man nach* Chriſtus *geburt zalt tuſent vierhundert vnd ym eins vnd ſechtzigoſten Jare*, alteram eodem anno *ſexta poſt Mathei.* Poſterioris epiſtolae initio, haec leguntur verba: — *vnnd als eüwer fürſtlich gnad, vff myn erbieten euch nechſt ſchrifftlich getan, yetz durch eüwer gnaden cantzler*

Digitized by Google

rer meister Jörgen *rat an mich begert hat: ob ich ichtz loblichs oder kurtzwyligs von dem* latin *zu* tütsch *gebracht het, oder noch bringen wurd: euch daz zu mittheilen, nichtz möcht von mir beschehen gefolligers eüwern gnaden &c. hab ich jetz nechst vom* latin *zu* tütsch *gebracht, wie yetz vnser heiligester vater vnd herre, her* pius *babst* der ander, *vor etlichen iaren da er in niederer würde gesessen vnd* eneas *genennet was, eynem syner gutten fründen eyet vnnd heylsam leer vnnd vnderwysung gab: wie er sich des iochs der herten eigenschafft der liebe (damit er bestetigt was) möcht ledigen, vnd daruon fry vnd sicher entrynnen. Das ich eüwern gnaden so vil vngerner schick, als vilmer scheltens wyplicher bildung vnd grobkeit etlicher worten darinn werden vermerckt. Aber eüwer fürtreffend hoch vernunft versteet vnd merckt sölichs zu erfolgung des darumb sölich leer geben wirt sich nottürftenclich geburen* &c. Defendit in eadem epistola, mulieres, contra nonnullas maleuolorum obiectiones, & criminationes.

In der vierden: *Als dem rychsten vnd mechtigsten der cristenheit burger* Cosmo de medicis *zu* florentz *die statt verbotten ward, vnd er syns ratz vnnd gewalts daselbs entsetzt &c. wirt funden ein costlicher trost von* Pogio florentino *dem selben* Cosmo *gegeben: Vnd das er das eins vesten gemütz tragen söll: dann was das glück geb, müch es ouch nemen &c.* Cum Cosmus de Medicis, Magnus, Joannis filius, vrbe florentina anno 1433. expelleretur, *epistolam* ad eum scripsit Poggius Braceiolinus consolatoriam, quae in collectione *Operum* Poggii, inter *epistolas* P. II. fol. 118 b. sqq. edit. *argentinens.* 1513. in 4. form. mai. legitur. E latino, in teutonicum sermonem illam conuertit NICOLAVS DE WYLA anno 1461. Testatur id epistola dedicatoria, ad Carolum Marchionem badensem, vbi inter alia ait: *als* Cosmas de Medicis *wylant seines gewaltes entsetzet von der stat* florentz

Digitized by Google

renz *mit on betrueppüsz seins gemütes: vszgetryben vnd verbotten ward sand ym der hochgelert man* Pogius florentinus *zu trost ein* latinisch *geschrift die nach mynem beduncken ander menschen, sölichs mit fleisz lesend vnd merckende, ouch billich nit cleinen trost in söllichen iren beschwerungen geberen sölt. Dwyle mir aber diser vergangner vasnacht irrung halb vnsers rats vnd gerichts, etlich clein zyt der musse verliben gewesen ist: so meint ich besser vnd loblicher getan sein, solich zyt zevertriben mit erber arbeit, dann mit springen vnd tantzen: damit ich doch nun mer keinen hanen gewynnen möcht* &c.

In der funften *Translatz wirt funden ob ein wirt gest ladende, danck sagen söll synen gesten daz sy komen syen: oder billicher die gest dem wirt, das sy geladt vnd von ym wol gespeyset syen.* In Poggii *Historia tripartita,* quae *tres* continet *bistorias disceptatiuas conuiuales*, Tom. I. *Operum* fol. 14 sqq. haec prima est, & inscribitur titulo: *Vter alteri gratias debeat pro conuiuio impenso: an qui vocatur: an qui vocat.* Versionem dicauit NICOLAVS DE WYLA *dem fürnemen wysen vnd milten man hern* Johansen fünfer, *des hochgebornen gnedigen herren graf* vlrichs *zu* wirttenberg &c. *Cantzler. Vf Montag nach sant gallen tag &c. Anno. domini M. CCCC. LXII.* (1462).

In der sechsten *Translatz wirt funden ein disputatz vnd zwytracht zwyschen tryen wysen mennern*, Pogium florentinum, Nicolaum Nicolai, *vnd* Carolum aretinum, *ob ein alten mann zymm ein eewyb zenemen, ein iungfraw, wytwe, oder ein altes wyb, was vsz deren yetlichen entspring, vnnd wie man sich darinn halten sol.* In Poggii *operibus*, quae *Argentinae* an. 1513. euulgata fuerunt, haec disceptatio locum non inuenit. Poggius illam ad Cosmum de Medicis scripsit. Versioni suae, consolationem satis prolixam anteire iussit interpres, *an dem ersamen vnd wysen* hein-

Digitized by Google

heinrichen Efinger *burger vnd des ratt zu* Zürich, *synen liben vetter*, cuius vxor mortua fuerat. Illum initio hisce compellat verbis: *Betrübt ist dyn gemüt, vnd mit tieffer wunden verwundet: vnd nit vnbillich lieber vetter. Dann dir ist (als ich vernimm) tods abgangen dyn elich husfraw: die ich hab erkennt syn vnder küschen frawen die küscheste, vnder wysen die wyseste, vnd vnder demütigen die demutigeste. In ir synt gewesen wollust, nutz, vnd erberkeit: mit ir ist dir gewesen ein tisch, ein seckel, ein bett, was dir gefiel, was ir zu hertzen: vsz dynem angesicht nam sie lachen vnd weinen. Darumb ich für ander weisz was leids dir vsz iren tod ist entstanden: vnd ich dir verwandt bynn, so mag ich nit mit dir truren* &c. Scripta est haec epistola consolatoria *vf sant Lucientag. Anno domini Millesimo quadringentesimo sexagesimo tercio* (1463).

In der sibenden *translatz find man Alsz der* grosz alexander *die stat* Athenas *belegert hat vnd ym begert XXIIII. der elsten vsz dem rat zegeben &c. was von dem* Athenischen *geantwort ward, vnd durch ire wysheit syn zorn gestellet vnd gelescbet. Vnd werden hie ingezogen dry furnem wyser menner,* Eschenes, Demosthenes *vnd* Demas, *mit einander, redende vnd ratschlagend.* Ex latino, nescimus cuius, hanc declamationem transtulit NICOLAVS, & inscripsit nomine Georgii, Consiliarii Mechtildis Austriae archiducissae. Adiunxit isti versioni, cui finem imposuit *vff dem mey abent anno LX quinto* (1465) *ein lere hushablichs dings von* sant Bernharten *gesetzt*, quam rogat, vt suo nomine Mechtildi offerre velit. Constituit haec posterior versio in collectione *die*

Achte *Translatz, in der wirt funden wie* sant bernhart *synem bruder* reymundo *ritter vnderwysung geben hat wie er syn husz vnnd huszgesind wyb vnd kynder, dienstknecht und megt regieren, erkennen vnd halten söll.* Perperam haec epistola tribuitur Bernhardo,

Abbati claraevallensi, Bernhardus Sylvester, carnotensis, scripsit illam ad *gratiosum & felicem militem* H. Raymundum, *castri* ambrosii. In editionibus *operum* Bernhardi claraevallensis, antiquioribus locum invenit, sed iam in editione *basileensi* 1566. in fol. vero suo auctori col. 1381. restituta fuit. Conf. Jo. Alb. Fabricii *Bibliothec. med. & inf. Lat.* L. II. p. 593 sqq. 697 sqq.

In der IX. *von den* kollharten *vnd* beguden: *vnd wem daz armusen zegeben sey: vnd ob die priester daz armusen oder iren ritterlichen solde: vnd was sy irer pfrunden halb zethund pflichtig syen: vnd besunder ob* cristus *das armusen genommen hab oder nit.* Ex latino Felicis Malleoli, siue Hemmerlini, hoc opusculum in sermonem teutonicum conuersum fuit. Legitur in eius *variae oblectationis opusculis, & tractatibus*, quos descripsimus in *Analectis litterar. de libris rarioribus* p. 434 sqq. fol. 4 sqq. Praefationem praemisit NICOLAVS DE WYLA *der berumpt tütschvszleger*, vt se ipse vocat, ad Margarethan natam Sabaudiae Ducissam, Comitem würtenbergensem. Cum omnis fere praefatio, quae anno 1464. die Sancti Conradi scripta est, elogium continet Felicis Malleoli, & sine dubio idem opusculum est, de quo Auctores *der* heluetischen *Bibliothek* P. I. *Zürich* 1735. in 8. vbi p. 1---107. Felicis Malleoli legitur *vita*, hac ratione p. 58. scribunt: *vielleicht könnten wir einige nähere Nachrichten von* Malleoli *letztern Jahren mittheilen, wenn wir der* Lobschrift, *so* NICOLAVS VON WEIL *schon im funfzehenden Seculo von ihm in offentlichen Druck ausgegeben hat, hätten habhafft werden können*, illam integram, omissis iis, quae ad Felicem Hemmerlinum non spectant, heic inferimus. *Doctor* felix hemmerlin (*dem gott wöll genedig vnd barmhertzig syn*) *ist gewesen probst zu* solotorn, *senger zu* zürich, *chorherre zu* zofingen, *beder rechten vnd der heiligen geschrift wolgelert, nytliches gutes rych,*

rych, vnd der kunſt, (als hernach folgt) gytig vnd arm; vnd doch dero beder der milteſt denn ich ye hab erkennet. Des gutes darumb rych: dann er ſtund des benügig, vnd wolt nit arm leben vmb das er rych ſturb. Vnd der kunſt darumb arm: dann wie vil er dero mit ernſtigen ſtudieren lernt, ſo beducht yn doch alwegen des zelützel ſyn, vnd ym hier an gebrechen, vnd ſtund wyter in ſteter begird vnd übung ſölichs noch zeerfölgen. Aber darumb der milteſt, vnd des erſten ſyns guts halb: dann er teglichs allen armen menſchen ſyn hufz ſuchend daz armuſen vſzeillet, glych einer teglichen ſpend. Vnd on daz ſo was ouch ſyn tiſch ſtetz gezieret mit erbern geſten: die ym dann vnberuft ſelbs komend lieber waren dann berufet. Welche er dann ouch nit allein mit gnuoglichen eſſen vnd trincken, ſunder ouch mit ſüſſen büpſchen ſchwencken, reden hiſtorien, Cronicken, argumenten vnd andern yetz ſchimpflich, dann ernſtlich (wie gelegenheit der geſten daz erfordert) alſo ſpyſet vnd erfüret, daz niemant yn einiſt hörende, nit inuſt zu ym günſtigen willen empfahen, vnd begird han yn mer vnd oft gehören. Item vnnd fürter darumb der milteſt ſyner kunſt: Dann ſo balt er die ſiben zyt (die wir nennent horas canonicas) in dem ſtifft zu zürich mit ſingen vnd leſen (dartzu er dann alwegen der erſt, vnd darvon der hynderſt vnd letſte was) mit andacht volbracht hat: ſo gab er die übergen zyt leſung vnd übung der geſchrift: eintweders (als vorgemelt wirt) etwas ſtudierend, oder etwas ſamelnd vnd ſchribend: daſz vsgegeben andern lüten nutz vnd frucht bringen möcht. So offt ein arm menſch zu ym kam rats begerende, den rat geteilt er ym getrulich mit: vnd machet den ouch geſchrift brief vnd anders zu der notdurft gehörig: vnd begert des keinen ſold noch lon anders dann etwann von eim buren dryer oder vierer pfennig wert hanffſamens ſynen vögeln. dero er ſtetz vber iar eine groſſe zal in ſyner libery ſingend, vnd vnderwylen daſelbſt iung ziehend fliegen hat. So tet er ouch ſyn bü-

cher (dero ich ob dritthalb hundert gezelet hab) niemant erbern durch lernens willen die entlehnende verſagen. Geſanges, gemeldes vnd aller künſten hüpſtkeit vnd afentüren iſt er geweſen ein groſſer liebhaber, vnd wolt ouch des yetelichs ſelbs ettwaſ können als vil er des mocht begryfen, alſo daſz ich nit weiſz yetz einchen menſchen vnſer landen ym in diſen tugenden allen mit einander zeglychen. Dyſer man --- hat gemachet --- vil löblicher kurtzer bucher vnd tractaten: namlich eins von den lolharten vnd begynen, *vnd* von denen die mit ſtarcken müglichen lyben das armuſen nement. *Item eins* von dem gotzdienſt\in der kirchen gottes zevolbringen. *Item eins* von boſzheit der richtern. *Eins* von handlung koufens vnd verkouffens: *vnd aber eins* von dem iubel iar vnd von ablaſz der ſünden. *Ouch eins* von den warmen bedern: *vnd zuletſt eins* von dem adel. *Von dem ſelben mir ſichrer zegedencken dann daruon vil zeſchriben. Mit dyſen ſynen ſchriften er ſynen namen vnder den gelerten vnd* latiniſchen *menſchen der ewigkeit geben hat; alſo das er todt lebet vnd ſyn nymmer nier wirt vergeſſen. Wyl er aber mir zezyten do ich zu* zurich *ſchulmeyſter was, vnd ouch ſydher mer guttes gethan hat, dann mir nach vater vnd muter von einchem menſchen ye beſcheben ſey: des ich dann ym tötten gern danckbar ſyn wölt: ſo bab ich ſyn erſtes büchlin* von den ſtarcken wolmügenden bettlern *getütſchet vmb das ſynes namens vnder den leyen vnd* tütſchen *ouch ſyner lobrichen wercken nit mynder dann vnder den* latiniſchen *werd vergeſſen* &c. Dialogum Felicis Hemmerlini, contra validos mendicantes, in linguam teutonicam conuerſum inſeruit etiam Melchior Goldaſtus *denen politiſchen Reichshaendeln* P. XVIIII. p. 768. titulo: *ein rechtsgegründeter Dialogus wieder die Bettelmönche im heil.* röm. *Reiche.*

In der X. *an den durchlychtigen hertzog* ſigmunden *von* oeſterrych *geſtellet &c. wirt funden ein rat zu lernung*

Digitized by Google

nung der geſchriften vnd was nutzes vnd frucht hiervon entſteen mügen. Aeneas Syluius ſcripſit hanc *epiſtolam ad illuſtriſſimam Principem, ex ſanguine Cæſarum ſatum, Domin.* Sigismundum Auſtriae &c. *dominum ſuum ſecundarium.* In *Operibus* Aeneae Syluii CV. eſt, & p. 600 ſqq. hoc titulo exſtat *Tibizando poetae ſcribunt ex ratione etiam principibus.* In vſum principum filiorum, Caroli, Marchionis badenſis NICOLAVS DE WYLA illam conuertit, & cum exemplari latino, & epiſtola, ad Carolum patrem miſit.

In der XI. wie: vnd warumb zu zyten des conſilis (concilii) *zu* Coſtenz *meiſter* Hieronimus *ein iünger meiſters* hanſen huſſen *verbrennt ward als ein ketzer des gloubens, vnd was ſchoener red er tet.* Poggii Bracciolini *epiſtola*, ſiue deſcriptio *de* Hieronymi pragenſis *haeretici obitu & ſupplicio*, ad Leonardum Brunum aretinum, ſaepiſſime latine exſcripta, & in varias linguas conuerſa fuit. vid. quae Tom. I. p. 685 ſqq. diximus. In *Operibus* Poggii legitur Tom. II. fol. 114. b. ſqq. inter *epiſtolas*. Verſio NICOLAI DE WYLA, ad Eberhardum Comitem würtembergenſem ſcripta eſt. Elegantior & concinnior eſt verſio teutonica, quam Tom. I. l. cit. in 4. ſine loci, anni, & typographi facto indicio, in lucem prodiiſſe memoraiimus.

In der XII. wirt funden wie Enee filuio *trömet: daz er in das rych der küngin frow glück komen wer: vnnd wie er da ſehe vnd erkant den ſtand vnd weſen der gantzen welt: vnd was diſe küngin mit ym vnd er mit ir redten des glücks halb. Vnd wer, wie, vnd durch was man diſer küngin glück aller beldeſt möcht erwerben.* In praefatione ſcripta anno 1468. *vf frytag nach vnſers herren fronlychnam tag*, ad Mechtildem, quam ſemel iterum, ſaepiusque nominauimus, verſionis auctor nonnulla de conſuetudine veterum & recentiorum poetarum inuocandi, in carminibus fortunam, quam appellat *ein ſchnelle vnverwante geſchicht zufallender*

Digitized by Google

dingen, disputat. De recentioribus poetis, inter quos & Leopoldum Austriae Ducem nominat, hac ratione scribit: *Demnach ouch wir yetzigen menschen das selb glück oft anrüfent vmb hilf vnd gunst vns mit zeteeilen. Als etwan tet der hochgeborn durlüchtig fürst hertzog Lüppolt von oesterrych &c. in einem lied, das syn gnad macht von einer fürstin die yn vermehelt zugebracht werden solt. Darynn er sprichet:* Kum glück, vnd thu dyn hilf dartzu: syd ich nit ruw hab spat noch fru *&c. Vnd aber einer noch in lebend vnd eüwern gnaden bekant ouch in einem liede von syner eelichen husfrawen gemacht:* Hilff glück das es schier füge sich, das mir gebe fröd die mynnenclich *&c. Vnd deszglychen vil ander vnd on zale in irem anligen das selb glück vmb hilff besprechent vnd anruffent, als ob es sey ein ding vnd des macht vnd gewalt habende. So hat der hochgelert poet* Eneas Siluius *den obgemelten poeten vnd Oratoren nachfolgende einen trome, den er einsmals von der obgenanten küngin vnd irem ryche gehept hat, in costlichem latin beschryben. Welchen trome ich vor etlichen iarent do ich von eüwern fürstlichen gnaden beruffet in dem* wiltbade *badet, müntlich in* tütscher *zungen (als vil ich des in myner gedechtnusz behalten hat) üwer durlüchtikeit sagt vnd vszlegt. Vnd siddemmal eüwer gnade nach mynem beduncken dotzemal sölichen trome girig was zehören vnd des gefallen hat: das ich by dem marckt, das ich durch eüwer genaden enpfelch etlichen andern von nüwen dorkomenden edeln mannen vnd frawen sölichen trome ouch sagen must. Wyle ich dann vernym eüwer gnade yetz in dem* wiltbade *aber baden, vnnd ich vsz gnaden mir von eüwer tugend rycher güttigkeit manig faltenclich bewysen erkenn mich selbs schuldig syn euch zu zefügen, was ich verstünd eüwern gnaden in sölichem bade kurtzwyle bringen mügen, so hab ich denselben trome vsz dem genelten latin dem buchstaben nach in ein besser tütsch gebracht, dann ich vor hab müntlich können sagen* &c. In *operibus* Aeneae Syluii inuenitur haec *epistola ad* Procopium

copium de Rabenſtain *militem litteratum & praeſtantem* ſcripta num. CIIX. p. 611 ſqq.

In der XIII. *von den guldin eſel* Luciani: *wie ein menſch vf der buſery durch zoubery verkert ward in einen Eſel vnd derſelb in ym behielt menſchlich Vernunft, vnd ein gantz Jar ein eſel bleib.* Poggius e graeco Λουκιου ἢ ὄνος Luciani, quem NICOLAVS DE WYLA in praefatione, ad Eberhardum Comitem würtembergenſem, *einen allereltеſten poeten* adpellat, in latinum ſermonem conuerterat, quae verſio in *Operibus* Poggii Tom. I. fol. 52. b. ſqq. occurrit. Ex hac Poggii verſione illum, omiſſis tamen, quae obſcoena illi viſa fuerunt, in vernaculam linguam tranſtulit. In praefatione valde longa inquirit, an homines artibus magicis, beſtiarum & animalium formas induere queant, & an eiusmodi exempla, ab auctoribus prolata, omnino ita acciderint, aut allegoriae illa potius ſint. Hanc quidem Luciani *de aſino aureo*, & aliorum de hominum in beſtias transformatione fabulam, allegoriam eſſe putat, non tamen dubitat, quin etiam incantationibus & artibus magicis haec talia effici queant. Rem confirmat exemplo, quod homo quidam in anſerem ſilueſtrem mutatus fuerit. En! verba ipſa: *Söllen wir ſagen das dyſe Ding nit zegloubeu ſyen: ſo findt man lüt die yetz ſagent: daz ſie ſöliche ding nit allein glouplich gehört, ſunder dero warlich ynnen worden ſyen. Dann wir ſelbs in* Italia *deſzglychen von einer gegne deſſelben lands haben hören ſagen, daz etliche wyber dyſer böſen kunſt gelert vnd daſelbs des vichs pflegend, gewon weren in keſen zegeben den menſchen zeeſſen, das die ouch zu ſyhe wurden, vnd alle der wyber notdürftige ding trügent dahin ſie die gern haben wölten: vnd wenn das volbracht worden were, das ſie dann widerumb zu menſchen wurden. das ynen noch dann in ſölicher verkerung blyb menſchlich vernunft, das ynen die nit wurd genommen. Als* apuleius *in den buch das er nennet vnd intitulieret* den guldin eſel *eintweders warlich*

neyget, oder ſtifft vnd erdichtet ym ſelbs beſchehen ſyn, das er durch innemung etlicher gyft zu eim eſel wurd: vnnd ym doch belyb menſchlich gemüt vnnd vernunfft. Diſz ſint die wort ſant Auguſtins. *Ich wil aber --- wyter ouch eins byntzu ſetzen: daz ich einsmals von herrn* micheln von pfullendorf *dotzemal keiſerlichen kammerſchriber gehört han. Der ſelb ſagt mir vnd vil andern by ym ob einen tiſch ſitzend: daz ein wirt vnd gaſtgeb in einer ſtatt eer vnd gut habend by ſynen trüwen hoch vnnd türe redte, das er durch gemechte einer frawen lenger dann ein gantzes iare ein wilde ganſze geweſen were, mit andern ſöllichen genſen vmbſliegend: als lang bis einsmals ein ganſzs in eim gezenck vnd kampf ym von geſchicht ab ſynem hals ryſſe etlich gemechte vnd noubery ym in einem tüchlin angeſtrickt.*

In der XIIII. *findet man ein zier koſtliche red vnd widerred von dem adel, was der ſey, vnd woher er kom mit antzeigung mancherley exempeln vnd byſtorien alter dingen die fremd vnd luſtlich ſint zehören.* Deſcripſimus Tom. I. p. 404 ſqq. Bonacurſi de Montemagno, Jureconſulti, oratoris, & poetae piſtorienſis, Itali, *orationes de vera nobilitate, magis a virtute, quam diuiciis orta,* quas veluti ab adoleſcentibus duobus Publio Cornelio, & Flamineo peroratas, Seculo XVI. in lucem edidit. Et haec ipſae illae ſunt *orationes*, quas NICOLAVS DE WYLA, omiſſo auctoris nomine, teutonice expreſſit, Sturgardiae an. 1470. & Eberhardo Comiti würtenbergenſi dicauit.

In der XV. *zwen loblich troſt des bochgelerten mans* franciſci petrarche. *Des erſtem einem der mit vnſchuld ſiner eren von dem püfel angelogen wirt. In dem andern ein troſt einem dem ſyn elich huſzfrawe geſtorben iſt.* Nemini Franciſci Petrarchae liber *de remediis vtriusque fortunae*, qui in omnes fere linguas vſitatiores translatus fuit, incognitus eſſe poterit. NICOLAVS DE WYLA illum conuertendum promiſſerat Mech-

Digitized by Google

Mechtildi, cum Boblingae (*Boeblingen*) morbus grassaretur pestilentialis, quo multi homines correpti perierant. Nonnullam in praefatione morae & cunctationis profert excusationem, quod scilicet per aliquod temporis spatium in aula caesarea illi commorandum fuerit. De variis libri editionibus, & versionibus vid. Niceron *Memoires* Tom. XXIIX. p. 384 sqq. *die Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dresden Tom. I. p. 265 sqq.

In der XVI. *schrift vnd die kein translatz ist: wird funden lob der frawen wie die frawen alltzyt übertreffentlich gewesen synt.* Auctor hoc opusculum suum dicauit *der edlen frawen fraw* Vrsulen von Absperg *geborn* von Seckendorff *lanthofmeisterin* &c. Caussam, qua adductus fuit, vt anno 1474. illud componeret, his ipse initio exposuit verbis: *Nechst hab ich dem edeln vnd hochgelerten herrn* Jörgen von absperg *ritter doctor vnd lanthofmeister des hochgebornen herren* Vlrichs *grafen zu* wirtemberg — *üwerm eelichen husswirt: gelüchen ein geschrift die ich verstee üch zu üwern handen komt, vnd doch missfellig gewesen syn: Vmb das darinn etwas sleet zu vnlob wyplichs geslechts reichend. Deszhalb ir mir by üweren schwager hexrn* karol von absperg *entbotten hant: üch etlich schrift zuschicken: die als vil die manner schelten tüg, als vil die vorig schrift die wyber. Vsz diser üwer botschaft ich mercken musz: Mich in dysen Ding von üwerm adel verdacht syn: als ob ich dasselbig gedicht selbs gemacht hab, geneigt, zu scheltung der frawen, daz mich so viel mer beleydiget, als vil mer ich weysz mich des vnschuldig vnd zu allen zyten syn wyteres alles lobs vnd eeren wypliches geschlechts*, &c. & in fine pergit: *Vsz disen mynem lob der frawen ir edle fraw hofmeisterin wol merken mügen myn vnschuld. Vnd daz opgemelt gedicht üch nüszfellig, nit vsz myner schmitten, sunder vsz eines andern (üwerm buszwirt basz dann mir bekannt) gegangen syn. Das ich darum üwerm adel ützit*

ſchicken wöll arges von mannen immaſſen ir begert bant, mein ich nit not ſyn &c. Ex multis ſcriptoribus feminarum, virtute, ſapientia, doctrina, eruditione, & pietate conſpicuarum exempla excerpſit, & in lucem emiſit. Agmen claudunt, quae Auctoris temporibus vixerunt Hyppolita, regina Arragoniae, Barbara, Marchioniſſa Mantuae, Blanca Maria, Duciſſa mediolanenſis, Eleonora, Friderici III. Imperatoris coniux, Catharina, Marchionis badenſis Coniux, & Mechtildis, Archiducis Auſtriae vidua, de cuius inſigni ſapientia tale protulit documentum. *Ich rugk heruf vnnd fürgee vil fürſtin: villicht nit minder groſſes lobs wert aber mir, vnbekant vnd kum in* ſchwaben *do ein fürſtin iſt namlich fraw* mechilt (Mechtild) *geborne pfaltzgreuin by* ryne *vnnd ertzhertzogin zu* oeſterych *wytwe, ein groſſe liebhaberin aller künſten: dero guter künde aller wyſzheit tugend vnd menſchlichkeit ſo groſz iſt: das der (in maſſen ich vor eins mals von ir ouch geſchriben han) mit loben nit mag werden gemeret noch mit ſchelten: gemyndert. aber noch dann mag ich mit ſchwygen nitt fürgeen ein ding ſo mir einsmals von iren gnaden begegnet: in byweſen etlicher edeln. Ir gnaden fragent mich ob ich ir noch nit gerütſchet hett das büchlin* ſenece von den ſitten. *das ich iren gnaden vor oft hat gerümet. Ich antwort, nein. des vrſach ſagend: daz ieh etwas darinn fund das ich nit gnug verſtund, villich gebruchh halb myner kunſt: oder vnim das es vnrecht geſchriben ſtünd. vnd als ſy fragt was das were Sagt ich es ſtünd alſo* (Si vis omnibus eſſe notus, fac prius neminem noueris) *das nach dem buchſtaben lutet,* Wilt du yederman ſyn bekant ſo mach vor daz du niemant bekenneſt. *Von ſtund an cleines ſchwygen ſtillhalten vnd bedencken: tet ire gnad diſe wort widerum melden* (wilt du yederman ſyn bekant, ſo mach vor daz du niemant bekenneſt) *vnd redt daruf.* Ich mein es hab vf im diſe meinung (wilt du yederman ſyn bekant) *Das iſt* Wilt du das mengklich gutz von dir ſag (So mach vor das du niemant bekenneſt).

Das

Digitized by Google

Das iſt, ſo richt dich vor dartzu: das du yedermans dingen müſſig ſtandeſt, dich vſzwendiger ding nit bekümerſt vnd allein ein benügen habeſt an dir ſelbs: hie durch wirſt du mengklichen bekannt. *O höhe ſcharpfe vernunft in wyplichen hertzen. Ich hab ſidher doctores der heiligen geſchrift gefragt vnd funden daz ir gnad mir (als das ſprüchwort iſt) all myne keſz hat ab erraten. Ir gnad hat mir ein tochter in iren gezymber erzogen: das ich nit wölt die zyt dafür in eym cloſter geformierter ſchweſter geſtanden ſyn.* Extulit praeterea laudibus duas principes, alteram Sabaudiae, alteram brandeburgenſem, quae vtraque tunc temporis, in aula würtembergenſi commorabatur.

In der XVII. *wirt funden ein zierlich red von* pogio florentino *gethan vor collegio* (collegio) *der Cardinelen zu zyten als habſt* Nicolaus *zu* rom *erwelet ward zu eim habſt.* Inter *orationes varias* Poggii haec quinta eſt, & exſtat Tom. I. *Oper.* fol. 108 ſqq. Verſio ab auctore conſecrata fuit *dem erwirdigen in gott vatter vnd herren hern* Johanſen *abt des gotzhuſes* Salmanswyler, *des ordens von zitel* coſtenzer *biſtums.* Scripta eſt epiſtola dedicatoria Stutgardiae anno 1478. Vltimum in collectione occupat locum

die XIIX. *ſchrift: die ouch kein translatz iſt: in der werden funden etlich vnderwyſungen von überſchriften, wie man die gebürlich thun mög. ouch wie etlich gewonheiten hierynn ſyen die billicher myſzbruche dann gewonheit genennet wurden, vnd billicher vermitten dann gehebet.* &c. Agitur in hoc opuſculo, quod NICOLAVS DE WYLA, ad Joannem Harſcher, ciuem & ſenatorem vlmenſem, anno 1478. *vf den XVIII. tag des hornungs Indictione XI.* ſcripſit, de orthographia tunc temporis vſitata, & de iis, quae in epiſtolarum titulis, & aliis ſic dictis *curialibus* obſeruari debeant. Eſt autem hoc poſterius opuſculum, ipſum illud, quod elogio ſuo commendauit Theodoricus Greſemundus iunior,

Digitized by Google

iunior, in *peroratione*, quibusdam Valerii Probi, & Pomponii libellis adiecta. Conf. *Adparat. litterar.* Tom. I. p. 719. Prodidit in illo NICOLAVS DE WYLA patriam suam, seque Bremgardiae, (*Bremgarten*) in Argouia (*Ergow*) natum esse scribit. In fine memorat, quod M. Tullii Ciceronis *colores rhetoricales* e latino conuerterit, & *arteni*, sic dictam, *notariatus* composuerit: *dann ich* Colores rhetoricales: *das ist* die farben vnd zierung hofliches dichtens, *von* Marco tulio cicerone *gesetzt: allzu tütsch transferyrt, vnnd bracht hab. vnd dartzu mer etwas nutzlichs vnd gutes, das* notariate *antreffen, setzen will: das alles lassen truken vnd vszgeen: vmb das myne translation, die ich gemacht han, desser bas verstanden, vnd die zierlicheit vnd farben, darin begriffen eigendlich gemercke werden mugen* &c.

Et haec sunt omnia quae in collectione reperiuntur, quam ideo paullo luculentius descripsimus, quod illa admodum est rara, & auctor in *lexico eruditorum* omissus fuit. Editionis tempus, in fine eiusmodi verbis designatur: *Flyszigclichen geordnet, vnd getruckt* Johannes Bryse: *Burger tzu* Straszburg: *tzum Thiergarten. Vff Sant Johans enthouptung tage. Anno domini M. CCCCCX.* (1510). Cuilibet translationi aut opusculo, figura praemittitur, ab artifice non satis perito, ligno incisa. Erunt fortasse inter lectores nostros, qui vnum alterumue versionum specimen desiderauerint. Illi autem desiderium suum satis & abunde explere poterunt, si ea euoluerint, quae supra p. 891 sqq. excerpsimus, cum Aeneae Siluii *historiam de duobus amantibus*, Eurialo & Lucretia descripsimus.

Digitized by Google

CXII.

JOANNIS TAVLERI *des heiligen lerers* Predig, faſt fruchtbar zu eim recht chriſtlichen leben. Deren Predigen gar nah hie in diſem buch des halb teyls meer ſeynd dann in andern vorgetruckten büchern, die man ſydhar mit der hilff gots funden hat, Der ſeyn wort yetzt wider erweckt vnd aller welt verkündt. *Getruckt zu Baſel Anno M. D. XXI.* (1521) in fol. folior. 318. ſi titulum, indicem, & Tauleri vitam folior. 20. non numeraueris.

Editio haec, teſte *Catalogo Bibliothecae* ſaltheniae p. 216. inter rariſſimas referri meretur. Complectitur illa *ſermones* CXCVIIII. (199), qui partim diebus dominicalibus, partim feſtis, & diebus in memoriam ſanctorum & apoſtolorum, ſolemni ritu celebratis, partim alia quadam occaſione recitati fuerunt. Praefationem illis praemiſit typographus, quae legitur in ſecunda tituli pagina, & eiusmodi verbis concepta eſt:

Adam Petri *dem chriſtlichen Leſer*
S.

Alsdann min ſondere neygung bißzhar allezyt geweſen vnd noch, der heiligen geſchrifft liebhabern nutz vnnd fürderung höher zu ſchetzen, weder alles das ſo mir ſunſt zu eroberung zytlichen guts, villicht wyther hett mögen reichenn. Von wölcher neygung, hat mich weder müh, arbeit noch groſſer coſt, (ſo ettliche offt vnnd dick ab derglychen fürnemen getryben hatt) ouch ſunſt keyn widerwertigkeyt, bringen noch bewegen mögenn. Sonders mit hilff des Almechtigen, will ich in ſöllicher meynung, ſo lang ich leb, vnd in minem vermögen ſyn wirt, für vnd für beharren, vnd mich kheiner arbeit bedurren laſſen, damitt ich allen frommen chriſten, etlichermaſz zu

hilff

bilff khommen, vnnd gute vſzerleſene Bücher, jnen zu troſt, an tag bringen mög. Dem allem nach, hab ich, o chriſtlicher Leſer vnder andern beylſamen Chriſtlichen vnnd evangeliſchen Büchern (ſo den Ariſtotelem, *auch das geſpenſt vnnd falſche vnderwyſung etlicher phariſeiſchen vnd verkerten lerern gentzlich verwerffen). Eins erkundet, vnd newlichen vffs flyſſigeſt myns vermögens getruckt. Namlich diſe geiſtliche im Evangelio vnd* Paulo *wolgegründte Sermones, des Hochgelerten vnnd wytberümpten der heiligen gſchrifft Lerers* JOANNIS TAVLERI. *Vſz wölchem, mag ein yeder, iung vnnd alt, gelert vnnd vngelert, ſchöpffen vnd vernemen, wie er chriſtliche Ordnung verſtan, vnd dero gelehen, vnnd volgen ſoll. Inſonders wie man im geyſt leben vnnd ſich mitt Gott verſünen mag, durch erſuchung eygner gewyſſen vnnd vfferhebung des Gemüts in Gott. Diſe vnnd andere geyſtliche frucht vnd heilſame underwyſung, wirdſt du (o Chriſtlicher Leſer) vnd mengklich ſo das Buch durchliſzt, on allen zwifel befinden, guter hoffnung vnd zuuerſicht, du vnd andere werden diſe myn arbeit vnnd trüwlich angekerten flyſz, danckbarlich vnd im beſten vffnemen. Datum zu* Baſel *Anno M. D. XXI. Menſe Auguſto.* Sequitur praefationem *Ein regiſter vnd anzeigen aller predigen des erleuchten lerers* JOAN. TAVLERI, *geſetzt nach Ordnung der zeytt, kürtzlich begreiffend, was man vff ein yeglich feſt, vnd heiligen tag predigen oder leſen mag.* Iſtum indicem excipit *Hiſtoria vnd leben Doctor* JOAN. TAVLERI, quae hac ratione inſcribitur: *Hye nach volget die hyſtoria vnnd das lebenn des erwürdigen doctors* JOHANNIS TAVLERI. *Die ouch in ir begryfft gar vil guter leren vnnd predigenn, Wie vnd was vrſachen, er kommen ſey zu ſolchem ſeynem hochgeiſtlichen vnnd erlüchten ſtatt durch den vnnd in dem er ſo vil nutzes vnd frucht des göttlichen wortes mit der hilff gottes zu wegen bracht vnd geſchafft hat das er nit vnbillich etlichenn der aller fürnemſten leren vnd predigen der chriſtlichen kirchenn vergleicht werden mag.* Sermones ipſi his inchoantur verbis

verbis in noſtra editione: *Der erſt teil der predig des hochgelerten vnd wyrdigen vatters erlüchten lerers der heyligen geſchrifft, Doctor* IOANNIS TAVLERII. *Die da anzeigen den rechten grund eines waren chriſtlichen lebens, gegründt vſz der heilgen geſchrifft vnd etlicher fürnemen heiligen lerer, vſz denen er (als ein gewürbigs bynle) daz allerſüſſeſt honig geiſtlicher volkomenheit, zuſamengeleſen, vnd zu fruchtbaren nutz vieler menſchen geprediget hat.* Folio CCXLII. a. Sermonibus, qui plerumque TAVLERO adſcribuntur, imponitur finis, eodemque folio b. oculis haec talia obiiciuntur verba: *Folgen hernach etlich gar ſubtil vnd trefflich koſtlich predigen etlicher vaſt gelertter andechtiger vätter vnd lerern, auſz denen man achtet Doctorem* TAVLER *etwas ſeins grundes genommen haben. Namlich vnd inſonders meiſter* ECKARTS (*den er vnderweyſen in ſeinen predigen meldet*) *der ein fürtreffenlich hochgelerter man geweſen iſt, vnd in ſubtilikeyten natürlicher vnd gottlicher kunſten ſo hoch bericht das vil gelerter leüt zu ſeinen zeitten jn nit wol verſtunden, Deſzhalb ſeiner ler ein teyl auch in etlichen ſtücken vnd artikeln verworffen iſt. vnd noch von einfeltigen menſchen gewarſamlich geleſen werden ſol. Wiewol hiebar in diſz buch mit fleiſz nüt geſetzet iſt, dann das gemeinlich wol verſtanden vnd erlitten werden mag, Das iſt ein teil ſeiner ler vnd predig, darauſz man ſpüren mög, wie gelert vnd ſubtil er geweſen ſey, vnnd vff was grund all ſein ler vnd predig (wie Doctor* TAVLERS) *geeüſtnet geweſen ſey. Hieruor man weyter mercken mag, daz vorzeyten (doch nit als yetz) auch gelert leut geweſen ſeyen in allerhand künſten die auch in* teutſchen *landen geſchinen haben.* Libro tandem typographus finem impoſuit eiusmodi verbis: *Hie endet ſich die lere vnd predigen deſz erleuchten vnd hochgelerten lerers* IOHANNIS TAVLERI, *mit groſſer Arbeit zuſamen geleſen, vnd mit dem beſten corrigieret. Allen chriſten beſunder geiſtlichen leutten zu nutz vnd fürdrung irs Chriſtlichen fürnemens. Auch*

zu

Digitized by Google

zu lob vnd ere gott dem allmechtigen, vnd allem hymliſchen here. Nuwlich durch angebung deſz fürſichtigen weiſen herren Johann Rynman *gedruckt vnd volendet in der loblichen ſtatt* Baſel *durch* Adam Petri, *im Augſtmonat, nach der geburt vnſers Erlöſers M. D. XXI.* (1521).

De JOANNE TAVLERO, *Theologo*, vt paſſim dicitur, *illuminato*, Germano, Ordinis Praedicatorum argentoratenſi, defuncto Argentorati anno 1361. vid. praeter *vitam* ſermonibus adpoſitam, & praeter alios ſcriptores, Anton. Poſſeuini *Adparatus ſacer* Tom. II. p. 252 ſqq. Henric. Wharton *Adpendix ad* Guil. Cave *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſtic.* p. 44. Natal. Alexandri *Hiſtoria eccleſ. Setul. XIII. & XIIII.* Tom. VII. Cap. V. Artic V. p. 159. edit. *pariſin.* 1699. Godofredi Arnoldi *Kirchen- vnd Ketzerhiſtorie* P. I. L. XIIII. Cap. III. §. 11. p. 384. Eiusd. *Hiſtorie vnd Beſchreibung der myſtiſchen Theologie, oder geheimen Gottes-Gelehrheit wie auch derer alten vnd neuen Myſticorum, Frankfurt.* 1703. in 8. Cap. XXI. num. LXVI. p. 404 ſqq. Martini Ruari *Epiſtolae* Tom. I. epiſtol. 3. p. 10. epiſt. 5. p. 25. epiſt. 6. p. 43. ep. 8. p. 62. edit. *Amſtelod.* 1677. in 8. Pier. Baile *Dictionaire* Tom. IIII. p. 2698. Jo. Franc. Buddei *Iſagoge hiſtorico-theologic.* P. I. p. 682 ſqq. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. VIIII. p. 437 ſqq. Georg. Friderici Heupelii *Memoria* JOANNIS TAVLERI *inſtaurata & loco exercitii academici exhibita, Viteberg.* 1688. in 4. Recentioribus temporibus *opera* JOANNIS TAVLERI omnia, teutonice euulgata fuerunt *Francof.* 1621. in 4. Ad illam editionem exſcripta fuit, ea, quae hunc praefixum habet titulum: *Des hocherleuchten vnd weitberühmten Lehrers* D. JOH. TAVLERI *Predigten, auf alle Sonn- vnd Feyertage durchs gantze Jahr, ſo zu rechtmäſſiger Anſtellung, vnd beharrlicher Fortſetzung eines gottſeligen Lebens vnd guten Gewiſſens ſehr nütz- vnd dienlich ſind. In die*

Digitized by Google

die hochteutſche Sprach treulich vnd fleiſſig überſetzet: Deſſen Vrſachen der chriſtliche Leſer in der Vorrede berichtet wird. Worzu noch in dieſer Edition angehängt werden, 1) *das arme Leben* Chriſti, 2) *Medulla animae,* 3) *Teutſche Theologia,* 4) Thomae a Kempis *Nachfolgung* Chriſti. 5) *Geiſtreiche Betrachtungen oder Andachts-Ubungen, über das Leben vnd Leyden vnſers Erlöſers* Jeſu Chriſti. 6) *Wie der Menſch möge ernſthafftig, innig Geiſtlich, vnd Gottſchauend werden, vnd dann* 7) *Eine auſzführliche Lebensbeſchreibung deſz heiligen Lehrers* TAVLERI. *Ingleichen auch was* D. Luth. Phil. Melanchth. Joh. Arndt, *vnd andere geiſtreiche Lehrer von dieſen Predigten, als auch deſſelben Schrifften gehalten, beweiſen ihre beygefügte Zeugniſſe. Auch iſt dieſer neuen Edition noch beygefügt eine Vorrede Herrn* D. Philipp Jacob Speners. *Franckfurt am Mayn Gedruckt vnd verlegt von Philipp Fievet, Buchdr. vnd Händler, im Jahr* 1692. in 4. Acceſſerunt editioni, figuris ligno inciſis ornatae, praeter libellos in titulo memoratos, *zwey alte geiſtreiche Bücblein Doctor* Johannis von Staupitz, *weiland Abts zu* Salzburg, *zu* S. Peter. *Das erſte von der holdſeligen Liebe Gottes. Das ander Von vnſern chriſtlichen Glauben, zur Erweckung der Liebe Gottes, vnd Vermehrung des Glaubens, in allen Gottſeligen Hertzen. Durch* Johannem Arnd, *weiland General-Superintendenten des Fürſtenthums* Lüneburg *publicirt.* Repetita fuit editio *Francof.* 1705. in 4. Exſtant etiam editiones *colonienſ.* 1720. in 4. & *halenſ.* 1720. in 4.

ECCARDVS, cuius *ſermones* in noſtra editione adiiciuntur, Saxo-teutonicus fuiſſe dicitur, monachus Ordinis Praedicatorum, in Auſtria anno 1329. defunctus, vbi *docendo & praedicando*, Joan. Trithemio teſte, *de Scriptor. eccleſ.* Cap. DXXXVII. p. 130. edit. Jo. Alb. Fabricii, *famoſiſſimus eſt habitus.* Idem praeterea Trithemius, illum hoc ornauit elogio: *Vir in*

diuinis ſcripturis eruditus, & in philoſophia ariſtotelica *omnium ſuo tempore doctiſſimus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio, ſed dum nimis philoſophiam inſequens, nouitatem terminorum, contra theologorum conſuetudinem, vbique curioſe immiſcuit, varios errores induxit, inter quos decem & ſeptem exſtant articuli, a ſummo pontifice damnati, & per eundem magiſtrum* ECCARDVM *in fine vitae reuocati, quorum in* expoſitione *ſua* ſuper euangelium Joannis *multi continentur. Denique magiſtri theologicae facultatis, gymnaſii* heidelbergenſis *Anno Domini MCDXXX. eosdem errores, cum quibusdam aliis publice condemnatos denunciarunt. Vndecim autem articuli tanquam ſuſpecti, relicti ſunt, qui omnes ſeorſum opuſculis eius, adponi ad cautelam conſueuerunt. Nihilominus vbi catholice ſcripſit, ſatis profunda & vtilia dogmata dedit.* Talia quoque Trithemii verbis retulit Anton. Poſſeuinus in *Adparat. ſacr.* Tom. I. p. 429. Conf. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. V. p. 237 ſqq. Gottfr. Arnolds *Hiſtorie vnd Beſchreibung der myſtiſchen Theologie* Cap. XXI. num. LXVII. p. 412. Cum vero ille Jo. Henr. Vrſinum in *Analect. ſacris* L. II. p. 143 ſqq. teſtem de ECCARDO producit, fallitur: nam omnia quae l. cit. leguntur, non ad ECCARDVM, ſed ad Nicolaum de Flue, ſiue de Rupe, heluetium, Eremitam celeberrimum ſpectant. A Natal. Alexandro in *Hiſtor. Eccleſ. Secul. XIII. & XIIII.* Tom. VII. Cap. III. Artic. XII. p. 103 ſqq. viginti octo recenſentur errores, quos ſuis concionibus, ſcriptisque vulgauit ECCARDVS, vt compertum fuit, ex quaeſtione, in ipſum habita, primum ab Henrico, Archipraeſule colonienſi, deinde coram Joanne XXII. Pontifice romano, qui illos ex Doctorum, & Cardinalium ſententia, *partim ex verborum ſono, & ex connexione ſententiarum, labem haereſeos continere, partim male ſonare, temerarios eſſe, ac de haereſi ſuſpectos, licet cum multis expoſitionibus ac ſuppletionibus, ſenſum catholicum formare valeant,*

ent, vel habere pronunciauit, librosque ideo ECCARDI, apostolica auctoritate damnauit. Exhibuit quoque istos errores, e litteris Joannis XXII. ex regesto eiusdem Pontificis, descriptis Odoricus Rainaldus ad ann. MCCCXVIIII. num. 70. Tom. XV. Annal. p. 389. Quam subtilis vero iste ECCARDVS fuerit concionator, lectores nostri, e specimine, quod in primo statim *sermone* occurrit, nostrae editionis fol. CCXLII. b. excerpto, probe diiudicent --- *Sant* Pauls *spricht, Got wonet in einem liecht, da niemant zukomen mag. Er spricht Got ist ein liecht, do nit zugangs ist, zu gott ist kein zugang, wer wider vffgat noch zunemmend ist on gnaden vnd on liechte, der kam noch nie in Gott. Got ist nit ein zunemend licht, man mufz mit dem zunemenden dar sein kommen. In dem zunemende sicht man gottes nicht. Sol gott gesehen werden, das mufz geschehen in eim liecht, das got selber ist. Ein meister spricht, In got ist nit minder noch me, noch daz vnd das. Dieweil wir in dem zugangk seind, so kommen wir nit daryn. Nun spricht er, Ein liecht vom himmel vmbschein jn* (scilicet Paullum, Sermo enim agit de conuersione Paulli, ad Actor. IIX.) *Da meinet er, was seiner seel icht was, das ward vmbgriffen. Ein meister spricht, das in disem liecht, alle die krefft der sel überhüpfen, vnd erhöhen sich die eussern sinne, damit wir sehen vnd hören, Vnd die inwendigen sinn die wir gedencke heissen, wie weyt die seyent vnd wie grundlosz, das ist wunder, Als wol gedenck ich über mer, als hie bey mir, Vber die gedencken ist vernünftigkeyt, als sy noch suchend ist. Sy gat all vmb vnd suchet, sy laufstert har vnd dar, vnd ir gat zu vnd ab. Vber die vernunfftigkeyt die da suchend ist, so ist ein vernunfftigkeit die da nit suchet, die statt in irem lautern einfeltigen wesen das da begreiffen ist in dem liecht. Vnd ich spriech, das in disem liechte, alle die krefft der seel sich erhöhent. Die sinn entspringent in die gedanke, wie hoch vnd wie grundtlosz die seind das weisz niemant,*

maut dann got vnd die ſeel. Es ſprechen vnſere meiſter, vnd iſt ein ſchwere frag, Das die engel nit wiſſent die gedencke, ſy brechen auſz, vnd die gedencke ſpringen denn in die vernünfftikeit, als die vernünfftikeit ſuchent iſt, Vnd die vernünfftigkeit die da ſuchen iſt, ſpringet in die vernünfftikeit die da nit ſuchend iſt, die da ein lauter licht in ir ſelber iſt. Das liecht begreifft alle kreffte der ſel in ſich. Darumb ſpricht er, Das liecht vom himmel vmbſchein jn &c. Cui quaeſumus haec lumina, claritatis ſuae fulgore, non offundant tenebras?

CXIII.

Sermones CONTRACTI de tempore & ſanctis per totum annum vna cum communi ſanctorum vtiliſſimo & cum aliquot ſermonibus de beata virgine. De religioſis. De dedicatione. & ceteris. mirifice legentem deuotione afficientes. ad predicandum propter ſeriem & modum procedendi captabiles facillimique veteris teſtamenti miſtica-tionem in medium lucide deducentes & noui graciam ſalutemue iocunde nunciantes non minus vulgi corda in penitentie tramitem ſponte allicientes foeliciter incipiunt. in folio folior. 352.

Hac ratione inchoatur liber, cuius auctor pauciſſimis nomine cognitus, multo minus liber ipſe conſpectus fuit. Vix ſane vnum alterumue deprehendimus auctorem, qui JOANNIS CONTRACTI fecerit mentionem. Joſias Simlerus in *Bibliotheca* p. 357. haec pauca habet: JOANNIS CONTRACTI ſermones de coena domini. *Putatur vixiſſe circa annum* 1373. Paullo prolixior eſt Antonius Poſſeuinus, qui in *Adparat. ſacr.* Tom. II. p. 162. ſcribit: JOANNES

Digitized by Google

NES CONTRACTVS, Belga, *Ord. minorum, ſcripſit libros ſat vberes* Concionum, *quas olim excudit* Joannes Roelhof (Koelhof) Lubecenſis. *Extabant in Bibliotheca* Franciſcanorum lubecenſium. Antonii Poſſeuini veſtigia legiſſe videtur Joannes Franciſc. Foppens, qui Tom. II. *Biblioth.* belgicae p. 620. idem παρέραμα in typographi nomine admiſit, cum ſcribit. JOANNES CONTRACTVS, Belga, Ordinis Minorum, *ſcripſit* Sermones *vberes*, *ad Populum; excuſos iam olim per* colonienſes *&* toloſanos, *typis* Joannis Roelhoff, *fol.* Alii ſcriptores, qui catalogos & bibliothecas contexuerunt, illius nomen ſilentio transmiſerunt; In Jo. Alb. Fabricii *Bibliotheca med. & infim. Latinitat.* & in *Lexico eruditorum* nihil de eo invenimus. Ipſa, quam Anton. Poſſeuinus, & Jo. Franc. Foppens memorat, editio, ante oculos verſatur. E bibliotheca portenſi publica, nobiſcum communicata fuit. In fine leguntur talia verba: *Sermones* JOHANNIS CONTRACTI *ordinis Minorum, ad populum fructuoſe predicabiles opera magna correcti Impreſſique per me* Johannem Koelhoff de Lubeck Colon. *ciuem foeliciter expliciunt.* His autem verbis, manu cuiusdam adſcriptum legimus, auctoris proprium & patrium nomen, qui JOANNES KORTZ adpellatus fuiſſe dicitur. Alius praeterea notam addidit, qua librum anno Chriſti circiter 1479. editum eſſe perhibet. Fol. 281 ſqq. legitur *ſermo de animabus*, cuius particula, propterea quod ipſe ſermo, e codice mendoſo exſcriptus fuit, in fine codicis conſpicitur adiecta, hoc titulo: *Hoc quod ſequitur complementum eſt ſermonis de animabus, quod propter mendoſitatem exemplaris accidit. vide ibi.* Illi *complemento*, adponitur *omnium ſermonum index.*

Digitized by Google

CXIIII.

Directorium ſacerdotale. in fol. folior. 104.

Inſignis libri raritas, ex eo colligi poterit, quod pauci admodum ſcriptores, illius, & auctoris, tali quidem ratione fecerint mentionem, vt in propatulo ſit, illos, librum oculis minime conſpexiſſe. Auctor eſt JOANNES PFEFFER ſiue PHEFFER, de Wydenberg, natione Teutonicus, patria Francus orientalis, *vir*, vt Joannes Trithemius *de Scriptorib. eccleſ.* Cap. DCCCLXXXIIX. p. 211. edit. Jo. Alb. Fabricii, ait, *in diuinis ſcripturis, longo ſtudio eruditus, & in ſeculari philoſophia, egregie doctus, ingenio excellens, vita, & conuerſatione deuotus, manſuetus, & praeclarus.* Primum in academia heidelbergenſi docuerat, poſtea autem, cum friburgenſe gymnaſium conderetur, inter theologiae profeſſores primus obtinuit locum, & theologiam, in ea vrbe, per plurimos annos docuit. Praeter Trithemium, id teſtatur codicis ſubſcriptio, quae hiſce verbis concepta eſt: *Magiſter* JOHANNES PFEFFER de Wydenberg, *ſacre theologie Profeſſor ſtudii vniuerſalis* Friburgenſis *inicium hoc concepit & legit regiſtrum compleuit Anno domini M. CCCCLXXXII.* (1482) *Vigilia Thome Apoſtoli.* Mortuus dicitur a Jo. Trithemio Cap. CCXXXV. *de Scriptor.* Germaniae, anno 1494. Conf. Joſ. Simleri *Bibliotheca* p. 405. Sixti ſenenſis *Bibliotheca ſancta* L. IIII. p. 289. edit. *colonienſ.* 1576. in fol. qui illum *vitembergenſem* adpellat, & ideo notatus fuit ab Antonio Poſſeuino in *Adparat. ſacr.* Tom. II. p. 238. Jacobi le Long *Biblioth. ſacr.* Tom. II. p. 902. Jo. Albert. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. VIIII. p. 333.

Hi quidem, quos nominauimus, viri, *Directorii ſacerdotalis* faciunt mentionem, ſed neutrum, euolviſſe librum ipſum, ex eo colligimus, quod illum

Com-

Digitized by Google

Commentarium in epistolas Paulli *omnes* esse prodiderint, cum tamen ipse auctor, initio statim voluminis, ea quae scripserit, & publice praelegerit, ad *epistolas* tantummodo Paulli *ad* Timotheum, & Titum spectare, disertis verbis pronunciauerit. *Circa lecturam*, inquit, *epistularum beati apostoli* pauli *Ad* thymotheum *& ad* Tytum *libuit pro maiori eorum que ibi dicta & dicenda sunt declaracione diuino concurrente opitulamine aliquod* sacerdotale directorium *pauli-sper concipere. & deo dante legendo studiosius in medium deducere. Et quoniam inprimis apostolus instruit & docet* thymotheum *de statu episcopali Ideo primo de illo videtur dicendum premittendo quedam generalia* de statu in communi *secundo* de statu sacerdotali. tam curatorum quam non curatorum. *Vt ergo materia hec expeditientiori modo possit haberi in modum & formam dubiorum concipere. hanc proposui. diuidendo in* tredecim partes *&* partes *in* paragravos *&c.* Errant praeterea Sixtus senensis, & Antonius Posseuinus Il. citt. qui opus *quatuordecim* absolui *partibus*, siue libris, scribunt, quod ab Auctore in *tredecim* tantummodo *partes* diuisum fuit. Quo tempore illud in lucem prodierit, ignoramus; Annus enim M. CCCC. LXXXII. qui in subscriptione, oculis se obfert, tempus sine dubio designat, quo vltimam auctor operi imposuit manum. Litteris exscriptum est gothicis satis luculentis, initialibus autem, siue florentibus litteris, & titulo destituitur, quod indicium est, id opus seculo XV. eoulgatum esse. Partem primam praecedit *index* duplex, quorum alter indicat, quot paragraphos quaelibet pars contineat; alter vero res, per tredecim partes pertractatas, ordine alphabetico ob oculos ponit? In *Lexico eruditorum* IOANNIS PFEFFER nomen quaesiuimus, sed non inuenimus.

Digitized by Google

CXV.

Tractatus iam nouiter compilatus de materiis diuersis indulgenciarum *per doctissimum ac famosissimum virum dominum* JOHANNEM PHEFFER *widenberg Sacre theologieque professorem eximium Ac alme vniuersitatis studii friburgensis ordinarium* feliciter incipit. in fol. folior. 46.

Hac ratione inscribitur liber, qui, illum quem modo descripsimus, raritate longe superat, cum nulli scriptori, cuius nomen adduximus, innotuisse videtur. Omnes quidem JOANNEM PFEFFER, *opuscula quaedam praeclara* conscripsisse referunt, sed eorum titulos, silentio plane praetereunt. Qua, auctor, caussa fuerit impulsus, vt hoc opus compilaret, hisce initio exposuit verbis: *Anno domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo* (1480) *indulgentie fuerunt* friburgensis *parochiali ecclesie pro erectione noui chori & aliis necessariis ecclesie ornamentis a summo & sanctissimo apostolice sedis papa* Sixto quarto *per Triennium misericorditer concesse. Ac alias per dei ecclesiam diuersis ex causis habundanter sint multiplicate. Et quia quamplurimi proprie existimacionis fantasie ducti. circa eas frequenter decipiuntur & incaute alios loquendo. aut docendo decipiunt. Vtile iudicaui aliqua de hac materia diuina assistente gracia. sed maiorum meorum sententias annotare & in nouem questiones principales illam materiam restringere.* Nouem autem quaestiones, quas pertractat tales sunt. I. *Vtrum indulgentie sint ponende?* II. *Vtrum diffinicio indulgencie sit bona qua dicitur indulgencia est remissio pene temporalis debite pro peccatis actualibus &c.* III. *Vtrum papa vniuersalem habens potestatem dandi indulgenciam possit cuilibet homini communicare eam?* IIII. *Vtrum indulgencie tantum valeant quantum sonant id est tantum annunciantur aut valere predicantur.*

Digitized by Google

tur. V. *Vtrum ſicut papa plenariam aut pleniſſimam habeat indulgenciam dare ita & inferioribus ſe ſcilicet epiſcopis habeat indulgenciam communicare?* VI. *Vtrum in anno iubileo conuenienter detur omnibus* Romam *pro gracia indulgenciarum viſitantibus remiſſio plenaria aut pleniſſima de peccatis eorum omnibus?* VII. *Vtrum ſicut papa ſolum pro actibus exterioribus ac temporalibus rebus habeat indulgenciam dare ſolum habentibus voluntatem dandi ſicut dantibus aliquid temporale?* IIX. *Vtrum ſicut exiſtentes in mortali peccato indulgenciam a papa datam recipiant, ita cruce ſignati morientes cum firmo propoſito transfretandi eandem acquirant?* VIIII. *Vtrum papa dans indulgenciam illis qui ſunt in purgatorio poſſit facere quod vni eorum cicius quam alteri detur liberacio?* Adpendicis loco, operi ſuo adiecit JOANNES PFEFFER 1) *Bullam* papae Bonifacii IIX. *iubilei*, promulgatam Romae apud S. Petrum anno 1299. XIII. Kal. Mart. pontificatus anno ſexto. 2) *Bullam iubilei* Clementis VI. Eſt haec *bulla* quam Clemens VI. ob morbum peſtilentialem, qui Romae graſſabatur, promulgaſſe dicitur, eadem, quam Baluzius aliique ſuppoſititiam eſſe ſtatuunt, ob locum, qui in exemplari noſtro, hac ratione legitur: *Concedimus ſi vere confeſſus in via moriatur quod ab omnibus peccatis ſuis ſit innocuis penitus & abſolutus. Et nichilominus mandamus angelis paradiſi, quatenus animam illius, a purgatorio penitus abſolutam* (in) *paradiſi gloriam introducant.* Conf. Gregor. Rothfiſcheri *Ablaß vnd Jubeliahr, Regensb.* 1751. in 4. P. I. Sect. III. §. 416. p. 770 ſqq. 3) Eiusdem Clementis VI. *bullam*, quam dedit Auenione an. 1343. VI. Kal. Februar. anno pontificatus ſui primo. 4) *Bullam anni iubelei* Paulli II. anno 1470. XIII. Kal. Mai. pontificatus anno ſexto. 5) *Bullam iubilei* Sixti IIII. an. 1472. VII. Kal. april. anno pontificatus primo. His *bullis* pontificum romanorum acceſſit

Digitized by Google

6) *Tractatus Jubilei editus & compilatus per reverendum patrem vtriusque iuris in orbe monarcham dominum* JOHANNEM DE ANANIA *Archidia.* Bononiens. *In anno domini milleſimo. CCCC. L.* (1450) *praecedente in apoſtulatu domino* Nicolao quinto *quem tractatum compoſuit dum ordinarie* Bononie *legebat titulum de crimine falſi.* JOANNES DE ANANIA, Archidiaconus, & Profeſſor iuris canonici, bononienſis, cognomen a Latii vrbe, quam patriam adeptus eſt, accepit. Gentilitio nomine illum ideo, quod infimo loco natus eſſet, carere exiſtimat Guidus Panzirolus *de claris legum interpretib.* L. III. Cap. XXXIIII. §. XLV. p. 358. vbi illum & tali elogio ornauit: *Vir magnae religionis fuiſſe creditur, qui nullo vnquam negotio, vel lectionibus publicis, ſe adeo occupari permiſit, vt aut praeſcriptas preces, aut ſacra intermitteret. Quin etiam ſcrupuloſae conſtientiae habitus eſt.* Bartholomaeus Soc[illegible]nus *virum magnae ſcientiae & conſcientiae adpell[illegible].* Ex ſchola eius proceſſerunt, Jureconſulti clariſſimi Alexander de Imola, Andreas Barbatius, Alexander de Tartagnis, aliique plures. Poſteriorem in primis adeo prae ceteris dilexit, vt illi filiam ſuam in matrimonium collocaret. Mortuus dicitur anno aetatis LXX. quo vero tempore id acciderit, non ſatis conſtat. Guidus Panzirolus annum 1458. illi fuiſſe emortualem refert, ſed Joan. Fichardus in *vitis Jureconſultor. recentior.* p. 424. Jo. Bapt. de Caccialupis in *Hiſtoria interpret. & gloſſator. iuris* p. 509. Joſ. Simlerus in *Bibliotheca* p. 336. Aubert. Miraeus in *Auctar. de Scriptor. eccleſ.* Cap. CDLXII. p. 86. Anton. Poſſeuinus in *Adparat. ſacr.* Tom. II. p. 105. Henr. Wharton in *Adpend. ad* Guil. Caue *Hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſ.* p. 120. illum anno 1455. obiiſſe contendunt. Conf. de illo Marci Mantuae Benauidii *Epitome viror. illuſtr.* Cap. CXXXIIII. p. 471. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Lat.* L. VIIII. p. 133. In Nicolai Burtii *elogio* Bononiae, in Jo. Gerh. Meuſchenii *vitis ſummorum*

Digitized by Google

morum dignitate & eruditione virer. Tom. III. p. 89. hoc de illo legitur distichon:

Canonis arte valens multum quoque ANANIA *sacris*
Accumulat dictis, plurima scripta tibi.

In Bononia autem *illustrata*, idem Burtius, apud Meuschenium l. cit. Tom. II. p. 167. eiusmodi in eum scripsit elogium: *Addendus est* JOANNES DE ANANIA, *iuris pontificii ornatissimus; qui primo vxoratus, debinc defuncta vxore Archidiaconus* bononiensis *effectus, quique & patrimonium suum, pauperibus, viduis, & orphanis subueniens, erogauit; templa quoque diuina reparauit. Quippe post* consilia *ab eo edita vna duntaxat* lectura super V. decretalium *interpretando, (fere omne ius canonicum, dictaque doctorum singularia in vnum complectens) me (Bononiam) haud sine laude immortali decoratam reliquit. In cuius laude haec carmina in templo religionis Seruorum* (Templum Seruorum, in honorem virginis Mariae dedicatum, *Maria de' Servi*, & a JOAN. ANANIA restauratum) *vbi sepultus, inscripta sunt:*

Sol fuit hic Sophiae, fuit orbis ANANIA *nostri*
Numen: & in nullo sic iacet en tumulo.
Iussit & hoc moriens JOANNES *vir sacer. Este*
Immortalis: humo gloria non tegitur.

Tractatus illius *de indulgentiis*, in nostra editione, quae litteris gothicis, in eadem officina excusa videtur, e qua *Directorium sacerdotale* prodiit, duo tantummodo folia implet. Omni libro imponitur finis, *tabula*, vt vocatur, *abcdaria*.

CXVI.

Digitized by Google

CXVI.

Rosetum exercitiorum spiritualium & sacrarum meditationum: in quo etiam habetur materia predicabilis per totius anni circulum. Recognitum penitus & auctum multis. Presertim primo & vltimo titulis: per ipsius *authorem (qui dum vita manebat temporalis nominari voluit) venerabilem patrem* JOANNEM MAVBVRNVM: *natione Bruxellen. Vita autem & professione regularem seu Canonicum ex institutione diui patris Augustini cuius obseruantissimam egit vitam prius in celeberrimo cenobio Montis sancte Agnetis Traiecten. diocesis Deinde in Francia in regali abbatia diui Seuerini iuxta castrum Nantonis: in qua regularem (que multis retro annis penitus corruerat) restituit disciplinam. Postremo in Liuriacensi monasterio in quo cum (expulsis inde irreformatis moribus) Canonici regularisque obseruationis viros: cum eisque aliquanto tempore vixisset Abbatis functus officio honorifice sepultus est.*

Carmen de nomine & laude Roseti

Nosse volens dictus cur sit liber iste Rosetum
Hoc epigramma breue lector amice nota.
Nempe velut circum peracutis sentibus horrent
Et tamen eximio flore roseta nitent:
Sic liber aspectu licet horridulus videatur:
Praecipuos fructus proferet iste tibi.
Vtque rosae primum granoso cortice clausae
Viscere paulatim se reserare solent.
Sic complexa breui prius hic res carmine quaeque

Quo

Quo melius teneas: hoc magis ipſa patent.
Floribus eſt iisdem duplex genus: hoc rubet: illud
Candicat: at dulce fragrat vtrunque nimis:
Haud ſecus hic rutilo nunc mens ardeſcere amore
Nunc candere ſacris actibus inſtruitur.
Denique virtutes ſunt. effectusque roſarum
Complures: huic qui conueniunt operi
Scilicet exornant: confortant: exhilarantque
Olfactum recreant: inualidosque iuuant.
Carpe roſas igitur quae non marceſcere norunt
Illas inuenies hoc (mihi crede) libro.

Carmen Aſcenſianum de eodem

Eſt roſa peſtano ſub bis vernante roſeto
Plurima: ſed prima defluit illa die.
Eſt roſa MAVBVRNIS quam plurima nata ſub hortis
Et venti & ſolis vim domitura grauis
Vtquam nec Boreae penetrabile frigus aduret:
Nec phaetontaeis currus adactus equis.
Hinc igitur tibi carpe roſas: ſtudioſe viator
Quae te conſeruent: concilientque Deo.

Inſtauratum eſt hoc religioſiſſimum opus Impenſis Johannis parui & Joannis Scabelerii vulgo dicti wettenſchire. Venditurque ab eis ſub Leone argenteo & inſigni Baſileenſi, in vico ſancti Jacobi. in fol. folior. 344.

Inter

Digitized by Google

Inter romanae ecclesiae doctores, non incelebre est nomen JOANNIS DE MAVBVRNE, quem alii MAMBVRNVM siue MOMBVRNVM, alii MAVBENVM siue MABVENVM adpellant. Quo loco ille vixerit, in titulo, qui longum post se verborum, more ascensiano, trahit syrma, iam expositum fuit. Illum seculo XV. exeunte, & initio Seculi XVI. vixisse, praeter Gerard. Joan. Vossium *de Histor. latin.* L. III. Cap. X. p. 581. adnotauit Joannes Francisc. Foppens in *Bibliothec.* belgic. Tom. II. p. 688. vbi retulit, quod JOANNES DE VINEA, JOANNES DE BRVXELLA, & JOANNES TEMPORALIS nonnunquam adpellatus fuerit. Emendatione igitur indigent, quae in Josiae Simleri *Biblioth.* leguntur, vbi p. 148. JOANNES DE BRVXELLIS & p. 395. JOANNES MAVBVRNVS, qui ibidem perperam Maulbornus adpellatur, velut viri diuersi adducuntur. *Rosetum* in *duas partes principales*, quamlibet partem, in *quatuor distinctiones*, distinctiones in *titulos*, titulos in *capita*, quae *alphabeta* vocat, alphabeta in *membra*, membra in *paragraphos*, & illos nonnunquam in *notulas* quasdam distinxit.

Prima pars, vt auctoris verbis vtamur, *principalis, actiuae vitae, de inuenienda materia exercitiorum religiosorum & meditationum sacrarum agit, & incipientibus vel maxime subseruit, & tradit exercitia omni & tempori & actioni, & loco accommodata circa quae praecipue incipientium est obseruari.* I. illius partis *distinctio*, exponit *de exercitiis in genere.* II. *de exercitiis dominicalibus & festiualibus in genere.* III. *de exercitiis mentis.* IIII. *de insertione virtutum.*

Secunda pars principalis, agit de meditabilibus & ita pertinet ad vitam contemplatiuam. Nam in illa sacrarum meditationum modus, formulae, & materiae congeruntur, quae proficientibus conuenire putantur. Quatuor etiam distinctiones habet, quarum I. agit *de meditatione in genere, & meditabilibus de Deo.* II. habet

bet *meditabilia de beata virgine.* III. est *de angelis & sanctis,* & IIII. habet *meditabilia, de regionibus & exercitiis, in suprema regione.* Illi adiicitur *Philocaumarium, id est inflammatorium amoris diuini, in quo perfectiores inuenient, quae circa flammigeras affectiones, & mentium in Deum inflammationes vacare & intendere habent.* Editum illud *rosetum* iam fuerat *Basileae* an. 1491. vid. Michael. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. I. p. 541. Quod autem pretium isti editioni statuendum fuerit, JOANNIS MAVBVRNI quemlibet docere poterunt verba, quae initio huius secundae editionis leguntur: *Rude & inemendatissimum truncum pariter & imperfectum collectarium* Rosetum *nostrum: quod super me obnitente & inuito editum est; atque impressoria arte dispersum in auras grauissimorum atque religiosissimorum virorum: crebra atque improba efflagitatione: vel tandem communis vtilitatis & charitatis amore castigaturi: & in consummationem atque perfectionem (vt autoritas habet) qualemcunque daturi: in hoc premonitos pios lectores velim: vt & in diterius editionis prologo promissum est atque protestatum: collectarium istud esse & humile opus: non docendi gratia (procul presumptio tanta) sed solum occasione afferendae pietatis: etiam reluctante me & pertinacius obsistente: relictis tenebris ab aliis datum in lucem. quo factum est, vt tanta scateat seu librariorum incuria: vel castigatorum inaduertentia corruptela & imperfectione: vt deprauata sint omnia hiantia mutilata & manca. Quaedam illic largiore tractu prolixa. & quaedam contra sterilisque adeo sunt breuitate perstricta: omissa plerumque & recisa necessaria multa. Quae omnia quatenus pro ingenioli nostri mediocritate assequi potuimus limatiora: hic sunt atque suppleta: vt castigatius exemplar & emendatioris archetypi copia desiderantibus assit ad manus* &c. Raro haec secunda editio, nostra aetate occurrit, & a Michaele Maittaire in *Annal. typograph.* omissa fuit. In fine illius haec legimus verba: *Habes itaque lector religiose: & salutis*

tue

Digitized by Google

tue (quales omnes esse debemus) studiose: opus plane divinum Rosetum videlicet spacioſum, & ſumme pietatis refertiſſimum. Religioſiſſime patris JOANNIS MABVENI *natione* Bruxellen. *Profeſſione autem canonici ſeu regularis ex inſtitutioni diui patris* Auguſtini: *quam exactiſſime obſeruauit in* Liuriacenſi *cenobio: quod abbatis functus officio mira & vite & doctrine ſanctitate decorauit: vt in facie libri latius explicatum eſt. Impreſſum eſt autem preſens opus in inclyta* parrhyſiorum *academia opera quidem* Aſcenſiana: *ſed impenſis optimorum bybliobolarum* Joannis parui *&* Johannis Scabeleri: *Anno Salutis noſtre M. D. X.* (1510). *Ad Idus Auguſti. Deo ſit laus & gloria.*

Praeter *tabulam* rerum praecipuarum alphabeticam, illi praemittitur & *tabula titulorum* XXXVIIII. quibus omne opus abſoluitur, & *tabula de modo praedicandi.* Incredibile eſt quot elogiis illud *Roſetum* a romanae eccleſiae doctoribus condecoratum fuerit; Anton. Poſſeuinus in *Adparat. ſacro* Tom. II. p. 220. ſententiam ſuam hac ratione expoſuit: *Ad* Roſetum *quod attinet, cauſſam illius inſcriptionis expoſuit Auctor ipſe Alphabeto ſexto, vbi legentes inuitat ad hanc quaſi ſpiritualem areolam aromatum, vt de virtute in virtutem tam meditando, quam agendo creſcant. Qui locus, vt quaedam alia, quae ſequuntur, eſt praelegendus. Ceterum, vt quod & ipſe, & alii, qui ſapiunt, dicam, quid de hoc Opere ſentiam, ſciendum eſt, aliquando piis quibusdam viſum fuiſſe, non ab omnibus religioſis eſſe verſandum, quaſi omnium inſtituto non quadraret. At non vereor, quin fuiſſent mutaturi ſententiam, ſi reipſa* Roſetum *hoc, ad meditandum, ad exhortandum, ad concionandum adhibuiſſent. Neque enim librum ego de ſpiritualibus legi, in quo vberior materia, & quaſi opulentior theſaurus inueniatur. Scriptione quidem ac ſtylo, qualem ea ferebant tempora, ſimplici, (quippe ineunte ſeculo milleſimo quingenteſimo vixit) at ſynceriſſimo ſpiritu, ordine, breuitate, volumen tantum abſolait: in*

quo

Digitized by Google

quo cum variae sint tractationes ad eandem meditationum, & exercitationum spiritualium materiam pertinentes, tum de officiis ecclesiasticis agit, ac de praeparatorio ad Missam pag. 104. in Dietario exercitiorum Tit. IIII. Alphab. 14. de Directorio autem soluendarum horarum eodem Tit. IIII. Alph. 15. Joannes Francisc. Foppens autem l. cit. *opus* adpellat, *plenum pietatis & odoriferis rosis refertum, dignissimum quod omnium devotorum maxime religiosorum, manibus nunquam excidat, sanctissimis cogitationibus, & adfectibus seraphicis maxime adcommodatum.* Iis adiungimus particulam epistolae Jodoci Badii, ascensii, quam ad magistrum Joannem Saulay, insignis Ecclesiae parisiensis Canonicum scripsit. *Rosetum*, ait, *honorandi ob* Xp̄m. *patris* JOANNIS MOMBVRNI Liuriacen. *Domus Canonicorum diui* Augustini *abbatis* (*dum vita manebat*) *dignissimi: cum animi non vulgari voluptate his diebus praeceptor volende: impressimus: Tum quod tam sanctum viri vitam ab iis qui eum intus & in cute norant edocti: non dubitauimus ab eo qui sic vixerit: doctrinam in primis salutarem emissam. Tum quod inter legendum atque dirigendum opus visi nobis sumus: nunc cum deo: nunc cum deipara virgine: nunc cum sanctis eius conuersari: & subinde extra nos rapi: atque inter rosas illas celestes collocari* (*quod nisi contigerit lapidem merito censueris: aut truncum nulla affectione mobilem*). *Tum quod viri egregii longe circumspectiore quam nos simus iudicio prediti* (*inter quos te & fabrum nostrum* Stapulen. *non minus pietate quam litteratura preditos reponimus. opus ipsum tantopere commendarunt: tam ob authoris sanctitatem & zelum in omnes Xp̄ianos: quam ob doctrinae eius integritatem atque suauitatem. Mire etenim afficit: & (quae vtilissima est scientia) hominem sese cognoscere facit & ad cor redire: mundum & pompas eius contemnere: ocia mala vitare: delitias carnales aspernari: deum adhoc cum summa charitate venerari: proximum decenter diligere: & se quemque ac operationes suas in deum dirigere.*

Sanctos colere ac imitari. Quin etiam in omnem regionem oculos mentis conuertere: vt in nullo speculo euidentius quod imiteris: quod deuites perspicias. Quocirca non ab re Rosetum *inscripsit.* (*Est enim locus in quo rose vnde rosaria facies nascuntur*). *Nam vt in* Roseto *plantabili primum conspicias plantaria: tum frondes: tum gemmas turgentes: ac denum flores ipsos: ita Author in hoc* Roseto: *ab inuitatorio: eruditorio: ordinario: dietario: & similibus imitationibus: que quasi seminaria quedam pietatis sunt auspicatus: per chiropsalterium: scalam communionis: Ruminatoria: supplementum sacramentale: manducatorium: ferculavium: examinatorium: & similia pietatis exercitia progressus: tandem ad flores & fructus ipsos omnis exercitii boni: videlicet ad inflammatorium diuini amoris: per multiplicium regionum scrutationem nos perducit: & in eo opus non imprudenter concludit: quippe in quo est finis legis: & consummatio exercitii beatorum in celis: quod ab eis non auferetur. Hanc autem pariem vltimam vti primam author in nouissimis diebus operi prepositi: & adiecit: opusque totum vt ex prefatione eius recenti patet emendauit & auxit: atque vtinam donec mundius scriptum fuisset: viuere datum fuisset: multo enim nos labore leuasset: qui in eius characteribus lectitandis tantus fuit: vt non magnopere mirendum putem si interdum somnus obrepserit* &c.

Quae cum ita sint, non est mirandum, quod & recentioribus temporibus, in primis cum editio ascensiana, ob characterum, quibus MAVBVRNVS opus suum scripserat, difficultatem, non ab omnibus mendis immunis esset, duo viri romanae ecclesiae, *Roseti* in se susceperint emendationem, & denuo in lucem illud ediderint. Alter est Basilius Serenius Canonicus regularis, cuius editio prodiit *Mediolani apud Hieronym. Bordonum, & Petrum Martyrem locarnum 1603.* Alter est Joannes Jones londinensis, qui cum ad sacra pontificia, & monachos benedictinos transiret, Leandri a San-

Digitized by Google

a Sancto Martino adſumſit nomen, & MAVBVRNI opus denuo protruſit *Duaci*, *apud Bellerum*, 1620. in fol. De aliis JOANNIS MAVBVRNI *Operibus*, quae tamen omnia adhuc in mſs. latent, vid. praeter ſcriptores citatos, Jo. Albert. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. VIIII. p. 297 ſqq.

CXVII.

Liber manualis ac introductorius in biblie hiſtorias figurasque veteris ac noui Teſtamenti peroptimus. Aurea biblia vocatus. in fol. form. minor. folior. 158.

Nomen auctoris ANTONII AMPIGOLLI, legimus poſt indicem capitum, ordine alphabetico diſpoſitum, qui 13. & dimid. folium complet. Hiſce enim verbis, inchoatur libri prologus: *Religioſis atque honeſtis viris in* Xp̃r. *dilectis fratribus ſtudentibus* neapolim. *Conuentus ordinis fratrum heremitarum Sancti* Auguſtini. *Frater* ANTONIVS AMPIGOLLVS *ordinis memorati. Salutem. dilectioni veſtre poſtulatam referens.* Ab aliis auctor vocatur ANTONIVS RAMPIGOLLVS, ab aliis RAMPEGOLVS, ab aliis DE RAMPELOGIS. Vid. Joſ. Simleri *Bibliotheca* p. 54. Anton. Poſſeuini *Adparat. ſac.* Tom. I. p. 114 ſqq. qui paullo acriorem in illud opus intendit limam. Sententiam eius ad verbum vsque repetiit Caſimir. Oudinus in *Commentar. de Scriptor. & ſcript. eccleſ.* Tom. III. col. 2310. Conf. Auguſtin. Oldoini *Athenaeum* liguſticum p. 50. qui auctorem, natione Italum, genuenſem, (Oudinus Neapolitanum) Doctorem Theologiae Ordinis Eremitarum diui Auguſtini, initio Seculi XV. *ingenio praeſtantem, & clarum eloquio*, celebrem fuiſſe ſcribit. Anton. Poſſeuinus l. cit. a-

Digitized by Google

lium ANTONIVM RAMPEGOLVM, augustinianum, alium ANTONIVM E RAMPIGOLIS, Neapolitanum, Eremitam esse existimat, illique *Bibliae figuras*, huic *Repertorium bibliorum* tribuit, cum vnus tamen idemque sit auctor, & vnum idemque opus, quod mox *introductorii in bibliam*, mox *aureae bibliae*, iam *directorii bibliae*, iam *repertorii biblici*, iam alio titulo in lucem prodiit. In fine editionis, quae e rarioribus libris est, haec leguntur: *Vigore infiniti entis explicit liber bonus & perutilis Aurea biblia appellatus veteris ac noui testa.* Vlm *diligenter per* Johannem Zeiner de Reutlingen *artificialiter effigiatus Anno dni M. CCCC. LXXVI.* (1476). *Cui sit honor & gloria in secula seculorum Amen* &c. Vid. Mich. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. V. P. I. p. 182. Omnia vero, quae de hoc libro, a Clemente IIX. in *indicem librorum prohibitorum*, donec expurgetur, relato, & de hac ipsa editione dici poterant, exposita iam fuerunt in *Nachrichten von einer* hallischen *Bibliothek* Tom. VII. p. 500 sqq. Habemus editionem recentiorem ad manus litteris gothicis exaratam, quae tali inscribitur titulo: *Figurarum biblie opus conducibile & perutile. Quoniam in eo omnes materie contente per clarissimum virum* ANTHONIVM DE RAMPEGOLIS. *Ordinis sancti* Augustini *in bibliam studiose applicatum.* in 8. folior. 239. Inueniuntur in illa editione, nonnullae figurae, admodum crassa Minerua, ligno incisae. In fine haec leguntur verba: *Figurarum biblie opus insigne. perquam vtile predicatoribus. curaque peruigili* Colonie *iuxta conuentum predicatorum elaboratum fausto sidere finem arripit. Anno christiane salutis MCCCCCV.* (1505) *Die vero VI. Martii.* In Michaelis Maittaire *Annal. typogr.* de ista editione, nihil relatum legimus. De aliis editionibus vid. Casimir. Oudini *Commentar. de Scriptor. & scriptis eccles.* l. cit. Christophor. Hendreich *Pandect.* brandeburg. p. 156. Alphonsi Ciaconii *Bibliotheca* p. 214 sqq. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit.*

L. I.

Digitized by Google

L. I. p. 341. Jacobi le Long *Biblioth. sacr.* Tom. II. p. 919.

CXIIX.

Vocabularius perutilis terminos biblie noui & veteris testamenti, pregnantes. ac difficiles optime declarans, *per solennissimum sacre theologie professorem: magistrum* HEINRICVM DE HASSIA aggregatus. in fol. form. min. folior. 268.

Sine dubio rarissima haec editio, ipsa illa est, quam Joannes Albert. Fabricius L. IIX. *Biblioth. med. & infim. Latinit.* p. 947. *sub initium typographiae, sine anni nota & loci* prodiisse scribit. Si coniecturae locus fuerit, illam anno circiter 1473. exscriptam credideri-mus. Litterarum enim characteres gothici, qui proxime ad romanos characteres accedunt, iis similes admodum sunt, quibus eodem anno Henrici Steinhöwelii *chronicon* sermone vernaculo compositum, exscriptum fuit, quod in *Analectis litterariis de libris rarioribus* p. 245 sqq. descripsimus. Omni destituitur *vocabularius* titulo, & liber ipse hisce inchoatur versiculis:

Difficiles studio partes. quas biblia gestat
Pandere sed nequeo latebras. nisi qui manifestat
Auxiliante deo. qui cui vult singula prestat
Dante iuuamen. eo nihil insuperabile restat
Propria ponuntur hic. nomina pauca sed oro.
Qui legis indulge. quoniam breuis esse laboro.
Si quem profectum tenet. hoc opus deitatis
Que dat profectum. sine qua nihil est bonitatis
Quicquid non rectum. patet hic quicquid ruditatis
Quicquid neglectum. vel quicquid inutilitatis
Supplens defectum. lector studii pietatis

Digitized by Google

Corrige correctum. fit in vſum poſteritatis.
Scematis ignarus. ſtilus eſt non ab ymo limam.
Nam pollere facit operam correctio pretiam
Deſuper ixadia. ſcribenti gratia dya.
Sis dux. ſis ſotia mea. lux & vera ſophya.

Illis verſiculis, verba, quae tituli loco adſcripſimus, adpoſita ſunt. Vix vnus alterue liber nobis ſe obtulit, qui maioribus & mirabilioribus, litteris initialibus fuerit ornatus, quae non adpictae, ſed a typothetis, formis, ſine dubio, ligneis, expreſſae ſunt. Scribendi compendia, librum lectu reddunt admodum difficilem, qui praeterea ſignaturis, vt vocant, & reclamantibus deſtituitur. Per ordinem alphabeticum diſpoſitus, vocabulorum, quae in verſione ſic dicta bibliorum *vulgata* occurrunt, explicationes refert, quae maxima ex parte, ad etymologiam ſpectant, & Iſidori, Priſciani, Papiae, Huguitionis Alexandri de Villa Dei, aliorumque grammaticorum auctoritate confirmantur. Illis inſolitae, & quae riſum moueant, ſaepe numero, explicationes, & obſeruationes immiſtae ſunt. Specimini loco, haec talia excerpſimus: A *littera ſicut dicit* Yſidorus *in primo libro etbim. Ideo in omnibus linguis eſt prior quod ipſa naſcentium vocem apperit vnde dicitur in hyſtoriis* Maſculus recenter natus eiulando dicit A. mulier vero E. *vnde verſus* E profert aut A. quisquis procedit ab Eua. *Item dicit* Priſtianus *de tractatu de interiectione. A praepoſitio eſt & interiectio. & nomen. praepoſitio vt* a ſummo ad ymum. *Interiectio eſt vt in bucolicis.* A tibi ne teneras glacies ſecet aſpera plantas. *Et nos poſſumus addere quod* A *eſt interiectio doloris, vbi dicitur* A. A. A. domine Deus. *Item nomen eſt ipſius littere ſicut ſupra dictum eſt.* Nepa *vt ait* hug. *quidam ſerpens eſt, qui natos ſuos conſumit, excepto eo qui in dorſo eius inſederit vel inbeſerit poſtea ipſe qui ſeruatus eſt conſumit patrem, & dicitur* nepa. *quaſi* necans partus & necans filius *quia* necat parentem. *Et hinc tractum eſt, quod homi-*

nes

Digitized by Google

nes qui bona parentum per luxuriam consumunt, nepotes *dicuntur. & luxuriosi. & est communis generis.* nepos *pro luxurioso. vnde hec* nepotatio *i. luxuria* &c. *Vespere fit nona si* re *mutaueris in ra. Solis habes ortum si* re *mutaueris in rum. Illius occasum fit vesper quaelibet hora. Qua sol vel luna tegitur caligine tetra. Ri rorum cantant re rarum tympana pulsant hec vesperta dea dicatur vesperus astrum. Item hi versus sumuntur de grecismo ad quorum euidentiam nota quod dici* hugut. *quod hesperam dicunt greci horam que est inter diem & noctem. vnde hic hesperus. peri. dicitur stella occidentalis que in vespere post solem adparet* &c. Vipera *est genus serpentis venenosi de quo dicit* Ysidorus *ethi. XII.* vipera *dicta quod* vi pariat *nam & cum venter eius ad partum ingruerit catuli non expectantes maturam nature solucionem corrosis eius lateribus vi erumpunt cum matris interitu. fertur autem quando masculus ore inserto* vipere *femeu expuat illa aut ex voluptate libidinis in rabiem versa caput maris ore receptum precidit. ita fit vt serpens vterque pereat masculus dum coit femina dum parturit. ex* vipera *autem fiunt pastilli qui* tiriaci *vocantur a Grecis* &c. Praeter verba, *explicit vocabularius biblie magistri* HENRICI DE HASSIA *feliciter*, nihil additum in calce voluminis est. Praeter hanc aliam exstare editionem vix crediderimus, cum nihil tale, in bibliothecarum catalogis, quos euoluimus, relatum legimus, & pauci etiam inter scriptores inueniuntur, quibus, sub HENRICI DE HASSIA nomine, eiusmodi *vocabularium* exstare innotuerit.

Incredibile est, quot errores viri doctissimi & in primis Antonius Possevinus, qui ex vno, saltem duobus HENRICIS DE HASSIA, quinque viros effinxit diuersos, quibus vna fere eademque opera tribuit. Ex erroribus, in tramitem eum reducere, adgressus est Casimir. Oudinus in *Commentar. de Scriptorib. & scriptis eccles.* Tom. III. col. 1252 sqq. qui vni tan-

Digitized by Google

tummodo HENRICO DE LANGENSTEIN, omnia illa opuscula vindicat, quae reliquis quatuor a Joanne Trithemio, Sixto Senensi, Guil. Eisingrenio, Roberto Bellarmino, Josepho Pamphilo, Signini Episcopo, Antonio Possevino, aliisque mira quadam oscitantia, factaque confusione adscripta fuerant. Sed ad veritatem propius illi accedere videntur, qui duos omnino HENRICOS DE HASSIA exstitisse statuunt, & *senioris*, & *iunioris* adpellatione distinguere solent. Alterum vti iam diximus, *seniorem* HENRICVM DE LANGENSTEIN adpellant, ex Hassia oriundum, magistrum in theologia, & vicecancellarium parisiensem, postea sacerdotem & canonicum wormatiensem, qui Seculo XIIII. exeunte vixit. Referunt praeterea, quod ab Alberto III. *cum trica* cognominato, Austriae Archiduce, euocatus Viennam concesserit, & ibidem ab anno 1384. ad vitae exitum vsque, theologiam, in Academia publice praelegerit. Inuenit etiam Petrus Lambecius, in bibliotheca caesarea vindobonensi, inter codices iuridicos, *epistolam* HENRICI DE LANGENSTAIN, *ad Consules* viennenses *de contractu emtionis & venditionis*, scriptam, cuius in fine tempus, quo e viuis discesserit, hisce verbis, adnotatum fuisse adfirmat: *Explicit Epist. de contractibus emptionis & venditionis ad Consules* viennenses *edita a Venerabili Viro Magistro* HENRICO DE HASSIA, *sacrae Theologiae Professore egregio, qui solius recordationis anni 1397. undecima die mensis Febr. diem suum clausit extremum, scripta per* Petrum Lewin *eius familiarem. Orate pro eo Christi fideles. Sequitur deinde hoc Epitaphium:*

Mortales cuncti, monemur vt tumba sepulti
HASSONIS HENRICI *vermibus expositi.*
Mors est a tergo, sapiens homo se paret ergo.

vid. *Commentar. de Bibliotheca* vindobonens. Tom. II. p. 125. Conf. de HENRICO DE HENRICO DE LANGENSTEIN, & scriptis eius, quorum maxima pars msta. in bibliothecarum loculis

Digitized by Google

loculis delitescit, praeter Casimir. Oudini l. cit. Caesaris Egassii Bulaei *Histor. Academ.* parisiens. Tom. IIII. p. 961 sqq. Hermanni von der Hardt *magnum Concilium* constantiense *oecumenicum* Tom. II. in prolegomen. p. 10 sqq. Joan. Georg. Liebknechts Hassia *mathematica Giess.* 1707. in 4. qui illum omnium primum, Matheſin in Germaniam intuliſſe adfirmat. Nicol. Henric. Gundlingii *vollſtaendige Hiſtorie der Gelahrheit* P. II. Cap. IIII. Sect. II. §. CXXV. p. 1889 sqq. Reliquis autem, in exponendis rebus, quae ad HENRICVM DE LANGENSTEIN ſpectant, praeripuit palmam Bernardus Pez in *Diſſertat. iſagogic.* ad Tom. II. *Anecdotor.* p. 74 sqq. Joan. Philip. Kuchenbecker in *Supplementis ad vitam* HENRICI DE HASSIA in *Analectis* haſſiacis, *Marpurg.* 1728. in 8. P. I. p. 173 sqq. Jo. Albert. Fabricius in *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. IIX. p. 646 sqq. vbi eidem *vocabularium*, quod deſcripſimus, *biblicum* tribuit.

De altero HENRICO DE HASSIA, iuniore, quem monachum carthuſianum, & domus Gelriae Priorem monachorum S. Mariae fuiſſe, & anno 1427. mortuum fuiſſe ſcribunt, vid. praeter Trithemium & Oudinum Bernardus Pez l. cit, & Jo. Alb. Fabricius l. cit. p. 657 sqq.

CXVIIII.

JOANNIS DE TVRRECREMATA Expoſitiones in Pſalterium. in fol. form. minor. folior. 164.

Librum ſeculo XV. litteris romanis exſcriptum, hac editione rariſſima nitidiorem, non conſpeximus. Qua in vrbe excuſus fuerit liber, non conſtat. Ex verbis quidem, quae in fine leguntur: *Expliſit laudabilis expoſitio ſuper Pſalterium. Impreſſa per egregium magiſtrum*

ſtrum Johannem fabri lingonenſem *de Anno domini Milleſimo CCCCLXXXII.* (1482) *die XXIX. marcii.* Joan. de la Caille in *Hiſtoire de l'imprimerie, & la librairie Paris.* 1689. in 4. p. 43. illum Lingonibus (*Langres*) excuſum colligit, ſed iam adnotauit Michael Maittaire in *Annal. typograph.* Tom. I. p. 429. quod Joannes Fabri, lingonenſis, non ſolum ante annum 1482. artem typographicam Taurini exercuerit, ſed ex iisdem *Annalib. typographicis* l. cit. p. 445. adpareat, quod & poſt illa tempora libros, & inter alios anno 1483. Terentium *Taurini* 1483. typis expreſſerit. Igitur coniecturam facimus, quod noſter codex, vrbi taurinenſi, ſuos acceptos referat natales. Per omnem codicem nulla exſtat littera initialis, quae omnes, minio caeruleoque colore adpictae ſunt. Multa quidem in illo ſcribendi occurrunt compendia, ſed ita comparata ſunt, vt haud difficulter legi queant. Libro praemittitur Auctoris, Epiſcopi ſabinenſis, & R. E. Cardinalis titulo S. Sixti, ad Pium II. rom. epiſtola, qua illi librum dedicat, & auctores nominat, quorum commentarios vberiores, in compendium redegit. *Cum conſideraſſem,* ait, *beatiſſime pater, quod temporibus iam noſtris pauci ſapientiae ſtudent, pauciores perſcrutandis diuinis miſteriis inſudant. pauciſſimi qui antiquorum ſermone ſcientiaque clariſſimorum patrum explanationes & commentaria ſuper pſalmos perlegere curant venit in mentem meam vt inter alios ſtudii mei labores hunc interponerem vt ex ſententiis gloriоſiſſimorum ac preclariſſimorum ſcilicet* hyeronimi auguſtini remigii & caſſiodori *qui hunc pſalmorum librum exuberantiſſimis fluminibus profundiſſime interpretati ſunt aliquam breuem compendioſamque intelligentiam pſalmorum exculperem. que pre ceteris a pluribus & etiam pauperibus clericis haberi poſſet & intelligi. — Sed ecce mentem meam ab hac ſcribendi cogitatione alienabat ſenectutis pondus, infirmitatum frequentia, latentis in pſalmis ſapientie profunditas parabolarum quibus vallatur pene inexplicabilis obſcuritas, & ſuper omnia exiguitas*

Digitized by Google

quitas ingenii & imbecillitas intellectus. Sed occurrit ex aduerso amor publice vtilitatis &c. Liber in ecclesia romana, cum aliis eiusdem auctoris *operibus*, in magna semper auctoritate fuit, cuius rei, innumerabiles fere illius editiones, testes esse poterunt, quas Michael Maittaire in *Annal. typograph.* passim, e situ & tenebris produxit. Omnium sine dubio prima est, quae *Romae* impressa fuit *per honorabilem virum magistrum* Vdalricum Gallum *anno Dni millesimo quadringentesimo septuagesimo* (1470) *d. IIII. Octobris.* in fol. Conf. Michael. Maittaire *Annal. typograph.* Tom. I. p. 295. Inter recentiores editiones eminet, quae *Romae* 1527. in 4. prodiit.

JOANNES DE TORQVEMADA, siue TVRRECREMATA, Hispanus, cognomen adsumsit a patria, Torquemado dioeceseos palentinae oppido. Natus fuit anno 1388. & Ordini Praedicatorum se adcinxit. Theologiae & iuris pontificii Doctor parisinus, maximam nominis, & inter Theologos pariter & Jureconsultos, sibi parauit famam, & post varia munera ecclesiastica, tandem in Collegium R. E. Cardinalium, ab Eugenio IIII. Pontifice anno 1439. receptus, & episcopatui primum orensi in Gallicia, deinde albensi, & tandem sabinensi in Italia praefectus fuit. Cum in Concilio basileensi anno 1431. celebrato quaestio ventilaretur: *an Puntifex supra concilium sit, an vero illi subiectus esse debeat?* JOANNES DE TORQVEMADA, Eugenii IIII. ad id concilium legatus, vt contra Hussitas disputaret, strenue sedis apostolicae auctoritatem, quamuis irrito conatu defendere, & tueri adgressus est. Scripta, quae in hac controuersia ab illo composita, & recentioribus temporibus euulgata fuerunt, diligenter & adcurate recenset Nicolaus Antonius in *Bibliothec.* hispan. *veter.* Tom. II. L. X. Cap. X. p. 189 sqq. In concilio florentino, cum Marco ephesio, graecae ecclesiae propugnatore fortissimo, in certamen descendit. Diem obiit supremum Romae, in

in coenobio S. Mariae ſuper Mineruam (*S. Maria ſopra Minerua*), quod ipſe viuus exſtruxerat, & moriens, centies mille aureis ditauerat, die XXVI. Septembr. anno 1468. aetatis anno LXXX. Corpus eius conditum eſt, in templo iſtius coenobii, in ſacello annunciatae, (*Cappella della annunziata*), cuius nobiliſſimam ſocietatem pro puellis maritandis inſtituit. Epitaphium quod iſta ſodalitas, ipſius ſepulchro marmoreo ſplendidiſſimo inſcripſit, his verbis conceptum eſt:

F. IOANNI HISPANO VALISOLETANO
EX VETERE, PVRA, NOBILIQVE FAMILIA
DE TVRRECREMATA,
ORDINIS PRAEDICATORVM.
S. R. E. CARDINALI EPISCOPO SABINENSI,
PIETATE, AC DOCTRINA CLARISSIMO,
MVLTIS LEGATIONIBVS EGREGIE FVNCTO,
B. VIRGINIS ANNVNCIATAE
SODALITAS
AVTHORI SVO POSVIT
OBIIT ROMAE VI. KAL. OCTOBRIS
AN. DOM. MCCCCLXVIII.
AETATIS VERO SVAE LXXX.

Vid. Guid. Panziroli *de claris Legum interpret.* L. III. Cap. XXXVII. p. 365. Differt haec inſcriptio ſepulcralis, plane ab illa, quam retulit Auguſtin. Oldoinus in *Athenaeo* romano p. 435. Conf. praeter ſcriptores iam citat. & multos alios, Anton. Poſſeuini *Adparat. ſac.* Tom. II. p. 262. Henr. Wharton *Adpendix ad* Guil. Caue *Hiſtor. litterar. Scriptor. eccleſiaſt.* p. 117 ſqq. Jac. Quetif *Scriptor. Ordinis Praedicator.* Tom. I. p. 837 ſqq. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. VIIII. p. 474 ſqq.

CXX.

Digitized by Google

CXX.

Queſtiones euangeliorum tam de tempore quam de ſanctis JOHANNIS DE TVRRECREMATA *Cardinalis.* in fol. form. minor. folior. 291.

Iſtius libri, non multae exſtant editiones, quae cauſſa eſt, quam ob rem ille rarius inueniatur. Editio, quae in bibliotheca portenſi adſeruatur, neque anni, neque loci, neque typographi indicio inſtructa eſt, omnes tamen notas characteriſticas prae ſe fert, quibus libri, ſeculo XV. impreſſi, ab recentioris aeui libris dignoſci ſolent. Litterae initiales minio & caeruleo colore adpictae ſunt. Opus ipſum in duas diſpeſcitur partes, quarum prior, hac ratione inchoatur: *Incipit materia aurea enucleata ex originalibus virtutum & viciorum. flos theologie nuncupata ſecundum ordinem alphabeti pro ſermonibus applicabilis, quam de tempore quam de ſanctis totius anni.* Ceterum haec pars per locos communes alphabetico ordine diſpoſita eſt. Illam varii praecedunt *indices*, quorum ratio, in *prologo* exponitur. *Cum ad plenioremcognitionem rei ordo deducat: neceſſarium eſt hic ponere huius ſolenniſſimi ordinem opuſculi. vt quibus legere placuerit facilius ſalutiferum reportent fructum. Erit autem ordo operis huius, talis quod primo ponentur themata ſermonum de tempore tam de epiſtolis quam euangeliis ac aliis ſcripturis autenticis per totum annum. De ſanctis & communi ſanctorum nec non de quibusdam aliis ſingularibus & notabilibus materiis cum ſuis remiſſionibus pro ſimplicibus predicare volentibus. Poſt themata vero ponetur tabula alphabetica in ſe continens & concludens omnes & ſingulas materias huius totius operis. vt facilior ſit recurſus volentibus diuerſas & copioſas habere materias. & vnusquisque recipere poſſit quod ſibi placitum fuerit. Sequeturque tabula ſecundum ordinem alphabeti ipſius aureae materie applicabilis ſiue floris theologie in ſe. Vltimo ponetur tabula de tempore &*

de

Digitized by Google

de ſanctis per circulum anni cum queſtionibus ex ſancto thoma *enucleatis & extractis per illuminatiſſimum virum dominum* JOHANNEM DE TVRRECREMATA *ſancte ſedis apoſtolice cardinalem ordinis predicatorum ſancti* Sixti *vulgariter nuncupatum. Comportata ſunt hec ad laudem dei omnipotentis. glorioſiſſimeque virginis* Marie. *& omnium ſanctorum. nec non ad ſalutem animarum. & in ſalute animarum proficere volentium. Anno dni. &c. LXXX.* (1480). Forte hic numerus annum deſignat, quo haec editio in lucem prodiit. In fine iſtius partis, haec occurrunt verba: *Explicit materia aurea & enucleata flos theologie nuncupata. applicabilis ad ſermones per totum annum tam de tempore quam de ſanctis cum regiſtro thematum & tabula abcdaria omnium materiarum in libro preſenti contentarum.*

Poſterioris partis titulus eſt: *Queſtiones euangeliorum tam de tempore quam de ſanctis collecte per R. D.* JOHANNEM DE TVRRE CREMATA ſabinen. *ſancte* romane *eccleſie cardinalem ſancti* ſixti. Dicauit illam auctor, *Sacro & colendiſſimo reuendiſſimorum patrum ſancte eccleſie* romane *dominorum cardinalium Collegio.* Queritur in epiſtola dedicatoria, inter alia, quod *inter prelatos pauciores ſint qui ſacre theologie profundioribus rebus operam dent ſtudii.* Quod autographum ſuum Archiepiſcopo rothomagenſi commiſerit, patet ex epiſtolae concluſione: *Suſcipiant ergo V. R. d. hoc exiguum munus paruumque opuſculum in ſenio meo pro omnium vtilitate exiguis meis viribus elaboratum. quod vtinam tanta beniuolentia ab eis ſuſcipiatur, quanta cum affectione ſit inſudatum. Poterit obſeruari libellus iſte in manibus reuerendiſſimi domini* rothomagen. *qui pro ſua dulciſſima humanitate copiam preſtabit cupientibus ſcribere. Recommendo me d. v. R. quas longo tempore ad felix vniuerſalis eccleſie regimen deus conſeruet.* Huic etiam parti, duo *indices* praemittuntur. In fine codicis haec leguntur verba: *Finiunt*

Digitized by Google

niunt quaeſtiones euangeliorum tam de tempore quam de ſanctis domini JOHANNIS DE TVRRECREMATA *Cardinalis feliciter.* Varias libri editiones, qui etiam aliquoties titulo *quaeſtionum ſpiritualis conuiuii delicias praeferentium ſuper euangeliis tam de tempore quam de ſanctis*, euulgatus fuit, recenſet Jo. Albert. Fabricius Libr. VIIII. *Biblioth. med. & infim. Latinit.* p. 475. Veruſtiſſima, & ſine dubio, omnium prima eſt editio, quae Romae *impreſſa* dicitur, *per* Johannem Scheurener de Bopardia *ſub anno M. CCCC. LXXVII.* (1477) *die Mercurii vltima Aprilis.* Vid. Michael. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. I. p. 378. Recentiſſima, quam Jo. Alb. Fabricius l. cit. memorauit, eſt *Paris.* 1510. in 8.

Inter rariſſimos libros referri merentur eiusdem JOANNIS DE TVRRECREMATA *meditationes*, cum figuris ligno inciſis, quae imagines referunt, quibus JOANNIS DE TVRRECREMATA iuſſu, templum ſanctae Mariae ſuper Mineruam exornatum fuit. In fine operis, in fol. formae maior. excuſi, quod apud amicum, cum ſtudiorum cauſſa, in academia lipſienſi commoraremur, conſpeximus, haec leguntur verba: *Finite ſunt contemplationes Reuerendi patris Domini* JOANNIS DE TVRRECREMATA *ſacroſancte* Romane *eccleſie Cardinalis poſite & depicte de ipſius mandato in Eccleſie ambitu ſancte* Marie de Minerua Rome *non atramento plumali calamo neque ſtylo aereo ſed artificioſa quadam adinuentione imprimendi ſeu characterizandi opus ſic effigiatum eſt ad Dei laudem induſtrieque eſt conſumatum per* Vdalricum Gallum Alemannum *&* Simonem de Luca *Anno Domini M. CCCC. LXXIII.* (1473) *die vero XVII. Octobris regnante* Sixto quarto *pontifice maximo.* Opera JOANNIS DE TVRRECREMATA omnia, IIX. Tomis in fol. iam Anno 1472. *Auguſtae Vindelicorum* edita eſſe ex Jo. Sauberti *Hiſtoria Bibliothecae* noribergenſis p. 121. & e Cornel. a Beughem *incunabulis typogr.* p. 139. adnotauis

notauit Michael Maittaire in *Annal. typogr.* Tom. I. p. 321. Joannes Saubertus l. cit. auctorem IOANNEM DE TVRRE adpellat, eiusque operum VI. tantummodo Tomos, in Bibliotheca norimbergensi adseruari memorat.

CXXI.

Theologia naturalis siue liber creaturarum specialiter de homine & de natura eius in quantum homo. & de his que sunt ei necessaria ad cognoscendum seipsum & deum. & omne debitum ad quod homo tenetur & obligatur tam deo quam proximo. in fol. form. minor. fol. 163.

Quamuis Joan. Amos Comenius homo παράδοξος, in libro *de vno necessario*, *Amstelod.* 1668. in 4. Cap. VI. p. 49. RAIMVNDVM DE SABVNDE in illa sua *theologia naturali*, omnia, quae ad Dei & hominis cognitionem, aeternamque illius gloriam, & huius salutem, spectant, tam apodictice deduxisse adfirmet, vt contradicere non liceat, emunctioris tamen naris homines, suo Comenium abundare sensu patiuntur, & RAIMVNDI *theologiam naturalem* ad eorum ablegant librorum classem, e quibus vel nihil vel parum vtilitatis redundat ad lectores, cum acumen quidem ingenii prae se ferunt, quod tamen plus subtilitatem, quam veritatem consectari videtur. Theophilus sane Rainaldus in prolegom. *theolog. natural.* §. LXXXVI. p. 36. *illam*, ait, *nimis arentem & incultam paucorum, qui ad manum sunt, antiquiorum naturalis theologiae tractatorum,* SEBVNDII *&* Boneti *philosophandi rationem vt improbare non est animus, ita nec inire: praesertim cum neuter, quod operis fronte praefertur, praestitisse visus sit, sed dimissis apud vtrumque plerisque naturali lumine peruiis, insupex apud posteriorem in-*

integra prope intelligentiarum creatarum tractatione praecisa, ad ea quae reuelatio sola detexit, ratione confirmanda excurrunt, non magno precio operae, vt Palacius *in I. Dist. 2. Disp. 3. fuse tradit.* In eiusdem postea sententiam discessit Jacobus Thomasius, in *Praefatione LXXVII. de origine bellorum meditatio* RAYMVNDI DE SABVNDE *discussa*, quae legitur in eius *praefationibus sub auspicia disputationum suarum in academia* lipsiensi *recitatis, Lipsi.* 1683. in 8. p. 501 sqq. vbi haec talia legimus: *Vixit ante secula duo & prope dimidium* RAYMVNDVS DE SABVNDE, *Scriptor* Hispanus, *vir, vt illa ferebant tempora, eruditionis non exiguae. Quanquam autem eius vix vnum atque alterum memorari librum video: non tamen ignotum literatis opus est eius, quod* Theologiam naturalem, *siue* Librum creaturarum *inscripsit. Deliberatum in eo habuit non docere modo, verum etiam demonstrare, quicquid hominem suae salutis cupidum & credere oporteat & facere, siue officium eius versus hominem spectes, siue versus Deum. Scilicet eorum manipulo se miscuit, qui nimis audaci conatu argumentis ex humanae rationis lumine deriuatis illa quoque demonstranda sumserunt sibi, quae sola nituntur diuina reuelatione: quo nomine temeritatem eius* Theophilus *quoque castigat* Raynaudus. *Cui quidem citius assentior, quam* Comenio, — — — *Esto in quibusdam quae demonstrare Lectori suo voluit,* Hispanum *illum iusti ponderis argumenta protulisse: certe omnia eius talia esse tantum abest, vt concedam* Comenio, *vt in iis etiam, quae non difficulter indagari oculo humanae rationis possunt, alicubi eum nescio ridicule dicam, an miserabiliter philosophatum esse, ausim contendere. Quarum quidem hallucinationum haec opinor, inter praecipuas causa est, quod arti* lullianae *deditus homo fuit: huius enim in eo peritiam video commendari ab* Henrico Cornelio Agrippa; (in epistol. dedicator. ad Joan. Laurentinum, in *Commentar. in artem breuem* Raimundi Lullii, Tom. II. *Operum* p. 242. edit. *lugdunens.* 1600. in 8.) *mihi*

Digitized by Google

vero perſuaſum eſt, in illa tota arte plus eſſe iactantiae quam virium, plus amictus in ſuperficie, quam intus & in cute neruorum &c. Conf. Meric. Caſaubonus *of Credulity and Incredulity in things divin and ſpiritual, London* 1670. in 8. p. 16. Joan. Hoornbeek *de Converſione* Indorum *& gentilium, Amſtelod.* 1669. in 4. L. I. Cap. II. p. 94. Thomas Crenius in *Animaduerſionib. philologicis & hiſtoric.* P. VIII. Cap. II. p. 101 ſqq. Scripſit autem aduerſus RAYMVNDI DE SABVNDE Obtrectatores, *apologiam* Michael de Montagne, quae legitur in eiusdem auctoris *Eſſais* L. II. Cap. XII. illumque praeterea defendit in epiſtola ad parentem, quae adiecta fuit recentioribus editionibus de *l'Eſſais* v. c. *londinenſi* 1724. III. Tom. in 4. *pariſienſi* 1725. III. Tom. in 4. & *hagenſi* 1727. V. Tom. in 12. Lepido errori occaſionem dedit Michaelis de Montagne *apologia.* Joannes enim Wowerius Centur. I. *Epiſt.* LX. p. 120. edit. *Hamburg.* 1618. in 8. ſcribit: *Adde theologica myſtica, & quae ad antiquitatem eccleſiae pertinent, cuius argumenti plurima conquiro. Et erit, cum intelligas, me haec non minus excoluiſſe, quam alium quemquam hac fama celebrem. Inter illa* REMONDI SEBAVDI theologia naturalis, *quam conuertit in* gallicum *ſermonem* Dominus de Montaigne, *qui* in Eſaiam Apologiam *conſcripſit.* vbi e voce *Eſſais*, Eſaias confictus fuit.

Recenſionem *Theologiae naturalis* RAIMVNDI DE SABVNDE, in qua potiſſimum conſtitutum illi fuit, euincere, nihil in religione chriſtiana contineri, quod rationi humanae non ſit conſentaneum, vid. in Joan. Alb. Fabricii *Delectu Argumentorum & ſyllabo ſcriptorum, qui veritatem religionis chriſtianae adſeruerunt, Hamburg.* 1725. in 4. p. 454 ſqq. Eo autem temeritate proceſſit, vt titulo XLVII–LV. Trinitatem perſonarum in Deo, e lumine naturae demonſtrare ſuſtineret. Prologum etiam a Clemente XIX. pontifice rom. in *indicem librorum prohibitorum* relatum eſſe, ob

Digitized by Google

ob dogmata, quae complectitur paradoxa, docet Anton. Posseuinus in *Adparatu sacr.* Tom. III. p. 121. Fuit autem hoc opus, quod CCCXXX. titulis absoluitur, ab auctore, vt in codice Regis Galliae, quem vidit Oudinus, legitur, anno 1434. Tolosae inchoatum, & anno 1436. ad finem perductum, & saepissime praeteritis temporibus euulgatum. Recenset varias editiones Joannes Vogtius in *Catalog. libr. rar.* p. 594. vbi illas omnes ita euanuisse scribit, vt vix hoc tempore adpareant. Conf. Jacob. Friderici Reimmanni *Catalogus Bibliothecae theologicae Systematico-criticus* p. 977. & 1063. Theophili Sinceri *neue Sammlung von lauter alten vnd rarен Büchern* P. VI. p. 525 sqq. qui omnes insignem operis raritatem confirmant. Editio, qua vtimur litteris gothicis exscripta, *tabulam* alphabeticam praemissam habet, & hisce initium ducit verbis: *Incipit theologia naturalis, siue liber creaturarum specialiter de homine & de natura eius in quantum homo. & de his quae sunt ei necessaria, ad cognoscendum seipsum, & deum, & omne debitum, ad quod homo tenetur & obligatur, tam deo quam proximo. compositus a venerabili viro, magistro* RAYMVNDO DE SABVNDE, *In artibus & medicina doctore. & in sacra pagina egregio professore* Typographus coronidis loco haec addidit: *Finit liber creaturarum seu nature siue de homine propter quem alie creature facte sunt. ex cuius cognitione illuminatur homo in cognitione dei & creaturarum. Impressus* Argentine *per* Martinum Flach. *inibi conciuem Anno incarnacionis dominice Millesimoquadringentesimononagesimosexto* (1496) *mensi. vero Januarii die vicesimoprimo.* Quam vero editionem omnium primam nominaueris, difficile dictu est. Nam Christianus Schoettgenius in *Continuat. Biblioth.* Fabric. *med. & infim. Latinitat.* L. XVII. p. 117. editionem adducit, sine loci & anni indicio, in 4. euulgatam, & in Theophil. Sinceri *neuer Sammlung von lauter alten vnd raren Büchern* l. cit. describitur editio vetusta, in fol. quae in calce *Daeuentrie per Rychardum*

Digitized by Google

chardum Paffroed, non addito anno, excusa dicitur. Illam anno 1487. in lucem editam esse perhibet Cl. Vogtius l. cit. sed in Michael. Maittaire *Annal. typographicis* nihil tale relatum legimus. Occurrit quidem Tom. I. p. 489. editio in fol. an. 1487. sed neque vrbis dauentriensis, neque Richardi Paffroed mentio facta legitur. Miramur quod Cl. Vogtius ad Testimonium Theophil. Sincer. l. cit. & Henr. Whartoni in *Adpendice ad* Guil. Caue *Histor. litterar. Scriptor. ecclesiast.* p. 104. prouocauerit, cum neuter Dauentriae anno 1487. eiusmodi editionem, ex Richardi Paffroed officina typographica prodiisse dixerit. Recentissima, quam Christian. Schoettgenius l. cit. adtulit editio, est *amstelodamensis* 1661. in 8. Non tamen integrum librum refert haec editio, sed compendium potius est, a Joanne Amos Comenio consarcinatum. Ipse id testatur Comenius, in libro *de vno necessario* l. cit. vbi ait: *Liber* (Creaturarum) *est capitum* 330. Venetiis, Lugduni, Francofurti *editus: ob prolixitatem tamen, & eorundem crebram repetitionem, stylique, quam a sui seculi barbarie traxit, scabritiem, paucioribus, quam optandum erat notus, aut lectus: ideoque a nobis contractior & lucidior* Amsterdami *nuper editus. Sed iacet sic etiam, merx sine emptore: Mundo inter margaritas, & quisquilias non distinguente, labyrinthisque suis potius, quam subministratis vndecunque* Ariadnes *filis, attendente.*

Parentis sui iussu librum in sermonem gallicum transtulit, quem iam nominauimus, Michael de Montagne, cuius versio, titulo: *la theologie naturelle de* RAYMOND SEBON *traduite du latin par* Michel Seigneur de Montagne, *Paris.* 1581. in 8. in lucem emissa, & postea aliquoties repetita fuit. Caussam, qua pater impulsus, filio hoc commisit negotium his verbis retulit in *Essais* L. II. Chap. XII. Pierre Bunel *homme de grande reputation de sçavoir en son temps, ayant arresté quelques jours à* Montaigne *en la com-*

Digitized by Google

compagnie de mon pere, avec d'autres hommes de ſa ſorte, luy fit preſent au déloger d'un livre qui s'intitule: Theologia naturalis, ſiue liber creaturarum Magiſtri RAYMONDI DE SEBONDE. *Et parce que la langue* Italienne *&* Eſpagnole *eſtoient familieres à mon pere, & que ce livre eſt baſty d'un* Eſpagnol *barragouïné en terminaiſons latines, il eſperoit qu'avec bien peu d'ayde il en pourroit faire ſon profit, & le luy recommenda comme livre tres-utile & propre à la ſaiſon, en laquelle il le lui donna; ce fut lors que les nouveautez de* Luther *commençoient d'entrer en credit — — — Or quelques jours avant ſa mort, mon pere ayant de fortune rencontré ce livre ſous un tas d'autres papiers abandonnez me commanda de le luy mettre en* François. *Il fait bon traduire les Autheurs, comme celuy-la, ou il n'y a guere que la matiere à repreſenter; mais ceux qui ont donné beaucoup à la grace & à la l'elegance du langage, ils ſont dangereux à entreprendre, nommément pour les rapporter à un idiome plus foible. C'eſtoit une occupation bien eſtrange & nouvelle pour moy, mais eſtant de fortune pour lors de loiſir, & ne pouvant rien refuſer au commandement du meilleur pere qui fut oncques, j'en vins à bout comme je pus, à quoy il prit un ſingulier plaiſir, & donna charge qu'on le fiſt imprimer, ce qui fut excuté apres ſa mort* &c. Conf. P. Baile *Dictionaire hiſtorique & critique* Tom. III. p. 2561. not. C. Niceron *Memoires* Tom. XVI. p. 216. Retulit Chriſtian. Schoettgenius l. cit. quod anno 1739. Lipſiae in auctione publica, verſio, illa, quam dedit Michael de Montagne antiquior, hoc titulo inſignita *La Theologie naturelle de* D. RAYM. SEBON *miſe en François par* Mad. Leonor. Royne de France, *Paris.* 1551. in 4. vendita fuerit & quod Joannes Martin, eodem anno aliam verſionem in 4. euulgauerit. Quod ad primam adtinet, minime a nobis impetrare poſſumus, vt eiusmodi exſtare verſionem, credamus, cum omnes bibliothecarum catalogi, & hiſtoriae litterariae gallicae ſcriptores, nihil tale

Digitized by Google

retulerunt. Sine dubio ipsa illa Joannis Martini, parisini, primum Maximiliani Sfortiae, mediolanensium ducis, deinde Cardinalis Lenoncurtii, Secretarii est versio, cuius titulus, qui talis est: *La Theologie naturelle de Dom* RAYMOND SEBON, *Docteur excellent entre les modernes, mise de Latin en François, suivant le Commandement de Madame* Leonore, *Royne douairiere de* France, *Paris. impr. par Michel Vascosan* 1551. in 4. folior. 140. ab homine imperito excerptus, & mutilatus in Catalogum, quem vidit Christian. Schoettgenius, relatus fuit, id quod saepe numero in auctionum catalogis fieri solet. Incidit, vt rem lepido exemplo illustremus, haud ita pridem in manus nostras catalogus, in quo aliquot *Noui Testamenti* editiones graeco-latinae, veteres & recentiores reperiebantur, quas ineptus & imperitus catalogi scriptor, omnes, ex editione *H. Kainbii* prodiisse adnotauerat. Ex verbis enim graecis H KAINH, editorem quemdam *H. Kainb* effinxerat. Quod autem ad Joannis Martini versionem adtinet, quam etiam Michael Maittaire Tom. III. *Annal. typogr.* p. 600. refert illa non *theologiae naturalis* siue *libri creaturarum*, qui non methodo dialogica conscripta est, sed libri potius versio est, quem nonnulli *theologiae naturalis* compendium esse existimant, hoc, vt alias iam editiones taceamus, titulo editi: RAYMVNDI SEBVNDII *de natura hominis dialogi, viola animae ab auctore inscripti, Lugduni ex officina Sebast. Gryphii* 1544. in 8. In illis *dialogis* RAIMVNDVS & Dominicus Seminiuerbius de hominis natura, de cognitione Dei, de cognitione sui, & proximi, de omni debito, quo Deo & proximo obstricti obligamur, colloquuntur. De Joannis Martini versione gallica Niceron in *Memoires* Tom. XLII. p. 338 sqq. haec adnotauit: Martin *dit dans son Epître au* Cardinal de Lenoncourt, *datée du 20. Juillet 1550. que c'étoit la traduction d'un petit sommaire latin, extrait d'un fort gros livre, fait il y a plus de trente ans par un Docteur* Espagnol *nommé* RAYMOND SEBON, qui

qui étoit alors Professeur en l'Université de Toulouse. *Elle est divisée en six dialogues, & non point en sept, comme le dit* du Verdier (& post illum Mich. Maittaire, & Christ. Schoettgenius ll. citt.) *& contient 86. chapitres suivis. Le premier dialogue traite de la nature de l'homme, le second des bienfaits de Dieu, le troisiéme de l'amour divin, le quatriéme du culte de Dieu, le cinquiéme de la chûte de l'homme & le sixiéme de sa réparation.* Cum igitur extra omnem dubitationem positum est, *violam animae*, librum a *theologia naturali*, plane esse diuersum, & operis tantummodo prolixioris compendium, ab ipso RAYMVNDO compositum, non solum quae de versionibus gallicis protulit Schoettgenius, emendatione indigent, sed ea etiam, quae leguntur in *lexico eruditorum* Tom. IIII. col. 463. RAYMOND DE SERONDA, *schrieb* quaestiones disputatas, *machte sich aber durch seine* theologiam naturalem, *die bald vnter dem titel* liber creaturarum, *bald vnter der rubrik* viola animae, *bald mit der Aufschrift* de natura hominis *gedruckt — worden am berühmtesten.* De versione *theologiae naturalis* hetrusca, quam Marcus quidam Ginnammi in vulgus *Venet.* 1633. edidisse dicitur, vid. Christ. Schoettgenius l. cit.

RAIMVNDVS DE SABVNDE, quem scriptores nonnunquam SEBVNDA, SEBONDE, SEBEIDE, SANT-SEBEIDE, & SEBON adpellant, Hispanus, artium, medicinae, & theologiae Doctor fuit, qui *obscuri aeque nominis, & conditionis*, vt Nicol. Antonius in *Biblioth.* hispan. *veter.* Tom. II. L. X. Cap. III. p. 141. scribit, *non ita tamen obscurae ad posteros, in monumentis ab eo relictis, famae*, Barcinone oriundus fuit, & academiam tolosanam, medio seculi XV. tempore doctrina, & praelectionibus suis illustrauit. Ambrosius ab Altamura illum quidem in *Adpendice ad Bibliothec.* Dominicanor. p. 454. inter illos homines retulerat, qui relicta Judaeorum superstitione, ad

Digitized by Google

christiana transierunt sacra; Cum autem hoc commentum, Philippi Jacob. Mussaci potissimum innititur testimonio, qui in *prolegomen.* ad Raimundi Martini *pugionem fidei*, scripserat, quod Michael de Montagne, *toto Capite Apologiae*, RAIMVNDVM DE SABVNDE, ex Judaeo Christianum repraesentauerit, id iam explosum fuit a Petro Baile in *Dictionaire historique & critique* l. cit. not. A. vbi omnem Michaelis de Montagne *apologiam* se ideo perlegisse, & nihil prorsus tale inueniisse scribit. Conf. Henric. Scharbau *Judaismus detectus* p. 121. Jo. Christoph. Wolfii *Bibliotheca Hebraea* Tom. III. p. 991 sqq. Legi praeterea de RAIMVNDO DE SABVNDE merentur Jo. Trithemius *de Scriptor. eccles.* Cap. DCCLXV. p. 179. Jos. Simleri *Bibliotheca* p. 598. Casimir. Oudini *Commentar. de Scriptor. & scriptis eccles.* Tom. III. col. 2367 sqq. Jo. Francisc. Buddei *Isagoge historico-theologic.* Tom. I p. 288. & scriptores, quos iam passim nominauimus.

CXXII.

Liber Generationis & Regenerationis Adam, siue de historia generis humani. Operis magni pars prima, id est, Anima. BENED. ARIA *Montano Hispalen.* Descriptore. *Antuerpiae, ex officina Plantiniana, apud viduam, & Joannem Moretum. M. D. XCIII.* (1593) in 4. pp. 599. exceptis foliis priorib. & posterioribus 12.

BENEDICTVS ARIAS, montanus hispalensis, opus moliebatur, in tres partes diuisum, quarum haec *Animae* titulo conspicua prima est. Secundae vero, quam *corporis* titulo, insignire statuerat, particula tantummodo siue *Caput* in lucem exiit, reliquum, cum tertia

Digitized by Google

tertia parte, cui *vestium* titulum, vt Niceron in *Memoires* Tom. XXIIX. p. 114. testatur, destinauerat, non ad finem perductum fuit. Praemittitur libro rariori praefatio satis prolixa, & *votum Deo authori efficacissimo*, carmine elegiaco distichor. 13. *nuncupatum*. Quid in Opere in octo libros diuiso inueniatur, capitum, lectorem docere poterunt, argumenta, quae heic in eius gratiam excerpsimus.

Libri I. Cap. I. *de veritate Dei.*
Cap. II. *de natura Dei.*
III. *Deum natura vnicum personis esse trinum.*
IIII. *De nominibus Dei.*
V. *De prophetis.*
VI. *De Angelis.*
VII. *De proposito Dei.*
IIX. *de hominis natura.*
VIIII. *de viri ac mulieris communione & societate.*
X. *de lege naturae.*
XI. *de Angelorum electione, ac lege.*
XII. *de angelorum quorundam improbitate, defectione & abdicatione.*
XIII. *de hominis electione, ac lege.*
XIIII. *de praeceptis homini in principio datis.*
XV. *de Defectione & casu hominis.*
XVI. *de conuersione humani status.*
XVII. *de antiqua* Luciferi *lite & causa.*
Libri II. Cap. I. *de reuocatione hominis.*
II. *De hominis ingenio, facultate, labore, cura, & inconstantia, a constitutione mundi.*
III. *de experimento hominis vario.*
IIII. *de hominis arbitrio.*
V. *de propagatione humani generis, & morum usque doctrinae corruptela.*

Digitized by Google

Libri III. Cap. I. *de hominum instauratione, & salutis publicae curatione.*
II. *de diuinis institutionibus post diluuium, ac maximi promissi instauratione.*
III. *de gentium propagatione, atque diuersorum morum caussa.*
IIII. *de diuisione prima gentium, familiarumque & studiorum varietate.*
V. *De variis gentium studiis & moribus.*
VI. *de posteritate* Semi.
VII. *de* Abrami *euocatione.*
IIX. *de circuncisionis foedere.*
VIIII. *de tentatione* Abrahami.
X. *de promotione diuini propositi apud* Isaacum.
XI. *de* Jacobi *indole.*
XII. *de promisso promissique conditionibus ad* Isaacum *repetitis & instauratis, deque perpetua & certa prouidentiae diuinae erga pios, tutela & cura.*
XIII. *de primario haereditatis iure,* Jacobi *caussa firmato.*
XIIII. *de* Jacobi *felici fuga, exsilio, ac labore.*
XV. Israelis *historia.*
XVI. *de statu hominum ad* Moysis *vsque aetatem.*

Libri IIII. Cap. I. *de legis beneficiis & caussa.*
II. *de altero praecipuo legis beneficio & munere.*
III. *de gente in regnum optata, deque legis opportunitate.*
IIII. *de lege manifeste publicata ac legumlateris Dei haud ambigua fide.*
V. *Adlocutionis forma.*
VI. *De partitione ac diuisione legum, earumque exercitatione ac vsu.*
VII. *De officiorum siue actionum generibus diuina lege definitis.*
IIX. *Imperiorum siue iussorum enumeratio & catalogus.*
VIIII. *Vetitorum tabula.*

Libri

Digitized by Google

Libri V. Cap. I. *de legis promulgatione, exceptione foedere: de duplici promissorum ratione: tum de minis & valedicto.*

II. *de seueritate, concinnitate ac sanctimonia legis externa.*

III. *de foederis pactionibus & conditionibus.*

IIII. *de legis promissis & veritate.*

V. *de instaurato foedere.*

VI. *de fide promissorum Dei.*

VII. *de expugnatione ac possessione regnorum in terris ac de eiusdem stabiliendae lege, pacto & omine.*

Libri VI. Cap. I. *de humanarum rerum varietate, inconstantia, & crebra in peius mutatione, ex hominis culpa ac vitio.*

II. *De animorum & consuetudinum impotente depravatione.*

III. *Clementiae & benignitatis Dei exemplum illustre.*

IIII. *de noua & indigna praeposteroque hominum consilio.*

V. *de rege homine, & regni vario vsu.*

VI. *de populi ac principum insolentia.*

VII. *de maturata regis abdicatione propter nouum peccatum.*

VIII. *Deum salutis publicae gratia, hominum rebus, quantum praesens ferre valeat conditio, recte & opportune consulere.*

VIIII. *De varia & instabili rerum facie, ex principum populique inconstantia, & mutabilitate mentis atque morum.*

X. *de hominum bello cum diuina lege.*

XI. *de partibus, munere officioque Vatum.*

XII. *de quarto prophetici muneris officio.*

XIII. *diuinae legis doctrina de hominum salute ex Dei beneficio ac liberali dono exspectanda.*

XIIII. *Idem de publica salute promissum responsis diuinis vatum opera celebratum & firmatum.*

XV. *Sa-*

Digitized by Google

XV. *Salutis humanae a vatibus praenunciatae summa ac breuis descriptio.*

XVI. *de testimoniis & oraculis in Psalmorum libro frequentissimis.*

Libri VII. Cap. I. *de salutis publicae maturatione & oportunitate.*

II. *de institutione, unctione, & veritate ministri, & expiatoris publici, humanaeque salutis Pont. max.*

III. *de Seruatoris publici declarata praesentia.*

IIII. *Hominum varia iudicia in salutis authore excipiendo.*

V. *de indicis nomenclatorisque munere & officio.*

VI. *de manifestatione* Jesu Christi, *& boni nuncii ministerio.*

VII. *de duplici* Christi *ministerio secundum carnem.*

IIX. *Prioris ministerii* Jesu Christi *summa narratio.*

VIIII. *de arcana doctrinae magnitudine.*

X. *de altera doctrinae* Jesu Christi *parte.*

XI. *de officio discipulorum* Christi *erga hominem.*

XII. *doctrinam* Jesu Christi *quemadmodum homo excipiat.*

XIII. *diuinae legationis mandata a* Jesu Christo *perlata, opportune digesta, administrata, & confecta.*

XIIII. *Eiusdem argumenti denunciatio a* Jesu *peracta, plebis altercationibus & procerum calliditate & inuidia exagitatur.*

XV. *Instauratio actionum* Jesu *de unctione sua, & hominum partim inconstantia, partim peruicacia.*

XVI. *de patientia ac iustitia Dei aduersus hominem sermo* Jesu.

XVII. Jesu *euangelistae postremae actiones.*

XIIX. *Senatusconsultum a sapientia & sanctitate carnis initum, decretumque factum.*

XVIIII. *Verbum Dei caro factum,* Jesus *rex promissus publice datus ac declaratus a simplicitate salutatur, ab industria repudiatur.*

XX.

Digitized by Google

XX. *Satanae per ministros & satellites suos ad Regem caelorum interficiendum, occasio quaesita, insidiae exstructae.*

XXI. *Caelorum rex ipse pro salute publica vltro devotus ac donatus, hostiaque constituta.*

XXII. *Communionis inter nouum & veterem hominem sacrosanctum arcanum.*

XXIII. Christus *hostiam ad sacrificium sese praebet, pro populi salute facit.*

XXIIII. Jesu Christi *victima.*

XXV. *Salutis publicae arcanum*, a Lucifero *tandem cognitum frustra contaminare conato.*

XXVI. *Sacrificium* Jesu Christi.

XXVII. *De morte* Jesu *publica notitia, varius hominum sensus.*

XXIIX. *de Resurrectione* Jesu Christi.

XXVIIII. *de legitimorum testimoniorum resurrectionis* Jesu Christi *sancta fide.*

XXX. Jesu Christi *ex mortuis exstantis officium ac doctrina prior.*

XXXI. Jesus Christus *ex mortalium conspectu sublatus ad Patrem rediit.*

Libri IIX. Cap. I. *de Paraskeue.*

II. *Praecepta discipulis data promissi diuini exspectandi caussa.*

III. *Euangelicum sabbathum.*

IIII. *Satanas euangelio regni obstitit.*

V. *Virtutis, efficacitatis, & constantiae a* Jesu Christo *hominibus per Spiritum sanctum collatae periculum & experimentum multiplex.*

Libro posteriori adiiciuntur, duo *testimonia apostolica*, versibus hexametris concepta a pag. 548–599 quibus accessit *capitum index.* Ea, quae ecclesiae romanae doctoribus, displicuerunt in hoc opere, notata fuerunt, ab Antonio a Sotomaior, in *indice librorum prohibitor. & expurgandorum* p. 97.

CXXIII.

Digitized by Google

CXXIII.

Naturae historia, prima in magni operis Corpore pars, BENEDICTO ARIA *Montano descriptore.* Regi seculor. immortali & inuisibili sol. Deo Sac. *Antuerpiae ex officina Plantiniana Apud Joannem Moretum MDCI.* (1601) in 4. pp. 525. si praefat. pp. 6. exceperis.

Fallitur Niceronus in *Memoires* Tom. XXIIX. p. 114. & qui illum sequitur Cl. Dauid Clement, in *Bibliotheque historique & critique des livres qui sont difficiles à trouver* Tom. II. p. 57. cum hunc librum operis, quod modo descripsimus, vterque nouam existimauit editionem. Particula ille potius secundae partis quam meditabatur BENEDICTVS ARIAS, vel si mauis Commentarius ad Librum I. *Historiae generationis & regenerationis* Adam *siue generis humani* est. Dicauit illum Auctor *S.* rom. *Ecclesiae Matri*, cui *ex Deo felicitatem & amplificationem summam* precatur. Scripta est dedicatio Hispali *in conuentu ordinis equestris* D. Jacobi *ipsis Calendis Januariis* 1594. Ipse BENEDICTVS ARIAS, montanus, opus non euulgauit, vtpote qui anno iam 1598. e vita discesserit. In dedicatione, de hac secundae partis particula, ita scribit: *Promissi olim nobis magni operis partem primam, quam vocari placuit* animam *nuper Deus absolutam edendamque propitius praestitit, cuius numini ac muneri quidquid veram publicae ac priuatae vtilitatis meretur laudem, singulariter debemus, nihil prorsus nostro vel ingenii vel industriae arrogantes nomini. Eiusdem vero secundam partem operis quoniam breui absoluere non possumus, & postulari imo flagitari, a pietatis amatoribus audimus, citra vllam vel inuidiam vel cunctationem exhibere conamur, idque sedulo ac serio agimus, assiduis dierum etiam festorum (quos in sacris curandis & agendis gratis ponere nulla vetat religio) impendendis*

Digitized by Google

dis operis, perpetuo quidem & contento ſtudio, non tamen continuato, vt optaremus labore, ſed eo variis aetatis, valetudinis, itinerum aerumnis, alienorumque negotiorum interpellationibus & curis interrupto; ex quibus magna pars nobis vel inuitis praeter votum & inſtitutum inopinato plerumque ſolent accidere, eaque in iis praeſertim regionibus, quae variſſimarum amicorum iisdem ſtudiis deditorum ſuppetere poſſunt copiam, quorum diligentia in promouendo opere iuuari cuperemus. Huius vero dum cetera formantur membra, quod eruditi & vtcunque poliri potuit, caput *iam nunc exhibemus, ita comparatum, vt ſeorſum etiam ſpecie & contemplatione ſui eruditorum in his artibus oculos, animumque detinere poſſe non dubitemus: quorum varia futura vti non ambigimus iudicia, ita nec morarum quo minus ceteras proſequamur parteis* &c. Dedicationi ſubiecit auctor *elegiam votiuam,* quae *naturae biſtoriae, ſiue primae in corpore partis,* ob oculos ponit *argumentum,* diſtichor. 53. Capita *biſtoriae generis humani,* ad quae hic commentarius ſpectat, haec ſunt: *Obſeruationes in praefationem* 40. paginas priores implent. *Liber de prophetia & prophetis vnicus,* cum duabus excurſionibus *de ſorte, de diuinatione,* &c. p. 40--134. pertinet ad Libri I. Cap. 5.

Diſputatio de angelis p. 135--148. ad Libri I. Cap. 6.

De natura diſputatio τὰ καθόλου p. 149--158. ad Libri I. Cap. 7.

Obſeruationes de rerum natura τὰ κατ' ἰδέας, rerum creatarum, & in primis animalium, ſi hominem exceperis, hiſtoriam complectuntur phyſicam, nonnullis figuris ligno inciſis illuſtratam p. 158--246. & ſpectant ad *Hiſtor. generis humani* Libr. I. cap. 7.

Hiſtoria de homine p. 247--465. in Capita VII. diſpeſcitur, quorum tituli ſunt:

Cap. I. *de homine in genere* ad L. I. cap. 8.

II. *de*

Digitized by Google

II. *de humana societate* ad L. I. cap. 8.

III. *de hominis primum conditi natura, conditione, & ingenio* ad L. I. cap. 9. & 10.

IIII. *de Constitutione mundi* ad L. I. cap. 12. 13. 14.

V. *constituti mundi facies* ad L. I. cap. 15.

VI. *Hominis a Deo primum conditi summa descriptio, rursus hominis a se perditi tenuis repraesentatio* ad L. I. cap. 15.

VII. *Animalis hominis descriptio per singulas partes* ad L. I. cap. 15.

Notationes de animalis hominis vita, de aetate eiusque partibus, de morte prima, de morte corporis p. 465-525. Adcuratior & prolixior libri rarioris recensio exstat in viri S. R. Siegm. Jacob. Baumgartenii *Nachrichten von merkwürdigen Büchern* Tom. I. p. 329 sqq.

BENEDICTVS ARIAS, pauperum sed nobilium parentum sanguis, a patria *Frexenal de la Sierra*, in qua anno 1527. in lucem editus fuit, *montani* cognomen adsciuit, vid. Cypriani a Valera *prolog. in biblia* hispanica *Amsterod.* 1602. Paul. Colomesii Κειμηλια Cap. XXXIIII. in *Opuscalis Vltraiect.* 1669. in 12. p. 75 sqq. *Sierra* enim in vernacula Hispanorum lingua *montem* designat. Sunt quidem nonnulli, qui illum in vrbe hispalensi prognatum esse existimant, propterea quod cognomini suo montano vocem *hispalensis* addere consueuerat. Sed id propterea factum esse cognouimus, vt non solum hac ratione tractum, in quo patria sita erat, sed etiam conuentum, cui Prior erat praepositus, designaret. Conf. Niceron *Memoires* Tom. XXIIX. p. 104. qui ait, BENOIST ARIAS Montanus *naquit vers l'an 1527. à* Frexenal de la Sierra, *c'est à dire* de la Montagne, *en* Espagne, *ce qui lui a fait prendre le surnom de* Montanus, *Comme ce lieu est dans le territoire de* Seville, *& qu'il y a été élevé, il s'est donné lui-même la qualité d'*Hispalensis, *qualité*

lité qui a fait croire mal à propos à quelques uns, qu'il étoit né dans cette ville. Studiis in vrbe hiſpalenſi, & academia complutenſi peractis, Theologiae Doctor in poſteriore academia creatus, & laurea poetica donatus fuit. Paullo poſt inter ordinis S. Jacobi equites receptus, cum Epiſcopo ſegobienſi, Martino Perez Ayala, ad Concilium tridentinum profectus eſt, & in itinere Beniamini tudelenſis inuenit *itinerarium*, quod *Antuerpiae* an. 1575. in 8. in lucem edidit. Ex vrbe tridentina reuerſus, in locum ſeceſſit, ab omni hominum conſortio remotum, & piis meditationibus, litterarumque ſtudiis, quod vitae illi reliquum erat, transigere conſtituit, ſed a Philippo II Hiſpaniae Rege exire in lucem iuſſus, & Antuerpiam anno 1568 miſſus fuit, vt *opus* illud *biblicum regium antuerpienſe* curaret. Opere hoc feliciter ad finem perducto, Romam abiit, ipſeque libri exemplar, Pontifici Gregorio XIII. obtulit. Etſi quidem Hiſpaniae Rex illum, ob curam, & vigiliας, quas ſplendido huic operi impenderat, munere 2000. aureorum ſcutatorum ornaret, in numerum Capellanorum regiorum ſuſciperet, & ditionem equitum ordinis S. Jacobi commendatam (*Commanderie*) *Pelay Perez* eidem conferret, aduerſariorum tamen in Italia, & obtrectatorum inſidias effugere non potuit, qui illum haereſium apud romanum Pontificem poſtularunt, & eo adegerunt, vt relicta Roma, omnique Italia, in hiſpalenſem concederet vrbem, in qua anno 1598. aetatis anno LXXI. diem obiit ſupremum. Elogia quibus a doctiſſimis viris, ob inſignem doctrinam, & in primis ob tot linguarum, latinae nimirum, graecae, hebraicae, arabicae, ſyriacae, chaldaicae, gallicae, hetruſcae, belgicae, anglicae, teutonicae cognitionem, condecoratus fuit, collegit Paul. Colomeſius in Hiſpania *orientali* p. 241. Vitam eius pluribus verbis expoſuerunt, & catalogum operum, quae euulgauit, conſcripſerunt Nicolaus Antonius in *Bibliotheca* hiſpana *noua* p. 162. Anton. Poſſeuinus in *Adparat. ſacr.* Tom. I. p. 217 ſqq. Paull.

Freherus in *Theatro viror. eruditione claror.* p. 1492. Niceron in *Memoires* l. cit. p. 104. Jo. Franc. Foppens in *Bibliotheca* belgica Tom. I. p. 130 ſqq. Vir Cl. Joan. Erhard. Kappius in *Neuen Beitraegen von alten vnd neuen theologiſchen Sachen, Büchern, Vrkunden,* &c. *zum Wachsthum der theologiſchen Gelehrſamkeit.* an. 1752. P. IIII. p. 492 ſqq. Conf. Viri S. R. Siegm. Jacob. Baumgartenii *Nachrichten von merkwürdigen Büchern* Tom. I. p. 291. Sepulchro eius tale epitaphium inſcriptum fuit.

DEO VIVENTIVM S.
BENEDICTI ARIAE MONTANI
HISPALENSIS
DOCTORIS THEOLOGI
SACRORVM LIBRORVM EX DEI BENEFICIO
INTERPRETIS EXIMII
ET TESTIMONII D. N. JESV CHRISTI
ANNVNCIATORIS SEDVLI
VIRI INCOMPARABILIS,
TITVLIS CVNCTIS MAIORIS
MONVMENTIS AVGVSTIORIS
OSSIBVS IN DIEM RESVRRECTIONIS IVSTORVM
ASSERVATIS CVM HONORE
D. ALPHONSVS FRONTIBERIVS
PRIOR CONVENTVS S. JACOBI HISPALENSIS
IN PRIORIS QVONDAM SVI
OPT. MERITI MEMORIAM
C. ANNO M. DC. V.
OBIIT ANNO M. D. XC. VIII.
AETAT. LXXI.

Digitized by Google

CXXIIII.

Ἀνθρωπο-παιδεία: Hoc est Gymnasium vitae humanae. In quo Homo cognita incertitudine & fragilitate vitae, per assiduam & quotidianam mortis meditationem, ad bene viuendum & beate moriendum instituitur & praeparatur. *Autore* BARTOLOMAEO AGRICOLA *Baucomio F. V. D. MDCXVII.* (1617) *Oppenheimii typis & aere Hieronymi Galleri* in 8. pp. 217.

Quo fato acciderit, vt auctoris istius, & librorum ab illo editorum memoria propemodum interciderit, dicere non possumus. In pauciſſimis bibliothecarum catalogis, liber ab illo editus, inuenitur, & quae in *lexico eruditorum* Tom. I. col. 148. ex Koenigii *Bibliotheca vetere & noua*, de BARTHOLOM. AGRICOLA relata leguntur, pauca sunt, & liber cuius adscripsimus titulum, silentio praetermissus fuit. In Christophor. Hendreich *Pandect.* brandeburg. p. 63. librorum quidem tituli, paullo adcuratius adlati fuerunt, sed quis auctor, & vnde oriundus fuerit, altum est silentium. Libellum, in quo omnia congesta fuerunt, quae de fragilitate & vanitate humanae vitae, veteres, & recentiores auctores tradiderunt, nomine inscripsit Walteri Happelii, *Praefecti in* Dienheim, *compatris sui.* Scripta est dedicatio in *musaeo* Oppenheimii *Kal. Mart.* 1617. Occasionem scribendi, in epistola dedicatoria hanc fuisse ait: *didici & meas tentationes non ita pridem in funere & morte dulcissimae filiolae*, Mariae Otiliae, *mihi a Deo patre immissas, pie ferre & christiane superare, quam pauculos menses, supra biennium hac mortali aura spirantem intempestiua & acerba mors (homo humanitus loquor) e viuis rapuit, & vel vt flosculum amoenum falce dira demessuit. Erectus in hac miseria tuo exemplo fui, & insuper inanitatem,*

Digitized by Google

fragilitatem atque fugacitatem vitae noſtrae, quae certe nihil aliud eſt, quam

Vmbra leuis, fumus, puluis, ventusque volucris

altius mecum meditari, & rem totam longius repetere coepi, & meas has cogitationes in praeſentem hanc Anthropopaediam *contuli.* In titulo conſpicitur clepſydra inter duas alas, cui thuribulum, e quo fumus emittitur, impoſitum eſt his adſcriptis vérbis: MVNDI GLORIA.

Cernitur hic fumus, binis clepſydra ſub alis
Cernitur: Humanae typus & noua formula vitae.
Ala volat: ſic vita volat. Fumus fugit ater,
Vita fugit ſubito; fugit & ſic gloria mundi:
Aſt clepſydra monet venturae mortis: *& olim*
Reddendae domino rationis temporis acti.

CXXV.

Incipit prologus *ſancti* HIERONIMI. *cardinalis. presbiteri:* in libros Vitaſpatrum ſanctorum Egiptiorum. etiam eorum qui in Scithia Thebaida. atque Meſopotamia morati ſunt: nonſolum quos oculis vidit. maximoque labore conſpexit: verum & quam plura a fidedignis relata conſcripſit notabili diligentia. Denique aliorum etiam autenticorum libellos. fideliter e greco in latinum transtulit: & ab aliis translata pro ſui perfectione huic operi inſeruit. in fol. form. maior. folior. 238. excepto indice folior. 5.

Hiſce verbis inchoatur liber, quem *κατ' ἐξοχὴν* praeteritis temporibus titulo *Vitas patrum* ornauerunt, quam ob rem etiam in hac rariſſima editione, *columnarum,*

Digitized by Google

rum, vt typothetae vocant *titulus*, verbis: *Prima, secunda* &c. *pars vitaſpatrum* conceptus eſt. Inter editiones operis, quarum Heribertus Rosweydus, in *prolegomen. in vitas patrum* proleg. XVII. p. 30 ſqq. viginti memorat, ordine haec quarta, ſed omnium prima eſt, quae addito anni, loci, & typographi indicio, quo tres priores a Rosweydo adductae deſtituuntur, in lucem exiit. Refert illa in fine haec verba: *Anno Xpi natiuitatis Milleſimo quadringenteſimoſeptuageſimooctauo* (1478) *Nonas vero Maj. ob beatorum patrum profectum vitam heremiticam degentium. geſta quorum* (*haud immerito*) *memoriter ſunt commendanda. Opus* (*Vitaſpatrum appellatum*) *inſigne. a quamplurimis excerptum codicibus per ſacrarum ſcripturarum viros admodum peritiſſimos ornatum. In oppido* Nurnbergen. *per* Antonium Coburger *oppidi praefati incolam quam compte impreſſum. Finit feliciter.* Conf. Michael. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. I. p. 388. Litteris expreſſa eſt gothicis admodum luculentis. Litterae florentes ſiue initiales omnes, a typothera omiſſae, & minio adpictae ſunt. Omnium autem prima B. qua prologus inchoatur, vario colore diſtincta, monachi, menſae adſidentis, & manibus librum apertum tenentis, figuram ob oculos ponit, qua ſine dubio S. Hieronymus deſignatur. Illa praeterea littera initialis, variis florum, aliisque figuris, inter quas pauo eminet, exornata eſt. Librum praecedit *tabula*, morum illorum temporum ſolito, alphabetica. Opus ipſum in quatuor diſtinctum eſt partes; *Prima* quae *hiſtorialia* complectitur *per hiſtorias, ſecunda* quae *doctrinalia* continet, *per libellos & paragraphos, tertia* quae *de regulari obſeruantia* agit *per rubricas*, & *quarta* tandem in qua *de laude, & virtutum efficacia* tractatur, *per rubricarum capitula* diſtinguitur.

In prima parte, praeter *prologum* inueniuntur 1) *vita* S. Joannis *Eremitae* aegyptii. 2) S. Hor *abbatis* aegyptii. 3) S. Ammonis *abbatis trium milium monachorum.*

Digitized by Google

chorum. 4) S. Benonis *angelice* (angelici) *ordinis viri & abbatis.* 5) S. Theonis *qui triginta annis silentii habuit obseruationem.* 6) S. Appolonii *confessoris.* 7) S. Ammonis, *abbatis qui draconem interfecit, & latrones conuertit.* 8) S. Copretis *presbyteri & Eremitae.* 9) S. Syri, S. Ysaiae, & Paulli. 10) S. Heleni. 11) S. Helyae. 12) S. Pithirionis. 13) S. Eulogii. 14) S. Apellenis. 15) S. Paphuncii. 16) S. Serapionis. 17) S. Appollonii *monachi & martyris.* 18) S. Dyoscori. 19) S. Ammonii *abbatis.* 20) S. Didimi. 21) S. Cronii. 22) S. Origenis. 23) S. Euagrii. 24) S. Macharii aegyptii. 25) S. Macharii alexandrini. 26) S. Ammonis *primi* Nytriae *abbatis.* 27) S. Pyamonis. 28) S. Joannis, a priore diuersi. Et hi sunt sancti viri presbyteri aegyptii, quos S. Hieronymus, in Scythia & Thebaide conspexisse, vel narrationes de illis, a fide dignis audiuisse & diligenter conscripsisse dicitur. Istis narrationibus quinque capita 1) *de ciuitate* Thebaidis Oxirinco, *vbi nullus manet haereticus,* 2) de S. Isidori *monasterio,* 3) *de loco qui dicitur* Cellia, 4) *de monasteriis* Nytriae, 5) *de periculis itineris ad Heremos,* inserta sunt. Haec omnia Heribertus Rosweydus Rufino aquileiensi, ex Hieronymi & Mstorum Codicum testimonio tribuit. Secundam primae partis sectionem constituunt, *Gesta sanctorum patrum* egiptiorum scithie & thebaide: *que beatus* Hieronimus *autentice conscripta repperit; & e greco fideliter in latinum transtulit. imo etiam ab aliis translata in vnum collegit.* Leguntur hic praeter *prologum,* 1) *vita* S. Paulli primi Eremitae, auctore Hieronymo. 2) S. Antonii Abbatis, auctore Athanasio, Episcopo alexandrino, interprete Euagrio Presbytero, cuius prologus ad Innocentium Episcopum praemittitur. 3) S. Hilarionis Presbyteri, auctore S. Hieronymo. 4) S. Malchi, captiui monachi, eodem auctore. 5) S. Paulli simplicis, auctore eodem. 6) S. Paullae, eodem Hieronymo auctore. 7) S. Pelagiae, meretricis, auctore Jacobo Diacono, interprete Eustochio. 8) S. Ma-

Digitized by Google

Mariae, meretricis aegyptiacae, auctore Sophronio, Episcopo hierosolymitano, interprete Paullo, Diacono ecclesiae neapolitanae. 9) S. Mariae, virginis, auctore incerto. 10) S. Euphrosinae, auctore incerto. 11) S. Frontonii, abbatis, auctore incerto. 12) S. Simeonis Stylitae, auctore Antonio, eius discipulo. 13) S. Eufraxiae, s. Euphrasiae virginis, incerto auctore. 14) S. Macharii romani, serui dei, qui inventus est iuxta paradisum, Theophilo, Sergio & Thimo (Hygino) auctoribus. 15) S. Pasthumii, (Posthumii) patris quinque millium monachorum, incerto auctore. 16) S. Onuphrii, eremitae, auctore Paphnutio, interprete anonymo. 17) S. Abrahae, eremitae, auctore S. Ephraem, Syro, Archidiacono, interprete anonymo. 18) S. Pachomii, Abbatis tabennensis, auctore incerto, interprete Dionysio exiguo. 19) S. Christiani, cenomanensis, eremitae in archiepiscopatu turonensi, auctore incerto. 20) S. Joannis eleemosynarii, auctore Leontio Episcopo Cyprorum insulae, interprete Anastasio Bibliothecario. 21) S. Eugenii virginis vita & passio, auctore incerto. 22) S. Basilii magni, auctore Amphilochio, interprete Vrso Archidiacono romano. 23) S. Ephraem, Syri, Diaconi edesseni, auctore & interprete incerto. Talia sunt, quae in prima operis parte inueniuntur, quae falso adscribi S. Hieronymo, Episcopo stridonensi, iam pridem a viris doctissimis demonstratum fuit. Antonius Possevinus in *Adparatu sacro* Tom. II. p. 45. hac ratione scribit: *Sciant Lectores*, Vitas Patrum, *quae falso erant ascriptae* Hieronymo, *fuisse olim a* Celso Hugone J. C. *cum mss. codicibus collatas, atque* Lugduni *in* Gallia *editas apud* Jacobum Huguetum, *ann. 1515.* Euagrii *autem & diuersorum eas esse proprios foetus plerique iudicant. Primo pars est ab initio prologi*, Benedictus Deus, qui vult omnes, *vsque ad Caput* de periculis itineris ad Eremos, *quod praecedit* S. Paulli *vitam. Huius autem primae partis cum Auctorem esse* Euagrium ponticum hyperboritam, *multi* (*vt diximus*) *putent*,

Digitized by Google

putent, alii tamen D. Petronium bononiensem *fuisse earum scriptorem existimant, vt constat ex* Gennadio &c. Conf. Casimir. Oudin *Commentar. de Scriptor. & scriptis eccles.* Tom. I. col. 851.

Parti secundae quae fol. CXXIIX. inchoatur, praemittitur *index* 207. paragraphorum, quibus haec pars absoluitur. Variae in illa, ab auctore incerto, congestae sunt patrum de virtutibus variis *adhortationes* & sententiae, quibus multae immiscentur narrationes, quae omnem fidem superare videntur. Adpendicis loco illi parti adiiciuntur varii libelli, quos iam olim in codice graeco, hoc titulo insignito Ἀνδρῶν ἁγίων βίβλος, ἢ βίοι τῶν περὶ Ἀντώνιον τὸν μέγαν ἁγίων legit Photius, quod testatur in *Bibliotheca* Cod. CXCIIX. col. 517 sqq. edit. *rothomagens.* 1653. Digestus fuit Photii codex in Capita XXII. & sub singulis, totidem velvti titulis virtutum, varias narrationes, ex magno λειμωναρίῳ siue *viridario Sanctorum* excerptas exhibuit. Libellorum siue Capitum argumenta, in versione latina, qua vtimur, haec sunt 1) *de profectu patrum* 2) *de quiete* (de fructu tranquillae vitae ac solitariae). 3) *de compunctione* (in graeco codice Photii non existitisse videtur). 4) *de continentia.* 5) *contra fornicationem.* 6) *quod monachus nihil debet possidere* (de paupertate, vtque vitare auaritiam oporteat). 7) *de patientia siue fortitudine.* 8) *quod per ostentationem nihil fieri debeat.* 9) *de eo quod non oportet iudicare quemquam.* 10) *de discretione.* 11) *de eo quod oportet sobrie viuere.* 12) *de eo vt sine intermissione oretur* (adsidue esse & cum adtentione precandum). 13) *de hospitalitate & misericordia,* (hospitalitatem esse ac misericordiam cum hilaritate exercendam). 14) *de obedientia.* 15) *de humilitate.* 16) *de poenitentia* (de malorum tolerantia). 17) *de caritate* (de dilectione). 18) *de prouidentia & contemplatione,* (in graeco codice περὶ διορατικῶν de iis qui visiones viderunt). Haec quae iam enumeravimus, a Pelagio diacono romanae ecclesiae, in sermonem.

Digitized by Google

nem latinum conuersa dicuntur. Caetera quae sequuntur capita, nimirum particula posterior capitis *de providentia & contemplatione*. 19) *de sanctis senioribus qui signa faciebant*, (gr. περὶ συμφορῶν γερόντων de senibus qui miracula ediderunt). 20) *de conuersatione optima diuersorum sanctorum* (de variorum sanctorum patrum vita Deo grata). 21) *Septem capitula, quae misit Abbas* Moyses, *Abbati* Pirmenio, (Eadem esse censet Andreas Schottus quae in graeco codice dicta fuere Ἀποφθέγματα τῶν ἐν Ἀσκήσει γηρασάντων), a Joanne Subdiacono in linguam latinam translata dicuntur. Conf. Jo. Alb. Fabricii *Bibliothec. graec.* L. V. Cap. XXXII. §. XIII. p. 24 sqq.

Tertia pars, quae fol. CCXI. b. initium capit *de regulari conuersatione* aegyptiorum *monachorum*, *& eorum qui degunt apud* Palaestinam, *vel* Mesopotamiam, in capita distincta est LIIII. Prima illius particula a Capite I. ad XIIII. vsque, ex Seueri Sulpicii *dialogis de conuersatione monachorum orientalium*, *&* S. Martini *miraculis*, secunda a Cap. XIIII. ad XL. ex Joannis Cassiani libr. *de coenobiorum institutis*, particula autem tertia a cap. XL. ad finem vsque ex eiusdem Cassiani *Collationum SS. Patrum libris* desumta est. Conf. Anton. Posseuini *Adparat. sac.* l. cit.

Quarta pars primordia habet fol. CCXXI. & proponit Anonymi opusculum, *de dictis & factis patrum, monachorum tam* graecorum *quam* aegyptiorum, sub certos titulos digestis. E graeco, ciuitate latina donatum dicitur a Paschasio S. Martini ex dumiensi Abbate, braccarensis Episcopi Diacono. Dicauit eidem S. Martino, cuius iussu isti negotio se adcinxerat, versionem suam. Vltimum in isto opusculo caput *de meditationibus duodecim Anachoretarum* idem esse videtur, quod in codice graeco quem Photius legerat XXI. fuit, vid. Jo. Alb. Fabricii *Bibliothecae graec.* l. cit. p. 25. Casimir. Oudini *Commentar. de Scriptor. & scriptis eccles.* Tom. I. col. 1471. Jo. Alb. Fabricii

Digitized by Google

Biblioth. med. & infim. Latinit. L. XV. p. 586. Adiicitur isti parti quartae,

Opusculum Asceticum *pro conclusione adnexum, de virtutum laude & effectu intitulatum.* quod XIIX. absoluitur capitibus, quibus haec pertractantur argumenta. 1) *Admonitio de laude caritatis, & quomodo cunctis virtutibus praeferatur.* 2) *de humilitatis & caritatis connexione.* 3) *de obedientiae bono eiusque laudibus.* 4) *de virtute continentiae admonitio, & quod continentia, non in vna, sed in multis rebus sit necessaria.* 5) *Continentia etiam in visu necessaria est.* 6) *De continentia locutionis admonitio salutaris.* 7) *de vilium vestimentorum adpetitu.* 8) *de eo quod illa, quae supra dicta sunt, cum discretionis virtute debeant perfici.* 9) *de compunctionis bono quae maxime ex mortificatione nascitur.* 10) *Qualis esse debeat ipsa compunctio.* 11) *De modo orandi, & quid significet quod dominus oraturus in montem ascendit.* 12) *De pugna vitiorum aduersus virtutes. Et specificato consilio qualiter vitia insidiaeque hostis antiqui vitentur.* 13) *Exhortatio de studio legendi.* 14) *Admonitio necessaria de aduersis tolerandis patienter: infirmitateque amanda.* 15) *De venia peccatorum speranda quamuis sint innumerabilia, vbi poenitentia Imperatoris* Theodosii *pro exemplo subinfertur.* 16) *de lectione.* 17) *de pace.* 18) *Epistola beati* Macharii *ad monachos.* Ex capite posteriore adparet, quod haec *epistola* eadem sit, quam Gennadius maffilienfis *de viris illustribus* Cap. X. p. 9. edit. Jo. Alb. Fabricii, Macario seniori, monacho aegyptio tribuit, quem ait *vnam tantum ad iuniores professionis suae* scripsisse *epistolam: in qua docet illum perfecte posse seruire Deo, qui conditionem creationis suae cognoscens, ad omnes semet ipsum inclinauerit labores, & luctando atque Dei auxilium aduersum omne, quod in hac vita suaue est, implorando, ad naturalem quoque perueniens puritatem, continentiam, velut naturae debitum manus*

Digitized by Google

munus obtinuerit. Capitis enim XIIX. in noſtra editione tale eſt initium: *In primis quidem. ſi cepit homo ſemet ipſum agnoſcere cur creatus ſit. ſi queſierit factorem ſuum deum. & penitere de his voluerit que commiſit in tempore negligencie ſue: ſic demum benignus deus dat illi triſticiam pro peccatis. & poſtea per ſuam benignitatem dat illi afflictionem corporis. in ieiuniis in vigiliis & oracionum inſtancia & contemptu mundi: & libens illatas iniurias ſufferat. & odio habet omne refrigerium corporale. & diligit planctum magis quam riſum* &c. Haud ſatis adcurate igitur Joan. Albert. Fabricius in *Bibliotheca graeca* L. V. Cap. XII. p. 431. *regulam monaſticam*, triginta capitulis comprehenſam, quae ſub Macarii iunioris, alexandrini, nomine exſtat, & primum e codice mſs. beccenſi a Petro Rouero S. J. in *hiſtoria monaſterii* reomaenſis *in tractu* lingonenſi, *Paris.* 1637. in 4. p. 24 ſqq. latine edita fuit, eamdem eſſe exiſtimat *epiſtolam*, cuius Gennadius l. cit. fecit mentionem.

Recenſio, recentiorum editionum, huius *de vitis patrum* collectionis, quas adornauit Heribertus Rosweydus vltraiectinus e S. J. *Antuerp.* 1615. *typis plantinianis, Lugduni* 1617. & omnium optime *Antuerpiae* 1618. in fol. vid. in Jo. Alb. Fabricii *Bibliotheca graeca* L. V. Cap. XXXII. §. XVI. p. 27 ſqq. Conf. Caſpar Burmanni Traiectum *eruditum* p. 314.



CXXVI.

Digitized by Google

CXXVI.

Vita Roberti Bellarmini Politiani e Societate Jesu Marcelli II. Pont. Max. Sororis Filii S. R. E. Presbyteri Cardinalis Archiepiscopi Capuae Fidei Propugnatoris Vrbano VIII. Pontifici Maximo dicata Italice primum scripta a JACOBO FVLIGATTO Latine reddita, & aucta a SILVESTRO PETRA SANCTA, *Sacerdotibus eiusdem Societatis. Leodii Typis Joannis Oulverx, & Leonardi Streel. cIↃ. IↃc. XXVI.* (1626). *Superiorum permissu* in 4. folior. 295.

JACOBVS FVLIGATTVS, romanus, Societatis Jesu presbyter, & congregationis B. Virginis Praeses, edidit lingua hetrusca *vita del Cardinale* Bellarmino *in Roma* 1624. in 4. & *in Milano* in 8. quam SYLVESTER PETRA SANCTA, eiusdem Societatis Presbyter, adhortatione Mutii Vitelleschi, Loiolitarum patrum, tunc temporis, generalis Praepositi, & ipsius FVLIGATTI litteris permotus, in latinum conuertit sermonem, variisque in locis mutauit & auxit. Hanc editionem, quam primam esse censemus, hac inscriptione dicauit Vrbano IIX. Pontifici romano.

TIBI
BEATISSIME PATER
VRBANE IIX.
PONT. MAX.
BELLARMINVM
RVRSVS
POSTERITATI NARRATVM
EX VETERI FORMVLA
HOC EST
BREVIVS ET REVERENTIVS
QVAM POSSIT EPISTOLA
DEDICO

PRO-

Digitized by Google

PROVOLVTVS DEMISSISSIME
AD PEDVM TVORVM
OSCVLA
SILVESTER PETRA SANCTA
E
SOCIETATE
JESV.

Isthaec Bellarmini *vita*, litteris luculentis & nitidis expressa, rarissime in conspectum venire solet, & in pauciſſimis bibliothecarum catalogis reperitur. Duplex illi praefigitur titulus, alter, quem adscripsimus, a typothetis excusus, alter, aere expressus, in quo hominis conspicitur imago, qui digito compescit labellum, & altera manu inuidiam, catena vinctam trahit, & in eadem manu, nucem pineam, Bellarmini insigne gentilitium, tenet, hac adscripta epigraphe:

Pinea nux, insigne silere iubentis amitum
Stemma Bellarmini *est aspice dira sile.*

Vita in septem libros diuisa, in eo potissimum versatur, vt Cardinalis Bellarmini virtutes, summis efferat laudibus, merita autem eius in rempublicam litterariam, sicco, vt aiunt, transeat pede. *Cet auteur*, ait Niceron, in *Memoires* Tom. XXXI. p. 43. *a eu pour l'unique but de relever les vertus de ce grand Cardinal, & aucun de ceux qui l'ont suivi, ne l'a considéré précisement comme homme de lettres, c'est pour cela qu'il nous ont appris peu de choses de ses ouvrages.* In praefatione ad Lectorem refert FVLIGATTVS, quod ipse Robertus Bellarminus, Mutii Vitelleſci precibus permotus, vitam suam litteris consignauerit, suaeque narrationi, vt omnem adrogantiae effugeret suspicionem, ne nomen quidem suum addiderit, sed illam *a littera N. solitarie nullique consona*, hac ratione inceperit *N. natus est anno MDXLII.* & deinde ad finem addiderit: *Haec scripsit N. rogatus ab amico, & fratre*

fratre anno MDCXIII. menſe Junio. De virtutibus ſuis nihil dixit, quia neſcit an vllam fere habeat. De vitiis tacuit, quia non ſunt digna, quae ſcribantur, & vtinam de libro Dei deleta inueniantur in die iudicii Amen. Oret pro me. Praeter hanc Bellarmini autographam vitam, in componendo Bellarmini elogio, refert FVLIGATTVS, ſe vſum fuiſſe commentariis publicis tribus, formatis ad tribunalia, vrbis Romae, Capuae, & Politiani, atque in eis, teſtibus amplius octoginta, qui ſacramento adfirmauerint multa, & praecipua de vita ipſius. Praefationem excipit *index capitum* librorum VII. cui hoc anagramma, ex verbis *Robertus Cardinalis Bellarminus e Societate Jeſu*, concinnatum, a quo neſcimus, ſubiicitur *Luteri errores ac aſtutias Caluini omnes delebis*. Praeter *Teſtamentum* Cardinalis Bellarmini, in fine adpoſita eſt inſcriptio, qua ſepulchrum eius, elaboratis lapidibus verſicoloribus, ac ſtatuis diſpoſitis, opere equitis Jo. Laurentii Bernini, ſculptoris eximii, in templo PP. Societ. Jeſu romano exſtructum, ornauit Odoardus, e gente farneſia, Cardinalis.

ROBERTO
CARD. BELLARMINO
POLITIANO E SOC. JESV
MARCELLI II. P. M.
SORORIS FILIO
ODOARDVS
CARD. FARNESIVS
SVI ERGA VIRVM QVEM
PATRIS LOCO SEMPER COLVIT
AMORIS NVNQVAM MORITVRI
MONVMENTVM POS.
OBDORMIVIT IN DOMINO
ANNO SAL. M. DC. XXI.
AET. SVAE LXXIX.

Cum

Digitized by Google

Cum liber in duabus officinis typographicis exscriptus, paginarum numero destituatur, SILVESTER PETRA SANCTA, huius rei adtulit excusationem, quam eo lubentius adscribimus, cum singularis illa prorsus sit, & in repetita editione plane omissa fuerit: *Festinasse praela etiam, nedum Scriptoris calamum, Amice Lector, ostendunt multa; & in primis ii, qui desiderantur numeri paginarum: vtinam non & alios numeros desideres. Vrgebant Maiorum iussa; Amicorum vota stimulabant; instabant quoqae nundinae; nam etiam literas & volumina, quorum pretia deberent in animis relinqui, Auaritiae ausa est nundinari. Adgressi proinde opus Typographi duo; sed alter, vnde adgredi, alter vnde progredi solemus. Si non poetice diceretur*

Dimidium facti, qui bene coepit, habet

potuisset ille, qui ab huius historiae dimidio exorsus est, ab alterius fortassis non male inchoata editione diuinare; in quem deberet numerum desinere. Caeterum opus erat Mathematicorum aliquo, qui astra, non typos componeret, vel certe Aedipo *coniectore. Sed pro hac re solatium, mutuo in colloquio fuit*, Petrus Aloysius Carafa, *Episcopus* Tricaricensis, *ac Sedis Apostolicae legatus, cuius maxime auspiciis haec iam Historia prodit. Is enim, vt innueret, haud hanc rem esse plane inusitatam;* Thomae a Kempis *libellum in mensa museoli sui adpositum ostendit absque numerorum notis. Gauisus ex eo equidem sum, & coepi versari statim animo multa. Primo admirationi fuit, cum alia maximorum auctorum volumina circumstarent, vnum eum libellum familiarem adeo, esse Viro Principi, qui ob summam eruditionem summae virtutum nobilitati, sic amplissimae familiae cognomen refert, vt hoc vel si nouum ab eo inciperet, prodire ab ipso vno, pari cum amplitudine potuisset. Deinde referens me ad eundem libellum, simplicissimum, ac styli innocentia nemini suspectum, omnibus gratum; cogitaui, paruum illud, sed sublime tamen, & tantum non a Deo scriptum opus,*

Digitized by Google

opus, fortasse numeris carere; quia liber est haud iis indigens notis, atque subsidiis. Quippe vbique in eo voces, velut oracula, missus inuenire est; quae in pectora debeant, animosque demitti; prorsus vt pagina quaenis, Volumen; linea, Liber; vox, Periodus; & syllaba fere, sententia videri debeat. Demum; (tametsi nihil comparandi causa dixerim) ex hoc omen accepi; quod fortasse Roberti Bellarmini vita *etiam, ipsa liber perpetuus videri possit; ita vt pagina quaevis te, Lector, instruat, &, cum librum aperias, reperias vbique, quod in eo admireris, quod imiteris. Sed nihilominus aliquam velut appendicem datam tuae commoditati (modo pro notis numerorum, adire litteras foliorum maiusculas, & minusculas velis) habes paratam a Viro amico & erudito; a quo aequius librum ipsum stylo longe amoeniore expectare debuisses.*

Omne volumen, *indice* rerum insigniorum, & duabus adprobationibus, Joannis a Chokier, Canonici, & Vicarii generalis leodiensis, & Joannis Herennii, Societat. Jesu in Gallo-belgica prouincialis, finitur.

Opus profecto superuacaneum susciperemus, si vitam Roberti Cardinalis Bellarmini, quem ecclesia catholico-romana, inter fulcra sua referre solet, multis verbis exponere vellemus. Euoluat qui illum paullo curatius noscere cupit Tarquini Gallutii *Orationem in funere* Roberti *Cardinalis* Bellarmini, *Rom.* 1621. in 4. *Paris, apud Sebast. Cramoisy* 1622. in 8. *Colon.* 1622. in 8. *Discours sur ce qui s'est passé au trepas & funerailles de Mr. le Cardinal* Bellarmin, *plus son Testament, Paris* 1622. in 8. *Narrationem de pio obitu* Roberti *Cardinalis* Bellarmini, *excerptam ex litteris* Andreae Eudaemon Joannis, *Dilingae* 1621. in 4. *Adumbratam imaginem solidarum virtutum Cardinalis* Bellarmini *a* Marco Ceruino, *eius nepote expositam, Senis* 1622. in 8. C. E. (Eduard. Coffinus exoniensis) *narrationem de morte Cardinalis* Bellarmini, *Audomari*

Digitized by Google

mari 1623 in 8. *Decora* Roberti *Cardinalis* Bellarmini, *optima fide collecta a* Sebastiano Bado *Genuae* (non *Geneuae*, vt in *Catalogo Bibliothecae* bunauianae Tom. I. P. II. L. VI. Cap. I. p. 1073. legitur) *typis Anton. Georg. Franchelli* 1671. in 4. *Positiones in Congregatione rituum pro beatificatione & canonisatione* Roberti Bellarmini, *Romae* 1675. in fol. Daniel Bartoli *Giesuita della Vita di* Roberto *Cardinale* Bellarmino *Libri IIII. in Roma appr. Nicol. Angel. Tinassi* 1678. in 4. *La vie du Cardinal* Bellarmin *de la Compagnie de Jesus par le P.* Nicolas Frizon *de la même Compagnie*, *Nancy chez Paul Barbier* 1708. in 4. Conf. Anton. Posseuini *Adparat. sacer* Tom. III. p. 136 sqq. Phil. Alegambe *Bibliotheca Scriptor. Societat. Jesu* p. 410 sqq. Jo. Imperialis *Museum historicum* p. 169. edit. Jo. Alb. Fabricii *Hamburg.* 1721. in 8. Christophor. Hendreich *Pandect.* brandeburg. p. 491 sqq. Joannis Victor. Rossi, siue vt adscito dicitur nomine, Jani Nicii Erythraei *Pinacotheca imaginum illustrium*, I. elog. XLVII. p. 84 sqq. edit. *lipsi.* 1692. in 8. *La Storia di* Monrepulciano *di Mr.* Spinelli *del Cap.* Marcello Benci, *in Fiorenza* 1646. in 4. p. 150. Augustin. Oldoini *Athenaeum* romanum p. 581 sqq. P. Baile *Dictionaire historique & critique* Tom. I. p. 499 sqq. Jo. Frideric. Mayeri *Eclogae de fide* Baronii *&* Bellarmini *ipsis pontificiis ambigua, Amstelod.* 1697. in 8. Jo. Franc. Buddei *Isagoge historico-theologica* Tom. I. & II. passim, in primis Tom. II. p. 1244 sqq. Niceron *memoires* Tom. XXXI. p. 1 sqq.

Digitized by Google

CXXVII.

Vita Roberti Bellarmini Politiani e Societate Jesu S. R. E. Presbyteri Cardinalis Archiepiscopi Capuae Fidei Propugnatoris a IACOBO EVLIGATTO *Soc. Jesu* Italice primum scripta: A SILVESTRO PETRA SANCTA *eiusdem Soc.* Latine reddita, & aucta, atque in hac secunda editione a mendis primae repurgata. *Antuerpiae, Ex officina Plantiniana Balthasaris Moreti M. DC. XXXI.* (1631) in 8. pp. 576. si praemissa & indicem rerum folior. 36. exceperis.

Quamuis haec editio, si raritatem spectaueris, priore inferior est, nitore tamen illam omnino superat. Omissa *inscriptione*, cuius supra fecimus mentionem, epistola illi praefigitur SYLVESTRI PETRAE SANCTAE noua dedicatoria, *ad* Vrbanum IIX. *Pont. opt. max.* quae scripta est Leodii XV. Kalend. Octobr. 1626. Post *praefationem*, *capitum indicem*, & *anagramma*, quae omnia, in editione priore exstant, in hac secunda, Bellarmini inuenitur imago, aere nitidissime expressa. *Index* in fine adiectus, multo prolixior & adcuratior illo est, qui in editione, quam descripsimus, inuenitur.

IACOBVS FVLIGATTVS, romanus, Societatis Jesu Presbyter, & congregationis B. virginis Praeses, sanctorum, sanctarumque, & virorum clarissimorum vitis, quas lingua hetrusca euulgauit, potissimum inclaruit, diemque supremum obiit anno 1653. aetatis anno LXXVI. Vid. de illo, praeter ea, quae in Phil. Alegambe *Bibliotheca Scriptor. Soc. Jesu* leguntur, Leonis Allatii *Apes vrbanae* p. 193. edit. Jo. Alb. Fabricii *Hamburg.* 1721. in 8. *Vita* Bellarmini, literis ab illo consignata, in linguam conuersa gallicam, hoc prodiit titulo: *La vie du Cardinal* Bellarmin, *com-*

Digitized by Google

compoſée en italien *par le* P. JACQVES FVLIGATI, *& traduite en* François, *par le* P. Pierre Morin *tous deux de la même compagnie. A Paris chez Cramoiſy* 1625. in 8. In *lexico eruditorum* Tom. I. col. 934. eadem IACOBI FVLIGATTI *vita*, a Joanne Morino, Congregationi oratorii addicto, in linguam gallicam conuerſa dicitur. Sequitur celeberrimus illius *lexici* auctor, hac in re, Paullum Colomeſium, Antonium Teiſſier, Petrum Baile, aliosque; ſed illos erraſſe, & Joannem Morinum, nunquam animum ad componendam eiusmodi verſionem gallicam appuliſſe, demonſtrauit iam Niceron in *Memoires* Tom. VIIII. p. 29. In hiſpanicum etiam ſermonem translatam eſſe FVLIGATI biographiam, teſtatur Leo Allatius l. cit. Collegit quoque IACOBVS FVLIGATTVS, Roberti Bellarmini *epiſtolas*, & euulgauit *Romae* 1650. in 12. Ex hetruſco in latinum ſermonem illas transpoſuiſſe dicitur in *lexico eruditor.* Tom. II. col. 805.

SYLVESTER PETRA SANCTA, romanus, Societatis Jeſu Alumnus, natus anno 1590. *vir*, vt Erycius Puteanus illum adpellauit, *caeleſtis* fuit *ingenii*, *aeternaeque eruditionis*, cuius rei, ſcripta, ab illo edita, luculentiſſimum exhibent documentum. Famiani Stradae ille praeſertim frequentauerat ſcholas, & inde incredibilem fere latine loquendi ſcribendique reportauerat facultatem, qua, virorum doctiſſimorum, & Principum, in ſumma dignitate conſtitutorum, ſibi conciliauerat gratiam. Petro in primis Aloyſio Carafae, R.E. Cardinali, admodum carus fuit, qui illum, in itineribus ſuis, Pontificis romani iuſſu, per Germaniae, & Belgii partem ſuſceptis, a latere diuelli nunquam fuerat paſſus. Religionis, quam profitebatur, ſtrenuus adſertor, aduerſus Petrum Molinaeum, Andream Riuetum, aliosque romanae eccleſiae aduerſarios, euulgauit libros, nonnullosque, & inter illos celebrem quemdam Principem, eo perduxit, vt vete-

Digitized by Google

rem religionem, in domo Laiolitarum colonienſi, hora noctis quarta eiuraret, & ad ſacra pontificia transiret. Cauſſam illius rei commemorauit Janus Nicius Erythraeus in *Pinacotheca imaginum illuſtrium* P. III. elog. LXXIII. p. 282 ſqq. qui ea, quae retulit, ſine dubio, ab ipſo SYLVESTRO PETRA SANCTA reſciuit, cui adeo amicitia & familiaritate erat iunctus, vt, quamuis multos ſaepe viros, ingenii, doctrinae, & eruditionis fama clariſſimos, mortuos fleuerit, nullius tamen, vt ipſe ait, mortem, vberioribus proſequutus fuerit lacrymis, quam SYLVESTRI PETRAE SANCTAE, qui nephriticis doloribus correptus, Romae, poſteaquam ex veſica ſex calculi, oui columbini craſſitudine, per chirurgorum manus fuerant extracti, exſpirauit anno 1647. prid. Non. Maii, aetatis anno LVII. Praeter illa, quae Erythraeus, in prolixo elogio retulit, Philip. Alegambe in *Bibliotheca Scriptor. Soc. Jeſu*, & Proſper Mandoſius in *Bibliotheca* roman. legi poterunt.

CXXIIX.

Vita Caeſaris Baronii Ex Congregatione Oratorii S. R. E. Presbyteri Cardinalis Et Apoſtolicae Sedis Bibliothecarii, *Auctore* HIERONYMO BARNABEO *Peruſino Eiusdem Congregationis Presbytero. Romae apud Vitalem Maſcardum, MDCLI.* (1651) *Superiorum auctoritate, Sumptibus Joannis Caſonii* in 4. pp. 199. exceptis praemiſſis & indicibus folior. 20.

Quamuis omni tempore Bibliotheca apoſtolica vaticana, bibliothecarios, viros habuerit doctiſſimos, Caeſare tamen Baronio, doctiorem, praeteritis temporibus exſtitiſſe, haud facile crediderimus. Igitur rei-

Digitized by Google

reipublicae litterariae consulit HIERONYMVS BARNABEVS, perusinus, eiusdem congregationis, cuius olim Baronius fuerat alumnus, Presbyter, qui viri, tot tantisque meritis conspicui, memoriam oblitioni eripuit, & illius in rem litterariam merita ad posteros transmisit. Eiusmodi operi, ante BARNABEVM, iam se adcinxerat Michael Angelus Buccius, romanus, Congregationis Oratorii Presbyter, qui non solum *orationem* in funere Caesaris Baronii, Cardinalis, III. id. Jul. ann. 1607. in templo S. Mariae, & S. Gregorii in Vallicella recitauerat, & eodem anno, *Romae* in 4. typis mandauerat, sed multa, praeterea, de rebus ab eo gestis congesserat, & quinque libris descripserat; sed immatura morte abreptus perficere non potuerat. Vsus fuit postea Buccii commentariis ineditis, in concinnando Baronii *elogio*, Henricus Spondanus, quod *Annalibus* Baronii *ecclesiasticis*, *in Epitomen redactis*, semel, iterum, & saepius editis, anteire iussit. Institit autem superiorum iussu permotus, BARNABEVS, Buccii vestigiis, & quaecunque de Baronio, aut dicta aut scripta fideliter inuenerat, ea omnia collegit, atque in historiae modum conscripsit. Inter illa, quidem inueniri nonnulla, ait, quae publica ecclesiae auctoritate haud fulciantur, nihilo tamen minus, cum ea omnia, ab hominibus fide dignis, aut dicta, aut scriptis consignata essent, posteris tradere non dubitauit. Testatur praeterea Jesum, & sanctos eius, ipsumque angelum, qui custos fuit Baronii, se nihil in gratiam, nihil more blandientium loqui, sed quidquid dicturus sit, pro testimonio dicere, & minus eius esse meritis, quem totus orbis canat, sacerdotes mirentur, virginum chori desiderent, monachorum, & pauperum turbae deplangant. Inscripsit opus suum BARNABEVS nomine Innocentii X. Pontificis max. Digessit illud in libros tres, quorum primus vitam eius priuatam, a prima iuuentute, studia, & res, quae illi contigerunt memorabiles XX. capitibus, secundus dignitates, & munera, quae gessit ecclesiastica capiti-

Digitized by Google

bus VIIII. & tertius denique mores, & virtutes, quibus conſpicuus fuit, ob oculos ponit. Cum auctor narrationi ſuae, multa miracula, praeſagia futurorum, arcanorum manifeſtationes, reuelationes, resque alias, quae extra fidem eſſe videntur, immiſcuit, & praeterea nonnullos viros, eiusmodi elogiis ornauit, quibus ſanctitatem adſcribere videri queat, duplicem libro ſuo *proteſtationem*, alteram initio, alteram in fine addidit, quibus ea omnia, ſe lectoribus ſuis ita propoſuiſſe adfirmat, vt nolit ab illis accipi tanquam ab apoſtolica ſede adprobata, ſed tanquam quae a ſola fuorum auctorum fide pondus obtineant, atque adeo non aliter quam hiſtoriam humanam. Cum inſuper Vrbanus etiam IIX. anno 1625. decretum ediderit, idemque confirmauerit anno 1634. quo prohibuit imprimi libros, hominum, qui ſanctitatis ſeu martyrii fama celebres, e vita migrauerunt, geſta, miracula, vel reuelationes, ſeu quaecunque beneficia, tanquam eorum interceſſionibus, a Deo impetrata continentes, ſine cognitione, atque adprobatione Ordinarii, lectores BARNABEVS monet, quod nulli, per haſce narrationes ſuas, cultum aut venerationem adrogare, vel famam, aut opinionem ſanctitatis, aut martyrii inducere, ſeu augere, nec quidquam exiſtimationi eius adiungere, nullumque gradum facere voluerit, ad futuram aliquando vllius beatificationem, vel canonizationem, aut miraculi comprobationem; exceptis tantummodo iis, quos Sedes apoſtolica, Sanctorum, Beatorumque catalogo iam adſcripſerit. Sed maiorem profecto a lectoribus ſuis BARNABEVS iniiſſet gratiam, ſi in narrandis eiusmodi rebus paullo fuiſſet parcior, & in recenſendis Baronii laboribus litterariis, & controuerſiis, ob nonnulla eius opera exortis, quae fere omnia, ſicco, quod aiunt, tranſiit pede, maiorem curam atque ſollertiam poſuiſſet. Praeter imaginem Baronii, aere expreſſam, libro acceſſit *index capitum*, & *rerum memorabilium*. Cum haec editio, in Germania, inuentu admodum eſſet difficilis, & rariſſime in biblio-

Digitized by Google

bibliopolarum tabernis proſtaret, nouam curauit Gregorius Fritz, Congregationis Orator. vienn. Presbyter, quam hoc cum republica litteraria communicavit titulo: *Purpura ſancta ſeu Vita purpurati S. R. E. Principis* Caeſaris Baronii *Cardinalis Presbyteri & apoſtolicae ſedis Bibliothecarii, hiſtoriae chriſtianae patris, annaliumque ſacrorum conditoris conſummatiſſimi, ex Congr. Oratorii* S. Philippi Nerii, *Auctore* HIERON. BARNABEO, *Eiusd. Congr.* Rom. *Presbytero. Cui accedunt praeter copioſum Indicem Elogia* Baronio *ab illuſtribus ſanctitate & doctrina viris attributa, Opera* Gregorii Fritz, *Congr. Orat.* Vienn. *Presbyteri. Olim* Romae *cum Approbat. Superiorum, nunc* Viennae. *Viennae Auſtriae, Proſtat apud Joh. Jacobum Wolrab Anno MDCCXVIII.* (1718) in 8. pp. 274. exceptis foliis prioribus, & indicibus 23. Omiſſa eſt in recentiore editione, HIERONYMI BARNABEI *epiſtola* dedicatoria ad Innocentium X. & *praefatio ad lectorem.* Subſtituit illius in locum Gregorius Fritz *epiſtolam* dedicatoriam, ad Franciſc. Anton. Joſeph. Petrum de Pallingen, Praepoſitum in Eisgarn, S. Caeſ. Reg. Maieſt. Conſiliarium, & inferioris Auſtriae Praelatum. In fine addidit *elogia*, quibus Sixtus V. *Pontifex* rom. Garſias de Loayſa *R. E. Cardinalis, & Confeſſarius* Philippi II. *Regis* Hiſpan. *ex ord. Praedicator.* Robertus *Cardinalis* Bellarminus Soc. J. Stanislaus Camcouius *Archiepiſcopus* gneſnenſis, *R. E. Cardinalis Legatus natus, regni* Poloniae *Primas primusque Princeps*, Wilhelmus Damaſus Lindanus, *Epiſcopus* ruremundenſis, Theophilus, *Epiſcopus* elburenſis, Henricus Spondanus, Mauleoſolenſis, (*Mauleon*), Apamiarum, (*Pamiers*) *in* Gallia narbonnenſi *Epiſcopus, & regi* Galliae *a ſanctioribus conſiliis*, Marcus Fugger, *Baro in* Kirchberg *& Weiſſenhorn*, Rudolphi *Caeſaris Aug. a conſiliis*, Alphonſus Ciaconius, biacenſis, *Poenitentiarius apoſtolicus ex Ord. Praedicat.* Jacobus Salianus *Soc. Jeſu.* Jacobus Quaultcrius (*Gaultier*) annonaeenſis (*Annonay*) *Soc. Jeſu.* Nicolaus Orlandi-

Digitized by Google

nus, *Soc. Jesu*, Nicolaus Serrarius, *Soc. Jes.* Joan. Bisselius *S. J.* Janus Nicius Erythraeus, *alias* Jo. Victor Rossi, romanus *nobilis*, Rudolphus Botereius, Gallus, Georgius Josephus Eggs, *Theol. D. Caesareoarchiducalis collegiatae Ecclesiae ad S.* Martinum, Rheinfeldae *Custos, & Senior*, Justus Baronius, Vetetacastrensis, *Theologus, Jctus, & Consiliarius* moguntinus, Antonius Pagi, *Theol. D. Ord. Minor. Conuentus S.* Francisci, Odoricus Raynaldus, *e Congreg. Orator* Michael Angel. Buccius, *e Congr. Orator.* Laeuinus Torrentius, *Episcopus* antuerpiens. Gonsaluus Ponce de Leon, hispalensis, Aloysius Valmarana, *Soc. Jes.* Caesarem Cardinalem Baronium ornarunt, quae passim in eorumdem libris, epistolisque tum publicis, tum priuatis, ad ipsum Baronium, conscriptis, continentur. Illis coronidis loco addidit, Francisci de Sales, Episcopi & Principis gebennensis, *epistolam* ad Baronium scriptam, Annesii Allobrogum ann. 1606. d. XXIIX. Nouembr. & particulam, ex Spondano, inuectiuam, *in morosos censores, criminatoresque* Baronii. *Indices* iidem sunt, qui in editione romana exstant.

CAESAR BARONIVS, Sorae, in vrbe Campaniae antiquissima, natus fuit, anno 1538. patre Camillo Barono, matre autem Portia Phoebonia. Studiorum curriculo primum in vrbe verulana, mox Neapoli, deinde Romae feliciter confecto, Philippi Nerii potissimum hortatu, inuitis autem parentibus, anno 1561. presbyter factus fuit. Posteaquam in locum Philippi Nerii anno 1593. Congregationis Oratorii praepositus esset constitutus, paullo post Clementis IIX. Confessionibus audiendis eligebatur. In istius autem Pontificis gratiam, adeo se insinuauerat, vt ab illo non solum anno 1595. Protonotarius apostolicus crearetur, sed etiam anno 1596. in R. E. Cardinalium collegium cooptaretur, eique Bibliothecae vaticanae cura demandaretur. Ipse quoque mortuo Clemente IIX. pontifex max. fuisset electus, nisi libro *de Monarchia* Siciliae,

Anna-

Digitized by Google

Annalium Tomo XI. inferto Hiſpanorum in ſe concitaſſet odium, qui nihil non agebant, vt conſilium de eo eligendo, irritum redderent. Mortuus eſt anno 1607. aetatis anno LXIIX. Praeter Buccium, Spondanum, & BARNABEVM, quos iam nominauimus laudum eius praecones, legi merentur Antonii Poſſeuini *Adparat. ſac.* Tom. I. p. 257. Jani Nicii Erythraei *Pinacotheca* P. I. elog. XLIIX. p. 87 ſqq. Juſti Baronii, veteracaſtrenſis, *in obitum* Caeſaris Baronii *parentalia*, quae leguntur *Annal.* Tomo I. praemiſſa, Auguſtini Oldoini *Athenaeum* romanum p. 152 ſqq. Louis Ellies Dupin *Bibliotheque des auteurs eccleſiaſtiques* Tom. XVII. p. 1 ſqq. vbi ait, *qu'on ne peut que l'on ne loue & que l'on n'eſtime la mémoire de* Baronius, *qui avoit beaucoup de religion, de probité, d'équité, d'erudition, & de lecture, & qui a travaillé utilement pour le bien de l'Egliſe, & pour l'Eclairciſſement de l'Antiquité eccleſiaſtique. Il ſeroit à ſouhaiter qu'il eût été exempt des preventions, que ſon education, & ſon païs lui avoient inſpirées.* Conf. Niceron *Memoires* Tom. XXVII. p. 307 ſqq. Jo. Imperialis *Muſeum hiſtoricum* p. 94. Jaques George de Chaufepié *Nouveau Dictionaire hiſtorique & critique* Tom. II. Litt. B. p. 487 ſqq. Jo. Frideric. Mayeri *de* Baronii & Bellarmini *ipſis pontificiis ambigua fide*, *Eclogae*, *Amſtelod.* 1697. in 8.

HIERONYMVS BARNABEVS perufinus, Congregationis Oratorii romanae Sacerdos, ab Auguſtino Oldoino in *Athenaeo auguſto* p. 140. elogio *viri praeſtanti ingenio*, *ſummaque eloquentia praediti*, ornatus fuit. Praeter Baronii *vitam*, *carmen latinum*, *in obitum* Georgii Boreae, *nobilis* lugenſis euulgauit *Peruſ.* 1637. in 8. E vita diſceſſit d. XIIX. Jul. anno 1662. Scriptis quaedam conſignauit, quae, in collegio Patrum oratorii, Miſta adſeruantur.

Digitized by Google

CXXVIIII.

Commentarii de rebus pertinentibus ad ANG. MAR. S. R. E. *Cardinalem* QVIRINVM Pars Prima in duos libros diuisa *Brixiae, Ex Typographia Joannis-Mariae Rizzardi. MDCCXLIX.* (1749). *Superiorum permissu.* in 8. form. maior. pp. 297. except. pp. XVI. prioribus.

Commentarii de rebus pertinentibus ad ANG. MAR. S. R. E. *Cardinalem* QVIRINVM Partis Secundae Liber primus. *Brixiae. ex Typographia Joannis-Mariae Rizzardi. MDCCXLIX.* (1749). *Superiorum permissu.* pp. 279. except. XVI. pp. prioribus.

Appendix ad Lib. I. Part. II. Commentariorum de Rebus *Card.* A. M. QVIRINI qua recitantur Responsa seu Consilia Praestantium Medicinae Doctorum de Morbo qui eundem Cardinalem per quinque, & amplius menses lectulo affixum detinuit. *ibid. ap. eund. MDCCL.* (1750). *Superiorum permissu.* pp. 128. except. pp. XVI. prior.

Commentarii de rebus pertinentibus ad ANG. MAR. S. R. E. *Cardinalem* QVIRINVM. Partis Secundae Liber secundus. *ibid. ap. eumd.* MDCCXLIX. (1749). *Superiorum permissu.* pp. 320. non numerat. pp. XXIIII. prioribus.

Inter patres purpuratos, qui propter excellentem doctrinam, atque insignem humanitatem, per omnem, qua patet rempublicam litterariam, laude ac fama celebrantur, eminentissimus ANGELVS MARIA QVIRINVS, R. E. Cardinalis Bibliothecarius maxime elucet.

Digitized by Google

cet. Teſtes illius rei ſunt *Primordia* Coreyrae, & *Specimen variae litteraturae, quae in vrbe* Brixia, *eiusque ditione paullo poſt incunabula typographiae florebat*, libri, quos omnes magnificiunt, & diligenter legunt, qui rei antiquae litterariae pretium ſtatuunt. Suis eminentiſſimus Cardinalis ſumtibus, plerosque libros a ſe conſcriptos, prodire iubet, quae etiam cauſſa eſt, quam ob rem in hiſce regionibus, rarius occurrant. *Les écrits du* Cardinal QVIRINI, ait Cl. Dauid Clement in *Bibliotheque hiſtorique & critique, des livres qui ſont difficiles à trouver*, in praefat. Tom. I. p. XII. *ne ſeront jamais communs parcequ'il les fait imprimer à ſes dépens, & ſe reſerve le plaiſir d'en faire des preſens.* Nos ipſi eminentiſſimi Principis munificentiae, acceptum grati referimus librum, quem nunc recenſere ſtatuimus. Rerum autem praeſtantiſſimarum varietas, quibus omnis liber refertus eſt, prohibet, quo minus adcuratam, & ad amuſſim, vt aiunt, factam recenſionem exhibeamus, id quod lectores noſtri, eo facilius nobis condonabunt, quo plures *ephemerides* exſtant *litterariae*, quae egregium librum adcurate & prolixe deſcripſerunt. Vt duas tantummodo, ex magna eorum copia, nominemus, Ephemerides gallicae, quae titulo *Bibliotheque impartiale*, *Lugduni Batauorum* prodire ſolent Tom. I. p. 78 ſqq. p. 211 ſqq. ſatis & abunde adducunt, quod legendi cupiditatem excitare poſſit, & Fridericus Guilielm. Kraftius in der *neuen theologiſchen Bibliothek* Tom. IIII. p. 291 ſqq. Tom. V. p. 706 ſqq. p. 714 ſqq. recenſione facta, ſaliuam mouet legentibus, vt ipſum librum euoluere cupiant.

Pars prima, in libros duos diuiſa eſt, quos praefatio antecedit, in qua, Cardinalis Auguſtini Valerii exemplo, eminentiſſimus auctor, adductum ſe eſſe fatetur, vt *commentarium de rebus ad ſe pertinentibus* componeret, & cum orbe erudito communicaret. *Liber primus*, quinque capitibus, res exponit, quae emi-

Digitized by Google

eminentiſſimo Principi, a die XX. Martii anni 1680. quo is lucem adſpexerat, ad menſem vsque Maium anni 1711. euenerant. *Liber ſecundus* triennalem in Galliis, Belgio, Britannia, & Germania commorationem, a menſe Maio 1711. ad Maium anni 1714. deſcribit.

Partis ſecundae liber primus, res, poſt repetitam Italiam geſtas, a menſe Maio anni 1714. ad diem vsque XVII. Aug. anni 1740. complectitur. Cum eminentiſſimus Princeps, conſcribendae iſti parti inſudaret, fatali pedum morbo correptus, per quinque & amplius menſes, decumbere in lecto coactus fuit. Iſtius autem morbi cauſſam his ipſe verbis expoſuit P. II. L. I. p. 103. *Quanti modo faciam viri huius* (Mazochii) *eruditionem, teſtantur, plures mearum Decadum litterae ad eum datae. Vnas ex iſtis, nempe penultimas Decadis ſecundae, hoc loco memorandi anſam mihi tradit par aegritudo, qua dum iſta imprimuntur, detinebar, ac illa, qua detinebar, dum easdem, quemadmodum ibidem prodidi,* Romae *exararem, incommoda ſcilicet affectio, in extremis pedum partibus, profecta quidem ante ſex, & amplius annos ex ſocordia a me admiſſa in ſtudiis vacando per aliquot horas antelucanas hiberna tempeſtate, pedibus calceorum praeſidio nudatis; contra vero orta ipſa in praeſens eſt, ex igne, cui ſtudiis pariter vacans per ſeptem integros menſes (nam totidem hyems hoc anno* (1750) *perdurauit) aſſedi pedibus vrſina pelle vndique conuolutis, at proinde ex huius, & ignis calfactu ſenſim, vt aiunt, ſine ſenſu veluti aduſtis, atque concoctis eorundem malleolis, quae pars damnis eiusmodi facile obnoxia eſt ex mollium fibrarum, neruulorumque frequentia, vnde contexitur. Ea vero parte ſiue ex frigore, ſiue ex humiditate, ſiue ex calore vitiata, nil mirum, ſi turbato inde humorum curſu totum etiam corpus incommodo afficiatur. Vitium autem illud, quemadmodum olim, ita nunc quoque nil minus quam ſpasmum progignit, ſiquidem laeſam eam partem corporis onere grauа-*

Digitized by Google

grauari contingat, &c. Vt autem eo citius, pertinax omnino morbus expelleretur, celeberrimos per omnem Europam medicos, scriptis adiit litteris, vt suis illi succurrerent consiliis, vnde originem traxit, quam memorauimus

Appendix ad Librum I. Partis II. Complectitur illa sane consilia medica, & varias virorum doctissimorum epistolas, quae hac occasione, ad eminentissimum auctorem scriptae fuerunt. Medicorum, & chirurgorum nomina haec sunt: Gio. Battista Grandi, *Medico, Fisico, Anatomico in* Venezia. Leonardo Doro *Medico Fisico in* Venezia. Andreas Pasta *Physic. coll.* Bergomi, D. J. B. Beccari *in* Bologna, Gusmann. Galeazzus, Petrus Paul. Molinellus, & Josephus Azzoguidus, *medici* bononienses. D. Anton. Cocchi *P. P. Anatom. in* Firenze, Carolus Fridericus Hundermark *Phil. & Med. D. & P. P. in Acad.* lipsiensi. D. Justus Godofredus Günzius *Anat. & Chir. Prof.* lipsiens. D. Jo. Jacob. Hullerus, *Consiliar. atque Archiater Regis* Sueciae *& in Collegio quod* Casellis *est*, carolino *Professor*. D. Georg. Gottl. Richter *Senior Facultat. medic.* göttingensis, D. Sulzerus, *Sereniss. Ducis* Saxogothani *archiater*. D. Godofredus Melm, *Med. D. Prof. & reipubl.* bremensis *Physicus*. D. Christoph. Andreas Winckler *Med. D. & Reip.* norimbergens. *Physic. ordinar.* D. Balthasar Erhart *M. D. & reipubl.* memmingens. *Physicus ordinarius*. D. Petr. Anton. de Alliardis, *Archiepiscopi* salisburgensis *Archiater*, D. Silvester Barisanus *Med. D.* salisburg. D. Godofredus Jacob. Jaenisch, *M. D.* hamburgens. D. Jo. Andr. Heinze, *Sereniss. Ducis* brunsuicens. *Legion. pedestr. Medic. ordinar. & Chirurg. primar.* D. Carol. Frideric. Koch, *M. D. Consil. Aul. Med. ord. legionum stataria-rum* Sedini. J. E. A. Thede *Chirurg. mai. legion. pedestr. Dn. Maioris generalis* de Treskow. D. Jo. Christ. Vngnad *M. D. eiusdemq. in gymnasio regio* sedinensi *Prof. P. ordin.* D. Jo. Christoph. Riedel *Phil. &*

Digitized by Google

& Med. D. P. P. ordin. erfurtenſis. D. H. Ludolff *Medic. Doct.* erfurtenſis. D. de Pouſſe, pariſinus. *Epiſtolae* autem hac occaſione exaratae fuerunt, a Carolo Friderico Hundermark, Frideric. Ottone Menkenio, Jo. Matthia Geſnero, Jacob. Guilielm. Feuerlino, Julio Carolo Schlaegero, Jo. Phil. Caſſelio, Jo. Georg. Schelhornio, D. Godofredo, Abbate coenobii S. Petri ſalisburgenſis, Herman. Samuel. Reimaro, Perardo, regis Boruſſ. Capellano Sedini, & a P. Andrea Gordon ordin. benedictin. in Academia erfurtenſi olim P. P.

Partis ſecundae Liber ſecundus, quatuordecim capitibus res a die XXVI. Nouembr. anni 1727. ad annum vsque 1740. praeclare geſtas continet. Haec autem omnia tam monumentis publicis, quam litteris, a viris per omnem Europam, in ſumma dignitate conſtitutis, & eruditionis laude clariſſimis, illuſtrantur, atque confirmantur. Earum index cuilibet parti praemiſſus conſpicitur. Quod reliquum eſt optamus, vt, quae ab eminentiſſimo auctore promiſſa eſt, operis *quarta pars*, in lucem ab ipſo feliciter emittatur. Recuſi quidem fuerunt recenſiti commentarii *Tiguri* 1750. in 8. ſed nulla ex parte, ad editionis *brixienſis* nitorem *tigurenſis* illa editio accedit. In compendium librum redigere, & vernaculo ſermone illum exprimere ſtuduit Juſtus Fridericus Vitus Breithaupt, ſed ſucceſſum conatui, non omni ex parte reſpondiſſe, viri, noſtrae aetatis, critici, luculentis indiciis probarunt. Prodiit verſionis teutonicae, vel potius compendii prima pars hoc titulo: *die Geſchichte ſeiner Eminenz Herrn* ANGELVS MARIA QVIRINI, *der* römiſchen *Kirche Cardinals, Biſchofs zu* Breſcia *u. ſ. f. aus Deroſelben eigenhändig aufgeſetzten lateiniſchen Lebensbeſchreibung zuſammengezogen von* M. Juſt Friederich Veit Breithaupt, *der königlich.* deutſchen *Geſellſchaft in* Göttingen, *vnd der herzogl. in* Helmſtedt *Mitgliede. Erfurt* 1752. in 8. form. mai. pp. 292. except.

Digitized by Google

cept. praemiſſis. Recenſio vid. in Frid. Wilh. Kraftii *neuen theologiſchen Bibliothek.* Tom. VII. p. 739 ſqq.

Qui cetera *opera*, ab eminentiſſimo Cardinale euulgata, vno quaſi obtutu, ſibi cognita reddere cupit, euoluat opuſculum, lingua hetruſca, hoc titulo editum: *Catalogo delle opere dell' eminentiſſ. e reverendiſſ. Signore Cardinale* QVERINI *vſcite alla luce quaſi tutte da' Torchi di me* Gian-Maria Rizzardi *Stampatore in Breſcia* in 8. pp. 40.

CXXX.

Paulli II. Veneti Pont. Max. Vita Ex codice Angelicae Bibliothecae Deſumpta. Praemiſſis ipſius ſanctiſſimi Pontificis Vindiciis aduerſus Platinam, aliosque obtrectatores. *Romae Typis Antonii de Rubeis apud Pantheon. MDCCXL.* (1740). *Superiorum permiſſu.* in 4. form. maior. pp. LXXXIIX. & 288.

Cum anno 1740. die VI. Februarii Clemens XII. Pontifex rom. viuere deſiiſſet, & romanae eccleſiae patres purpurati, de eligendo nouo Praeſule ſolliciti, more conſueto, ſuis exciti ſedibus, in conclaue ſecederent, eminentiſſimus QVIRINVS, parum ſollicitus, de parte aliqua habenda, in comitiorum pontificiorum negotio, Romam proficiſci, quam ſerius fieri poſſet, animo conſtituit. Per duos igitur & amplius menſes, Brixiae tranquille ſubſtitit, nec antea Romam iter, & id quidem admodum aegre ſuſcepit, quam menſe Aprile exeunte, & inuitus quaſi & coactus die IIX. Maii in pontificium conclaue ſe recepit. In illo autem conclaui, tempus a curis, & grauioribus negotiis vacuum, omne, *vitae* Paulli II. quam olim e mſs. codice

Digitized by Google

codice angelicae auguſtinenſium Bibliothecae deſcribendam curauerat, impendit, & hac re effecit, vt illa, poſt XL. dierum ſpatium, *vindiciis*, & *adpendice* inſtructa, eodem anno, in lucem prodire poſſet. *Noctes* vero *vaticanas*, hoc opus adpellari poſſe, innuit eminentiſſimus editor, cum in comitiorum pontificiorum obſcuritate, & tenebris procreatum fuerit. Cum in tres potiſſimum partes, illud diuiſum fuerit, illas eo, quo occurrunt, ordine perſequemur.

Primo loco poſt praefationem *vindiciae* aduerſus Platinam, aliosque occurrunt. Depinxerat ſane Bartholomaeus Platina, Paullum II. eiusmodi coloribus, vt illum, veluti infenſiſſimum litterarum hoſtem, auarumque tyrannum delinearet, qui homines litteratos, vrbe romana expulerit, nihilque magis curauerit, quam vt argentum vndique corraderet. In primis vitio dedit Paullo II. Platina, quod apoſtolicorum Abbreuiatorum collegium, cuius dignitati, & commodis Pii II. munificentia conſuluerat, ita male habuerit, vt homines illos bonos ac doctos, diuini, atque humani iuris peritiſſimos, qui ex toto terrarum orbe magnis pollicitationibus & praemiis ad romanam curiam vocati fuerint, indicta cauſſa, bonis, ac dignitatibus ſpoliauerit, honeſtaque ac legitima poſſeſſione deiecerit, quamuis litteris apoſtolicis, & fiſci pontificii auctoritate cautum illis fuiſſet. *Narrat poſtea* Platina, vt eminentiſſ. QVIRINI verbis vtamur, *qua ratione, poſt plura incaſſum tentata, vt cauſſa ipſa publicis iudicibus, ſcilicet Rotae Auditoribus, committeretur, non ſine contumelia, tanquam aqua & igni interdicti, ac profani, reiecti fuerint, imo vero ipſemet in carcerem tractus, & compedibus reuinctus, quod libellos famoſos in Pontificem ſparſiſſe, & de Concilio aduerſus eumdem per Reges & Principes indicendo minaciter ſcripſiſſe inſimularetur; quoue pacto poſt quatuor menſes libertatem recuperauerit ob enixas preces, quibus* Franciſcus *Cardinalis* Gonzaga Paulum *fatigauerat, ea tamen conditione,*

Digitized by Google

tione, ne ab vrbe discederet. Haec Platina *sub ipsum vitae illius exordium, idemque paucis interiectis nouae, & quidem acerbiori in se, aliosque* romanae *academiae sodales, excitatae tragoediae causſam dedisse, scribit coniurationis crimen iisdem impactum, perinde ac si de* romano *pontifice interimendo cogitassent; cui tragoediae finem imposuerit ipsius Pontificis obitus. Demum vero ad vitae illius calcem ad conuicia reuersus*, Paullum *carpit, quod humanitatis studia ita odisset, & contemneret, vt eius studiosos vno nomine* haereticos, *appellaret*, Romanos*que hortaretur, ne filios diutius, in litterarum studiis detinerent, quod satis esset, si legere & scribere didicissent.* Ab hisce igitur, & aliis maleuolorum hominum calumniis vindicatur Cap. I. Paullus II. simulque demonstratur, illum *non litteras, sed eos tantummodo litteratos esse insectatum, qui ethnicam religionem, prae christiana adamare videbantur.* Causſa autem quam ob rem Paullus II. academicos illos romanos infensissimo prosequutus fuerit odio, illa fuisse dicitur, quod eius furfuris fuerint homines, seu mores, seu doctrinam spectemus, vt quiduis potius quam pontificiae beneuolentiae documenta mererentur. *Disputabant ii*, inquit *Vindiciarum* auctor, *de animorum immortalitate*, platonicae *potius sectae quam christianae religionis adsectae, & nomina in baptismate susceptа immutabant, non iuuentutem tantum, vt ipsi aiebant, veterum aemulatione, ad virtutem incitantes, sed nimio gentilitatis amore obcoecati. Amor hic quosdam ex ipsis adeo transuersos egisse comperitur. vt nec a solemnium quorundam sacrificiorum ceremoniis abstinerent, vel sub ipso* Quirinali monte, *praesertim natali cuiusque eorum die recurrente, vsurpantesque priores illos secundae* Persii *satyrae versus:*

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo
Qui tibi labentes apponit candidus annos;
Funde merum genio.

Digitized by Google

In iis autem precationibus, atque conuiuiis, cui licentiae homines illi se darent, exemplo nobis sit Faustus Sabaeus, vaticanae *Bibliothecae, a* Leonis X. *Pontificatu vsque ad illum* Paulli IIII. *custos, qui ad agendum natalis sui diem, amicos inuitans, epigramma his versibus concludit:*

Vos afferte sales, dicteria, scommata, risus,
Danda voluptati est crastina tota dies.
Et quia prae foribus stat mors inopina, bibendum est,
Occupet impotos ne via longa necis.

— — *Affero nunc* Michaelis *nostri* Canensii *testimonium, ad eam ipsam* romanorum *quorundam Academicorum nequitiam declarandam luculentum, ac fide dignissimum; Hic* Paullum *commendat difertis verbis ob nefandam eorum sectam, sceleratamque opinionem, maxima diligentia e medio* romanae *Curiae sublatam, qui nimirum fidem orthodoxam prauis moribus inficerent, praedicarentque fas cuique esse pro arbitratu voluptatibus vti, quin turpe arbitrantes, sancti nomine, quod in baptismate acceperant, vocari, eo suppresso nouum sibi imponerent ex ethnica religione deriuatum. Subdit que, huic nequitiae eosdem crimen conspirationis in ipsius Pontificis vitam, vere adiecisse, tantamque rei atrocitatem* Marco Romano, *quem* Asclepiadem, Marino Veneto, *quem* Glaucum, Petro, *quem* Petreium, *&* Damiano Tusco, *quem* Callimachum *adpellabant, praesertim adscribit.* Glauci, Petreii, *atque* Callimachi *mentionem facit* Platina *quoque, quin* Callimachum *praecipuum eius sceleris architectum habitum prodit, quemadmodum & principem in ea Academicorum secta locum adsignat* Pomponio Laeto, *quem* Venetiis *ad* vrbem *tractum, & per totam* Italiam, *tanquam alterum* Jugurtham *in iudicium ductum repraesentat.* — — — Pomponius *hic ethnicos ritus ita deperisse comperitur, vt in more haberet natalem vrbis* Romae *diem cele-*

celebrare, quin Romulo *aram conſtruere, perinde ac ſi huic poſt exceſſum ſuum* Proculo, *vt ſcribit* Cicero, de Legibus, *ſe Deum eſſe, & Quirinum vocari dicenti fidem praeſtaret. Nullus dubito, non alium quam hunc ipſum* Pomponium *a* MICHAELE CANENSIO *deſignari his verbis:* „Huius vero ſectae Principem pro „honeſtate hic nominare minime intendimus, cum „in ore omnium propalam verſetur, qui Romae gram„maticam publice edocens, primo nomen ſibi com„mutauit, dehinc certatim diſcipulorum amicorum„que nomina innouabat, gentilium nomina ingerens.„ Ipſum praeterea pontificem litterarum ſtudiis & in primis hiſtoriae dediſſe operam, virosque doctiſſimos, inter quos nominat Antonium de Alliis, florentinum, Valerium Calderinum, genuenſem, Amicum Agnifilum, epiſcopum aquilanum, Georgium Trapezuntium, Joannem Andream, alerienſem, Theodorum Gazam, Bartholomaeum Siccum & Franciſcum Philelphum, eximia munificentia, omnique fauore fuiſſe proſequutum, multis ſcriptorum teſtimoniis, variisque in medium prolatis exemplis, comprobatum legimus. In primis argumentum rei litterariae, a Paullo II. ornatae ſuppeditat, typographicae artis opificium, quod ſub eo pontifice, ex Germania, primum in monaſterium ſublacenſe, deinde in vrbem romanam ipſam delatum fuit. Multa hac occaſione adferuntur, quibus artis typographicae hiſtoria, mirifice illuſtratur, & Michaelis Maittaire narratio, ea de re, in *annalibus typographicis* inſtituta, nouis, iisque haud proletariis ſupplementis, confirmatur & augetur. Cap. II. *indicantur leges, quas* Paullus II. *a ſe aliisque cardinalibus conſtitutas, & iuratas in conclaui, abrogandas cenſuerit, quibus vſus conſiliariis, quibusue de cauſſis.* Legum capita excerpta ſunt, ex Jacobi Cardinalis papienſis *Commentarior.* libro I. Inter conſiliarios, praecipui nominantur, ab eodem Cardinale papienſi, Stephanus eccleſiae mediolanenſis antiſtes, & Theodorus, tarviſinae epiſcopus. Cap. III. Paul-

Digitized by Google

lus II. *ab auaritiae nota vindicatur.* Cap. IIII. *intempestiuum magnificentiae studium quod* Paullo II. *impactum fuit, eluitur*, & commemoratur, quod inprimis in palatio & templo S. Marci construendo singularis magnificentiae laudem promeruerit. Illud splendidissimum palatium, quod Romae visitur, ii semper R. E. Cardinales, inhabitare solent, qui titulo S. Marci conspicui sunt. Cum igitur eminentissimus *vindiciarum* auctor, in Cardinalium numerum receptus, propterea quod Venetus esset, *libere* sibi *optaret*, vt loqui solent, istum titulum, simul etiam ex isto titulo, habitatio in palatio S. Marci, illi obtigit. vid. *Commentar. de rebus ad eum pertinentibus* P. II. L. II. p. 13. E *catalogo operum eminentissimi Cardinalis rizzardiano* intelligimus, quod huic palatio originem suam debeat opus, hoc titulo insignitum: *Tiara & Purpura* Veneta Romae *ante annos viginti penicilli opificio adumbrata in aula maiori aedium Cardinalis Tit.* S. Marci, *appositis tantum nominibus Pontificum & Cardinalium* venetorum, *nunc aucta istorum elogiis ex* ciaconiano *opere depromtis, nouisque ad haec adnotationibus in publicum prodit. Decas prima & secunda. Romae anno Jubilaei 1750. per Antonium de Rubeis.* Primam autem tantummodo operis partem esse, quod *decas tertia, & quarta* complebunt, idem *Catalogus* p. 32. adfirmat. Capite V. Paullus II. *ex magnanimitate principe digna commendatur*, & capite denique VI. & vltimo, Paullus II. *interiorem ac familiarem vitam, moresque suos, ita composuisse, perbibetur, vt nec in hac parte iustae reprehensioni obnoxius reperiatur.* Legitur in hoc capite epigramma, quod mortuo Paullo II. Joannes Antonius Campanus, in Platinam, ad Gentilem vrbinatem scripsit, & his verbis conceptum fuit:

Scire etiam cupio, quantum nunc Platina *saeuit,*
Manibus an parcat, abstineatque pyra
Sin defossa cauo disiecerit ossa sepulchro,
Sparserit in ventos, presserit an pedibus.

Poste-

Posteriori capiti additum est epitaphium, a Marco Barbo, Cardinale S. Marci, & patriarcha aquileiensi, Paulli II. cuius erat consanguineus, mausoleo, in veteri vaticana basilica olim constructo, positum. *Vindiciis* autem omnibus, finis imponitur particulis, ex duabus Francisci Philelphi *epistolis*, quae faciunt, ad confirmanda ea, quae in *Vindiciis*, ad defendendum Paullum II. prolata sunt. Altera epistolarum ad ipsum pontificem, quem nominauimus, altera ad Sixtum IIII. a Philelpho scripta fuerat. In fronte *vindiciarum* conspicitur interior templi S. Marci, romani, facies, cum effigie Paulli II. aere expressa, hisce adpositis verbis: *Effigies* Paulli II. Veneti. P. M. *ex deaurato aere fabrefacta, quam ad honorandam insignis Benefactoris huiusce Sacrae Aedis Memoriam conspicuo maxime loco reponendam curauit* ANGELVS MARIA S. R. E. Card. QVIRINVS, *postquam eiusdem aedis Presbyterium ad nouam omnino formam redegisset, Canonicorum subselliis, ara maxima, scalis ex vtraque parte, septis, binis arcubus, pauimento, loculo reliquiarum Sanctorum* Abdon *&* Sennen, *aliisque de nouo constructis, quibus omnibus vt sacellum SSmi Sacramenti eidem Presbyterio conterminum responderet, ipsum quoque Ara, eucharistico tabernaculo, septis, aliisque ornamentis instruxit;* Paulli *itaque, sacrae aedis, cuius delineatio hoc loco exhibetur, primum titularis, & benefactoris, deinde summi Pontificis, hisce* Vindiciis *illustrati, Effigies ista grati animi esto argumentum, exhibitum ab eo, cui patriae, tituli, domicilii, eadem cum* Paullo *contigit communio.*

Secundam libri partem constituit, ipsa Paulli II. *vita*, per MICHAELEM CANENSIVM de Viterbio, Decretorum doctorem, Canonicum Sancti Laurentii, & Damasi Episcopum castrensem compilata, quam *selecta* aliquot Paulli II. veneti *numismata*, aere expressa, & praefatio *ad colendissimum in* Christo *Patrem, & Dominum D.* Guillielmum *miseratione diui-*

Digitized by Google

na S. R. E. Cardinalem Ostiensis *& Rothomagensis Ecclesiarum antistitem dignissimum*, praecedit. Edita quidem iam antea fuerat haec Paulli II. *vita*, a sociis palatinis mediolanensibus Tom. III. *Scriptor. rer.* italicar. P. II. Cum vero codice admodum imperfecto, bibliothecae vaticanae editores vsi fuissent, illa ex codice multo perfectiore, angelicae augustinensium bibliothecae exscripta, & denuo, in lucem edita fuit. In fine p. 104. eminentissimus editor, monet lectores, vt ne *vitam* Sixti IIII. quam Ludouicus Antonius Muratorius, in *Scriptor. rer.* italicar. l. cit. ex codice vrbinate editam, a MICHAELE CANENSIO, quamvis ille, eiusmodi Sixti IIII. *vitam*, in fine *vitae* Paulli II. se scripturum receperit, sed a Bartholomaeo Platina potius, compositam existiment. Promiserat quidem eminentiss. QVIRINVS, *vindiciarum* pag. LX. aliquam collationem operis ad calcem instituere, inter Paulli II. *vitam*, ex angelicae bibliothecae codice, ab illo primum euulgatam, & eam, quam ex vaticanae bibliothecae codice, *Scriptoribus rerum* italicar. inseruit Muratorius l. cit. sed, cum parum vtilitatis, ex eiusmodi labore, ad lectores peruenire animaduerteret, *orationem* constituit *de* Italiae *pace* a Paullo II. anno 1468. sancita, in Paulli II. *vita* p. 82. memoratam, ex codice ottoboniano adpendicis loco subiicere. Prolixitate autem istius *orationis* deterritus, & illud consilium abiecit, eiusque in locum substituit:

Adpendicem qua comprobatur Paulli II. *Pontificatus felicitati deberi optimorum Scriptorum editiones quae* Romae *primum prodierunt post diuinum Typographiae inuentum a* Germanis *Opificibus in eam vrbem aduectum, plerisque omnibus earum editionum seu praefationibus, seu epistolis in medium allatis, cum breuibus Obseruationibus ad easdem, rei typographicae origini illustrandae valde opportunis*, a p. 107--288. In illa sane *Adpendice*, argumentum, quod *Vindiciarum* Capite I. ad demonstrandum Paulli II. erga litteras amorem, &

in

Digitized by Google

in homines litteratos munificentiam, ex inlata in vrbem Romam arte typographica in medium prolatum, vlterius persequitur, & veterum auctorum editiones, quae primum in monasterio sublacensi & deinde Romae, a primis typographis excusae fuerunt, multa sollertia & adcuratione describit. Omnis *Adpendix* §§. XXV. absoluitur, in quibus recensentur editiones vetustissimae Lactantii, Ciceronis, Augustini, Hieronymi, *sacri codicis*, Cypriani, Leonis magni, Thomae aquinatis, Roderici Zamorensis, Julii Caesaris, Titi Liuii, Virgilii, Lucani, Silii italici, Julii Calpurnii, Plinii maioris, Quintiliani, Suetonii, Auli Gellii, Apuleii, Alcinoi, Strabonis, *defensionis* Platonis, *a* Bessarione *compositae*, Ptolemaei, Dionysii halicarnassensis, quae opera Conradi Sweinheym & Arnoldi Pannarz, hortatu, ope, adsiduaque inspectione Joannis Andreae, episcopi alerienſis lucem adspexerunt, illustraruntque maxime Paulli II. Pontificatum. Illis additae §. vltimo nonnullae editiones, operum quorumdam Athanasii, Chrysostomi, & Franciſci sauonensis, ab aliis typographis romanis antiquioribus euulgatae. E sancti Chrysostomi operibus, memorantur p. 280. *homiliae in euangelium* S. Joannis & quidem ipsa illa editio, quam ex Bibliotheca portensi descripsimus Tom. I. *Apparat. litterar.* p. 91. Eminentissimus QVIRINVS, istius editionis hisce verbis fecit mentionem: S. Chrysostomi *Homilias in euangelium* S. Joannis Romae *vulgatas interprete* Franciſco Aretino *anno* 1470. *allegat* Maittaire, *& quidem in monasterio* S. Eusebii *per* Georgium Laver, *vt ipse coniicit, quippe qui in eo coenobio praelum erexerat, quod constare affirmat ex rythmis appositis* libro sexto Decretalium *an.* 1472. *per eundem* Laver Romae *edito, quos recitat:*

Studio correcta diligenti, sepeque lecta
Per Celestinum *nomine, sed re pulueriuum*
Sancto in Eusebio *degentem Cenobio.*
Qui me scribebat, Ge. Laver *nomen habebat*,

Digitized by Google

Romae *versatus tunc, sed* Herbipoli *natus*
Anno Milleno quater C. Sep. que deno
Bis vno iuncto, sed mense sub Februo
Sub quarto Sixto *Pontifice Seraphico.*

Non sep. *sed* sex *legendum erit, vt annus 1472. ei editioni respondeat; nam alias responderet annus 1482. quem pariter* Sixti *tempora attigerunt.* Cum illa legeremus, quaedam dubitatio subiit animum, cum versus, quos in Fr. Antonii ordinis Praedicator. *tractatu de institutione simplicium Confessorum, Romae* 1472. edito, inueniri dixeramus, *libro VI. Decretalium* additos esse, illiusque rei testem, excitari Michaelem Maittaire intelligeremus, ad cuius testimonium nos quoque prouocaueramus. Locum itaque in Michaelis Maittaire *Annal. typograph.* Tom. I. p. 312. edit. *amstelodamens.* 1733. denuo euoluimus, & nihil a nobis prolatum esse inuenimus, quod cum Michaelis Maittaire auctoritate pugnare videatur. Non iniucundum lectoribus nostris fore arbitramur, si heic adderemus *indicem librorum* ab Arnaldo Pannarz & Conrado Sweynheim impressorum, in quo adnotarunt isti typographi, quot exemplaria de vnoquoque libro, quem excuderunt, euulgata fuerint. Inuenit istum indicem eminentissimus Cardinalis, in *epistola* Joannis Andreae alerienſis, Tomo IIX. *operum* Nicolai de Lyra rarissimorum, *Romae* anno 1472. *in domo Petri de Maximis* editorum,

Donati *pro puerulis, vt inde dicendi principium sumamus, vnde imprimendi initium sumpsimus, numero trecenti* - - - - 300.

Lactantii Firmiani *institutionum contra gentiles, & reliquorum eius authoris opusculorum volumina octingenta viginti quinque* - 825.

Epistolarum familiarium Ciceronis *volumina ducenta septuagintaquinque* - - 275.

Speculi humanae vitae volumina trecenta - 300.

D. Au-

Digitized by Google

D. Auguſtini *de ciuitate Dei volumina octingenta vigintiquinque* - - 825.
D. Hieronymi *epiſtolarum, & libellorum volumina mille centum* - - - 1100.
M. T. Ciceronis *de Oratore cum caeteris volumina quingenta quinquaginta* - 550.
M. T. Ciceronis *Operum omnium in philoſophia volumina quingenta quinquaginta* - 550.
L. Apuleii Platonici *cum* Alcinoo *volumina ducenta ſeptuaginta quinque* - - 275.
A. Gellii *Noctium Atticarum volumina ducenta ſeptuaginta quinque* - - - 275.
C. Caeſaris *Commentariorum gallici & ciuilium bellorum volumina ducenta ſeptuaginta quinque* 275.
Defenſionis diui Platonis *volumina trecenta* 300.
P. Virgilii Maronis *Operum omnium volumina quingenta quinquaginta* - - 550.
T. Liuii Patauini *cum Epitomate omnium Decadum volumina ducenta ſeptuaginta quinque* 275.
Strabonis *Geographi volumina ducenta ſeptuaginta quinque* - - - 275.
M. Annaei Lucani *volumina ducenta ſeptuaginta quinque* - - - 275.
C. Plinii veronenſis *de naturali hiſtoria volumina trecenta* - - - 300.
C. Suetonii Tranquilli *de duodecim Caeſaribus volumina ducenta ſeptuaginta quinque* 275.
D. Leonis *Papae Sermonum volumina ducenta ſeptuaginta quinque* - - 275.
M. Fabii Quintiliani *inſtitutionum oratoriarum volumina ducenta ſeptuaginta quinque* 275.
Continuè, id eſt catbenae aureae D. Thomae Aquinatis *volumina quingenta quinquaginta* 550.
D. Cypriani *epiſtolarum volumina ducenta ſeptuaginta quinque* - - 275.
Bibliae *cum opuſculo* Ariſteae *volumina quingenta quinquaginta* - - - 550.

Digitized by Google

Silii Italici *cum* C. Calphurnio *& Heſiodo volumina ducenta ſeptuaginta quinque* - 275.

Orationum M. T. Ciceronis, *cum inuectiuis omnibus in* Antonium, Verrem, Catilinam *& caeteros volumina ducenta ſeptuaginta quinque* 275.

P. Ouidii Naſonis *Metamorphoſeos & elegiarum omnium volumina quingenta quinquaginta* . 550.

Nicolai de Lira *volumina mille & centum.* 1100.

Iſte ſane *index* luculentiſſime teſtari poterit, raras admodum eſſe editiones, quae ab hiſce typographis Germanis, in romana vrbe in lucem prolatae fuerunt. Conf. de libro quem deſcripſimus eminentiſſimi Principis A. M. QVIRINI *Commentar. de rebus ad* illum *pertinentibus* P. II. L. II. p. 267 ſqq. *Acta eruditor.* lipſienſ. ann. 1743. vbi exactior & prolixior reperitur recenſio.

CXXXI.

Specimen variae literaturae quae in vrbe Brixia eiusque ditione paulo poſt Typographiae incunabula florebat Scilicet vergente ad finem Saeculo XV. vsque ad medietatem Saeculi XVI. Vnde praeter Brixiani ingenii gloriam, tam Annalium typographicorum ſeries, quam Hiſtoria literaria temporis illius, quo bonarum artium renata ſunt ſtudia, illuſtrantur. Pars prima poetas latinos aureae & argenteae aetatis quos Brixiani Scriptores illuſtrarunt complectitur. *Brixiae excudebat Joannes-Maria Rizzardi* cIↃ IↃcc XXXIX. (1739). *Superiorum Approbatione* in 4. form. maior. pp. 172. except. praefat. & titulo fol. 5.

Speci-

Digitized by Google

Specimen variae literaturae quae in vrbe Brixia eiusque ditione paulo post Typographiae incunabula florebat Scilicet vergente ad finem Saeculo XV. vsque ad medietatem Saeculi XVI. Vnde praeter Brixiani ingenii gloriam, tam Annalium typographicorum series, quam Historia literaria temporis illius, quo bonarum artium renata sunt studia, illustrantur. Pars secunda, grammatica, oratoria, poetica, philosophica complectitur. *Brixiae excudebat Joannes-Maria Rizzardi cIↃ Iccc XXXIX.* (1739). *Superiorum Approbatione.* pp. 348. si titulum & praefat. fol. 8. exceperis.

Quamuis huic operi, auctoris nomen non additum fuerit, praeter alia tamen indicia luculentissima, insignia QVIRINIANA, quibus prima praefationis littera, ornata est, eminentissimum auctorem satis superque produnt. Is enim minime ferre poterat, vt insignes scriptores, quorum, sub ipsa praesertim typographiae incunabula, & renatarum litterarum tempora, vrbs brixiensis, inclita Cenomanorum princeps, insignem tulit prouentum, adeo male, quin indigne a Leonardo Cozzando, in libro, cui titulus *Librariæ* Bresciana, *Brescia* 1694. in 8. habiti fuerint, vt nihil magis eius vrbis dignitatem, & eorum ingeniorum praestantiam dedeceret. Re igitur diu multumque pensitata, ciuium suorum merita, in omnem rem litterariam, suo restituere nitori, & in omnium conspectum proferre decreuit. Non solum autem brixianorum illius aetatis scriptorum notitiam, adcurata in hoc opere narratione descripsit, sed ex ipsorum operibus, luculenta fragmenta, praefationes, epistolas dedicatorias, ex veteribus editionibus, magno plerumque labore, & temporis impendio vndique conquisiuit, descripsit, & in lucem protulit, quas scilicet in recentioribus

Digitized by Google

tioribus editionibus, plerumque omissas esse, virorum doctorum querela esse solet. Iis enim instrumentis, atque subsidiis, nihil opportunius esse, probe perspexit eminentissimus auctor, ad Scriptorum doctrinam, ingenium, stilum, vitae etiam eorum vices, aliaque omnia illustranda, vnde & eorumdem, & vniuersa litteraria eius temporis, quo scripserunt, historia, perspicuis certisque fundamentis nixa percipiatur.

Prima operis pars, poetis aureae argenteaeque aetatis destinata, editiones Plauti, Terentii, Catulli, Horatii, Ouidii, Lucani, Persii, Statii, Juuenalis, Martialis, seculo XV. exeunte, & prioribus Seculi XVI. temporibus, a viris brixiensibus curatas, tanta cura, tantaque sollertia descriptas, ob oculos ponit, vt nihil prorsus desiderari posse videatur. Multa certe heic inueniuntur, quibus non solum Joan. Albert. Fabricii *Bibliotheca latina*, Michaelis Maittaire *Annales typographici*, Angeli Comneni Papadopoli *gymnasium* patauinum, aliique scriptores, qui in commemorandis rebus, quae ad veterum auctorum editiones, ad illustrandam artis typographicae historiam spectant, operam & studium suum collocarunt, augeri, supplerique poterunt; sed iis etiam vniuersae fere Italiae historia litteraria mirifice illustratur.

Secunda pars, in tres potissimum sectiones diuisa est, quarum prima, merita virorum brixiensium in *grammaticam*, secunda in *oratoriam*, tertia denique in *poesin* ob oculos ponit. Instituti nostri ratio, nihil amplius nobis permittit, quam nomina virorum recensere, qui hisce studiis vrbem brixiensem illustrarunt. In prima classe occurrunt Pylades Buccardus, Joannes Britannicus, Christophorus Barzizius, Jo. Franciscus Stoa, Paullus Suardus, Augustin. Saturnius Lazaroneus, Jouita Rapicius, Joannes Taberius, Joannes Calphurnius, Bartholom. Parthenius, Cornelius Donzellinus. Illis adiiciuntur nonnulla de *Typographia*

Digitized by Google

phia benacenſi. Secundae claſſi adcenſentur Chriſtophorus Barzizius, Jouita Rapicius, Gregorius & Benedictus Britannicus, Jo. Marius Matius. Additae ſunt obſeruationes quaedam, de Marii Nizolii *Theſauro* ciceroniano, & *Cornucopiae* Nicolai Perotti. Tertiae claſſi adſcripti ſunt Joan. Franciſcus Stoa Quintianus, Fauſtus Sabaeus, Jouita Rapicius, Jacobus Bonfadius, Nicolaus Siccus, Bartholomaeus Theanius, Caeſar Duccus, Andreas Mucius, Auguſtus Cocceianus, Calemerius Balneacatus, Jo. Marius Matius, Diomedes Sala, Jo. Antonius Taygetus, Hieronymus Bornatus, Ludouicus Federicus, Comes Brunorius Gambara, Vincentius Zinus, Joſephus Milius Voltolina, Laurentius Gambara, Theophilus Monachus brixianus, T. Proſper Martinengus, Vbertinus Poſculus, Joannes Calphurnius, Pylades Buccardus, Bonifacius Bembus, & Andreas Maro. Adpendicis loco quaedam in medium prolata fuerunt de Merlini Coccaii *poematibus macaronicis*, & in primis de editione, quam *Tuſculani apud Lacum benacenſem Alexander Paganinus Anno M. D. XXI. die V. Januarii*, in lucem protruſit; *de italica* Brixianorum *poeſi*, & de Octauio Pantagato. Cum in *Analectis litterariis de libris rarioribus* p. 255. Mr. le Duchat notatus a nobis fuit, quod in *Ducatianis* P. I. p. 49. Merlinum Coccaium, ſiue qui ſub hoc nomine latet Theophilum Folengum, Hieronymum Folengum adpellauerit, nos hac in re παρόραμα admiſiſſe vltro libenterque fatemur. Omnino enim Folengus, Hieronymus adpellatus fuit, cum vero ordini Benedictinorum, congregat. caſinenſis, Brixiae in S. Euphemiae coenobio, ſe addiceret, Theophili primum nomen adſumſit. vid. Niceron *Memoires* Tom. IIX. p. 1. Alberti Henrici de Sallengre *Memoires de litterature* Tom. II. p. 462. Quod illum puduerit carmina compoſuiſſe ludicra, hoc eius teſtatur epigramma:

Cum mihi praeteriti ſubeunt inſomnia Baldi
Tam pudet, vt pudeat, non puduiſſe ſatis.

Infelix

Digitized by Google

Infelix tamen ipſe minus fortaſſe viderer
Luſiſſem varios ſi ſine dente modos.

Quae eminentiſſimus QVIRINVS p. 315 ſqq. de illo prodidit, maxima ex parte, vt ipſe refert e *Bibliotheca* Benedictin. caſinenſi deſumta ſunt. *Grammaticorum*, *rhetorum*, & *poetarum* brixienſium, quos nominatim, ſcripta, in libro quem deſcribimus adcurate adducuntur, recenſentur, & aliorum virorum doctorum de iis iudicia, vel in laudem eorum, vel in vituperium prolata, memorantur, expendunturque. In praefatione monentur lectores, qua ratione Laura Cereta, Veronica Gambara, & aliae doctiſſimae mulieres effecerint, vt Brixia non *virorum* tantum, ſed & *feminarum Academia* adpellari meruerit. Exſpectant adhuc viri litterati, operis praeſtantiſſimi partem tertiam, in qua eminentiſſimus auctor, *philoſophos* brixienſes, quos ſecundae partis titulus iam promiſerat, in lucem productum ſe recepit. Prolixiorem Partis I. & II. recenſionem vide in *Actis eruditorum* lipſienſ. ann. 1741. p. 498 ſqq. in *zuverlaeſſigen Nachrichten, von dem gegenwärtigen Zuſtande, Veränderung vnd Wachsthum der Wiſſenſchaften* Tom. II. P. XXIII. p. 736 ſqq. Qua ratione liber a viris Italis, in ſumma dignitate conſtitutis, pariter atque doctiſſimis exceptus fuerit, vid. in *Commentar. de rebus ad* ANGEL. MAR. QVIRINVM *pertinentibus* P. II. L. II. p. 253 ſqq. in eruditiſſ. Brixiani Philopatridis *epiſtola ad* Felicem Mariam Nerinium, Hieronymiani Ordinis Abbatem generalem *Brixiae* 1752. in 4. form. mai. edita p. VI ſqq.

Digitized by Google

CXXXII.

ISIDORI, *hiſpalenſis*, Soliloquia. in 8. foliot. 40.

Vt libri, qui Seculo XV. in forma octaua prodierunt, per ſe admodum rari ſunt, ita illi praeſertim non niſi rariſſime inueniuntur, qui eodem ſeculo *Merſeburgi*, aut *Marſipoli*, ſicut ea vrbs, nonnunquam vocatur, impreſſi ſunt. Praeter hunc enim, qui in bibliotheca portenſi adſeruatur, nullum alium, in conſpectum nobis venire meminimus. Litteris exſcriptus eſt maiuſculis, & admodum luculentis gothicis. Litterae initiales omnes omiſſae, minio tamen adpictae ſunt. Omnis liber deſtituitur titulo & his inchoatur verbis: *Incipit Prologus* ISIDORI *Epiſcopi in ſoliloquia eiusdem.* In fine voluminis, haec oculis ſubiiciuntur verba: *Sancti* ISIDORI Iſpalenſis *archiepiſcopi ſinonima expliciunt. Anno dni &c. MCCCCLXXIX.* (1479) Marſipolis *Sabbato ante Thome.* Vtrum Martisburgi in Saxonia, aut Martisburgi in Sueuia excuſus fuerit liber, adcurate definire non poſſumus, ſi tamen coniecturae locum dare voluerimus pro Suevorum Martisburgo aut Marſipoli pronunciaremus, quamuis Saxonum vrbi eam gloriam vindicare videtur Joannes Ludolph. Bünemannus, qui volumen in 4. excuſum, ſex annis antiquius, in vrbe *Merſsborg* impreſſum poſſedit. Eius in calce haecce legebantur verba: *Diuina igitur annuente gratia multa inquiſicione habita ex pluribus libris philoſophorum hunc lib. qui Phiſonomia regia intitulatur collegimus, in perpetuam memoriam Excellentiſſ. Principis Dom.* Wenceslay *Secundi regis* Bohemorum. *Explicit liber de Phiſonomia Anno dni. Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo tercio* (1473) *in vigilia XI. milium virginum Completum eſt preſens opus in ciuitate* Merſsborg. Vid. *Catalog. Mſs. membranaceorum & chartaceorum item librorum ab inuenta typographia vsque ad ann. 1500. & vlterius impreſſorum* p. 15. vbi libro rariſſimo

pre-

Digitized by Google

pretium 18. thalerorum ſtatuitur. Eamdem libri editionem, ex *bibliotheca* daneſchioldiana p. 139. protulit Proſper Marchand in *Hiſtoire de l'Origine & des premiers progres de l'imprimerie. A la Haye* 1740. in 4. form. mai. p. 63. Duplici, hoc S. ISIDORI opus, iam *Soliloquiorum*, iam *Synonymorum* titulo excitari ſolet. Prior ideo illi impertitur, quod inducitur ſolus homo, qui plangit ſecum, vel rationem ſuam in conſilium vocat. Poſterioris autem rationem, auctor *prologi* eiusmodi expoſuit verbis: *in ſubſequenti hoc libro, qui nuncupatur* ſinonima *id eſt verba in vnam ſignificationem coeuncia, ſancte recordacionis* ISIDORVS *Archiepiſcopus ex* Hiſpania *introducit perſonam hominis in erumnis preſentis ſeculi ſiue deflentis pene vsque ad deſperacionem defluxi. cui mirabili concurſu racio obuians. leui hunc moderamine conſolatur. atque a lapſu deſperacionis ad ſpem venie reformat & quemadmodum tergiuerſantis mundi lapſum incurſusque deuitet formulamque vite ſpiritalis arripiat mirabiliter docet* &c. Eiusdem opuſculi quod in duos libros diuiſum eſt, aliam habemus editionem, quae hoc inſcribitur titulo: ISIDORVS *de ſummo bono & ſoliloquiorum eius* in 8. form. minim. Prius opuſculum fol. 103. abſoluitur; in poſteriore autem nonnulla folia deſunt. Liber litteris gothicis exſcriptus eſt, & in ſecunda tituli pagina S. ISIDORI imaginem, ligno inciſam, & variis coloribus diſtinctam ob oculos ponit. Typographus libro, *de ſummo bono*, talia coronidis loco adiecit verba, cum ſuis inſignibus: *Finit liber tertius & vltimus de ſummo bono ſancti* ISIDORI hyſpalenſis *epiſcopi. Impreſſum* Baſilee *per Magiſtrum* Nicolaum Lamparter. *Anno domini Milleſimo quingenteſimo quinto* (1505). *XXIIII. die Julii.* Vtraque editio effugit Michaelis Mattaire notitiam. *Opera* S. ISIDORI in vnum collecta volumen ediderunt Margarinus de la Bigne, Doctor Theologus, Ardennae in Normannia Ordinis praemonſtratenſis Abbas Commendatarius, & Jacobus du Breuil, mona-

Digitized by Google

monachus S. Germani parisiensis, ordinis S. Benedicti, ille *Paris. apud Michael. Sonnium* 1580. hic *ibidem apud eumdem Sonnium* 1601. in fol. Euulgauit etiam editionem, quae tamen rarissime in nostris regionibus, in conspectum venit, Joannes Grialus, *Madrit.* 1599. in fol. Cum Jacobi du Breuil editio, multo prioribus editionibus auctior & emendatior esset, illa in Germania hoc recusa fuit titulo: S. ISIDORI hispalensis *Episcopi, Opera omnia quae extant: partim aliquando doctissimorum virorum laboribus edita, partim nunc primum exscripta, & ad vetustissima* Paulli Petauii, Papirii Massoni, *& alior. exemplaria, accuratius quam antea emendata per* Fr. Jacobum du Breuil, *monachum* S. Germani a Pratis. *Editio postrema auctior & correctior. Indices Auctoritatum Sacrae Scripturae, Rerumque ac Verborum ad calcem totius operis habentur. Coloniae Agrippinae sumptibus Antonii Hierat.* 1617. in fol. pp. 631. Recensio editionis, qua non recentior existat, vid. in *Merkwürdigkeiten der königl. Bibliothek zu* Dresden Tom. II. p. 490 sqq. Emendari debet in *lexico eruditorum* Tom. I. col. 1373. quod Jacobus du Breuil, ISIDORI tantum *origines cum notis*, edidisse dicitur.

De Sancto ISIDORO, patre Seueriano, stirpis gothicae viro, progenito, qui post fratrem suum Leandrum, episcopatum hispalensem obtinuit, & anno Chr. 636. mortuus est, vid. praeter S. Ildefonsum, Sigebertum gemblacensem, Honorium, Anonymum mellicensem, Braulii siue Braulionis *vita* B. ISIDORI, *seu praenotio librorum eius, & obitus eiusdem a* Redempto Clerico *recensitus*, quae nonsolum *operibus* ISIDORI, ab editoribus praemissa, & a Laurentio Surio *vitis Sanctor.* d. IIII. April. p. 60. inserta fuerunt, sed *notis* etiam *illustrata*, & alia *vita* ISIDORI, auctore canonico regulari, coenobii legionensis S. Isidori forte Luca, postea episcopo tudensi, *ex Ms. codice* toletano, *cum commentario praeuio, & notis* Godofredi

Henſchenii, locum inuenerunt in *Actis Sanctor.* antverpienſ. April. Tom. I. p. 330 ſqq. Conf. Jo. Trithemius *de Scriptor. eccleſ.* Cap. CCXXXII. p. 62. Guil. Caue in *Hiſtor. litterar. Scriptor. eccleſ.* p. 434 ſqq. Antonius Poſſeuinus in *Adparat. ſacr.* Tom. II. p. 291 ſqq. Caſimir. Oudinus in *Commentar. de Scriptor. & ſcriptis eccleſ.* Tom. I. col. 1582 ſqq. Nicolaus Antonius in *Biblioth.* hiſpan. *veter.* Tom. I. L. V. Cap. IIII. p. 250 ſqq. Jo. Albert. Fabricius in *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. VIIII. p. 539 ſqq. aliique plures.

CXXXIII.

Libellus de iudaica confeſſione ſiue ſabbato afflictionis, per JOANNEM PFEFFERKORN *factum ex iudeo chriſtianum* nuper editus.

Si queris: qui ſim curtus facilisque libellus:
Dicam iudeis que ſine luſtralia ſacra
Quoue die culpas, & quo purgamine ponant:
Prodo: leges in me gentis phantasmata vana:
Quis nullam poterit ſibi ſpem feciſſe ſalutis.
Vt damnes, ſaluat te ſic deus arbiter equi.

in 4. folior. 10.

JOANNES PFEFFERKORN, ſiue PIPERCORNIVS, ſeu PEPERICORNIVS, inter homines, ab auctoribus *epiſtolarum obſcurorum virorum* exagitatos, non poſtremum obtinet locum. Judaeus ille fuit, & initio ſeculi XVI. iudaiſmo eiurato ad ſacra pontificiorum tranſiit. Coloniae potiſſimum ſubſtitit, ideoque *colonienſis* cognominari ſolet. Peruicaciſſimus Joannis Reuchlini exſtitit antagoniſta, cuius rei hanc potiſſimum eſſe cauſſam memorant. Impetrauerat cum Jacobo

Jacobo Hogſtraten, Arnoldo de Tungaris, Ortuino Gratio, viris, qui vtramque fere paginam, in *epiſtolis obſcurorum virorum* faciunt, ab Imperatore Maximiliano anno 1509. die XVIIII. menſ. Auguſti poteſtatem viſitandi perluſtrandique, vbique libros omnes & ſcripta Judaeorum, in ſynagogis, aliisue locis, etiam privatis bibliothecis, & quicunque, inter libros eos, inventi fuerint, alieni a libris Moſis & prophetarum, & apocryphi, atque in contemtum religionem chriſtianam adducerent, *eos omnes, cum ſcientia tamen conſilii publici, aut rectorum & magiſtratuum cuiusque loci, vbi hoc fieri contigerit, ac in praeſentia paſtoris & duorum ex ſenatu aut conſilio ſeu aliorum praeſidentium & regentium* auferendi, accipiendi, deprimendi. Ipſum Imperatoris mandatum legi poterit in *Nou-antiquis* anni 1731. p. 520 ſqq. Id aegre admodum ferens linguae ebraicae in Germania reſtaurator, Joannes Reuchlinus, phorcenſis, nonnulla contra PFEFFERKORNIVM, eiusque ſodales euulgauit ſcripta, ad quae illi quoque reſponderunt. Huic ſane controverſiae originem acceptam referunt *Epiſtolae obſcurorum virorum*, in quibus vt iam diximus, PFEFFERKORNIVS cum ſociis ſuis, ludibrio expoſitus fuit. Omnem controuerſiam pluribus verbis narrant Joan. Henric. Maius in *vita* Reuchlini p. 256 ſqq. Michael Neander in *Erotemat. lingu. hebraic.* p. 540 ſqq. Niceron in *Memoires* Tom. XXV. p. 133 ſqq. p. 150 ſqq. Jaques Baſnage in *Hiſtoire des Juifs* Tom. V. p. 2059 ſqq. Tom. VI. p. 155 ſqq. Conf. Hermanni von der Hardt *Hiſtoria litteraria Reformationis* P. II. paſſim, & in primis in *praefatione*. P. Baile *Dictionnaire hiſtorique & critique* Tom. II. p. 1481 ſqq. Jo. Franc. Buddei *introductio in hiſtoriam philoſophic.* Hebraeor. p. 203 ſqq. *Lettres choiſies par Mr.* Richard Simon Tom. I. p. 262 ſqq. Joan. Chriſtophor. Wolfii *Bibliotheca hebraea* P. I. p. 985 ſqq. P. II. p. 1011. P. III. p. 940 ſqq. P. IIII. p. 956 ſqq. *Nou-antiqua* anni 1731. p. 513 ſqq. Jacob. Bruckeri *Ehrentempel*

der deutſchen *Gelehrſamkeit* Dec. II. p. 44. Jo. Nicol. Weislingeri *warhafte Nachricht von dem Autore der verſchrienen* Epiſtolarum obſcurorum virorum, *Conſtant.* 1730. in 8. paſſim, aliique plures. De mortis genere, quo obierit JOANNES PFEFFERKORNIVS, doctorum virorum ſententiae diſcrepant. Alii, quorum nomina vid. in *Nou antiquis* l. cit. p. 512. & in Jo. Chriſtoph. Wolfii *Bibliotheca hebraea* P. I. p. 987. illum ad auitam religionem reuerſum, ob varia flagitia, & in primis ob hoſtiae abuſum Halae Saxonum anno 1515. viuum fuiſſe combuſtum memorant. Sed ſunt alii, qui huic narrationi plane contradicunt, & duplicem PFEFFERKORNIVM, vtrumque ex Judaeo chriſtianum, fuiſſe contendunt, quorum alter ſacerdos, Halae anno 1515. combuſtus fuerit, quamuis obiectorum ſcelerum, vix ſatis conuictus eſſet, alter vero colonienſis, laicus, anno 1516. in viuis adhuc fuerit. Exſtare ſupplicii de PFEFFERKORNIO halenſi, ſumti, narrationem, hoc titulo inſignitam: *die Geſchicht vnd Bekendnuſz des getauften Juden zu* Hall, *vor* S. Moritzenburg *auf dem Juden-Kirchhoff mit glüenden Zangen geriſſen, darnach gepraten*, memorat ex Hockeri *Catalogo Biblioth.* heilbronnenſis p. 156. Jo. Chriſtophor. Wolfius in *Biblioth. hebraea* P. IIII. p. 957. Conf. P. I. p. 988. P. III. p. 944. Jo. Henr. Maii *vita* Reuchlini p. 254. Jaques Baſnage l. cit. Tom. V. p. 2063. Tom. VI. p. 158. Maturin Veyſſiere la Croze *Entretiens ſur divers Sujets d'Hiſtoire, de litterature, de religion & de critique* p. 226 ſqq. Jacob. Burckhardi *Commentatio de* Vlrico Hutteno P. I. p. 176 ſqq. Georgii Serpilii *diſquiſitio hiſtorica de cantico* Freu dich ſehr o meine Seele *an.* 1715. in 8. edita p. 14 ſqq. Jo. Jacob. Schudtii *iüdiſche Merkwürdigkeiten* P. IIII. Continuat. I. p. 246 ſqq. Omnia vero JOANNIS PFEFFERKORNII colonienſis, ſcripta eſſe rariora, monuit Jacobus Fridericus Reimmannus in *Catalogo Biblioth. theologicae ſyſtematico-criticae* p. 474. Illud profecto opus, cuius adſcripſimus

Digitized by Google

mus titulum, e rationibus est, quod a Joanne Christoph. Wolfio l. cit. P. III. p. 944. memoratum fuit, qui praeter nostram editionem illud, *Coloniae* 1508. in 4. editum esse, adnotauit e *Bibliothec.* bremens. Class. II. p. 136. Class. VI. p. 650. Editio, qua vtimur, litteris gothicis exscripta, & nonnullis figuris, quae rem propositam illustrant, & Judaeorum ritus referunt, ligno incisis ornata est. In sex opus diuisum est partes; I. agitur *de praeparatione iudaice confessionis & quo tempore fiat, & quo ritu.* II. ostendit *cui, & quomodo confiteantur, & quis eos absoluat a peccatis.* III. *quare huiusmodi propalauerit, atque in lucem produxerit, & quo pacto, ab huiusmodi erroribus & nequitiis abduci queant Judaei.* IIII. *quid mali offensi & damni immineat christianis in anima & corpore qui iudeis cohabitant, & nimis familiariter cum eis conuersantur.* V. *Admonitoria ad christianos principes, populos & ciuitates quod iudeos recipiant & tuentur, in sua illos nequitia viuere sinentes.* VI. *quid sit in causa cum comperiantur iudei qui non auersantur fidem christianam, tamen in iudaismo perseuerant, confugientes baptima nostrum, & aliquid remedii.* In fine haec leguntur verba: *Hoc opus editum a* JOANNE PFEFFERKORN *olim iudeo nunc christiano. Et impressum* Nurnberge. *per me dnm.* Joannem Weyssenburger *presbiterum. Anno octauo* (1508). A Michaele Maittaire in *Annalibus typographicis* nihil de illa editione relatum legimus. Idem sine dubio libellus est, qui teutonice hoc exstat titulo:

Ich heisch eyn Boichelgyn der Joeden Bicht,
In allen orten vint men mich licht.
Vil newe meren synt mir wail becant,
Ich wil mich spreyden in alle landt.
Wer mich lest. den wunsch ich heyl.
Doch dat ich den Joeden niet werde tzo deyl.

Digitized by Google

gedruckt in Coolen *durch* JOHANN PFEFFERKORN *im vurtzyden eyn Joede* 1508. in 4. de cuius insigni raritate vid. *Catalogus Bibliothecae* Daniel. Salthenii p. 51.

CXXXIIII.

De ortu progressu & fructu sacre theologie: cum consideracionibus, directionibus & cautelis in studio sacre theologie obseruandis Opusculum.

Ad Lectorem.

Hermanni Buschii Pasiphili Epigramma.

Ortum progressum fructum qui denique sanctum
Nosse cupis sophie: lector amice: sacre
Hunc lege: non vana verbosum ambage libellum
Sed multis casta sub breuitate parem
Forte tibi sapiunt alii: mera massica: libri
Iste ferat nectar ambrosiamque tibi.

in 4. folior. 10.

Libelli recensio legitur, in *Nou-antiquis* an. 1732. p. 18 sqq. Diuersa autem ab illa omnino, quam describimus, esse videtur editio. Litteris gothicis impressa est Liptzk per Jacobum Thanner, qui insignia sua in fine adposuit. Quo autem tempore id fuerit factum, typographus non adscripsit. Auctor libelli est CONRADVS WIMPINA *de Fagis*, qui hanc brevem illi praeposuit praefationem.

CON-

Digitized by Google

CONRADVS WIMPINA de Fagis, *humilis Sacre theologie professor suis auditoribus.*

Cum post intermissi his diebus, theologici studii intercapedinem: iucundissimi auditores mei: repetendam scirem theologicam diui Acquinatis *lectionem. Cogitani ne quid temporis per ignauiam deflueret, aliquid interea operis facere, quod vel vobis frugi, vel mihi saltem litterario, oneri esset. Itaque ex sanctorum institutis brevem illum ad vos prodire feci codicillum, in quo quis ortus: quis progressus: quis item theologici studii vestri fructus esset, compendiario dinoscere possetis. Adiectis nonnullis considerationibus, directionibus & cautelis theologico labori non parum (mea opinione) vel opportunis vel accommodatis. Accipite igitur, & mente qua porrigo benivolentissima lecturi excipite, proque* CONRADO *vestro. quod vnicum posco, vnice Deum rogate.* In collectione *opusculorum* CONRADI WIMPINAE quam Joannes Romberch a Kyrspe, Dominicanus colonienſis, titulo *Farraginis miscellaneorum*, *Coloniae* 1531. in fol. edidit, primo loco repositum fuit. Reliqua, quae de libello dici poterant, vid. in *Nouantiquis* l. cit.

Proprio & patrio nomine CONRADVS appellabatur KOCH, quam ob rem etiam nonnunquam in scriptis suis, se CONRADVM COCI nominauit. Cognomen *ex Fagis* & *de Fagis*, a patria Buchheim oppidulo odenwaldensi, dioeceseos herbipolensis, nomini suo addidit. Vsitatissimum autem eius cognomen fuit WIMPINA, siue WIMPINENSIS, propterea quod patria, haud procul ab vrbe wimpinensi (*Wimpfen*) sita erat. In academia lipsiensi, maioris collegii collegiatus & professor, per viginti & amplius annos, philosophiam, theologiam, & poeticen summo cum applausu docuit. Inde a Marchione brandeburgico, ingenti stipendio euocatus, Francofurtum ad Viadrum concessit, ibique Academiae iecit fundamenta, & anno 1506. primus Rector, vtriusque collegii academici

Digitized by Google

collegiatus, Theologiae Decanus, & ecclesiarum cathedralium, brandeburgensis & hauelbergensis Canonicus constitutus fuit. Sed vitae, in ea vrbe pertaesus, in Franconiam concessit, vbi anno 1531. mortuus est. Multis scriptis, & in soluta, & ligata oratione conscriptis, nominis sibi parauit famam, & adrepta subinde occasione, in Lutherum, libris suis, invectus est. Vid. de illo Anonymi *Centuria Scriptorum insignium, qui in celeberrimis, praesertim* lipsiensi, vittenbergensi, francfordiana ad Oderam *academiis, a fundatione ipsarum vsque ad annum Christi 1515. floruerunt*, a Joachim. Joanne Madero edita num. LXXV. Jos. Simleri *Bibliotheca* p. 135. Antonii Possevini *Adparatus sacer* Tom. I. p. 149. Viti Ludouici a Seckendorf *Historia* Lutheranismi, passim. P. Baile *Dictionaire historique & critique* Tom. IIII. p. 2879. Jo. Albert. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. III. p. 1186 sqq. Omnium autem optime in describenda illius vita versatus est, Christianus Gotthold Wilisch, qui CONRADI WIMPINAE *Commentario poetico, de* Alberti animosi *expeditionibus bellicis, Altenburg.* 1725. in 8. edito, *vitam* illius praemisit. Conf. *Nou-antiqua* an. 1716. p. 378 sqq. Christ. August. Saligs *vollstaendige Historie der* auspurgischen *Confession* L. II. Cap. V. p. 233. not. (h.)

CXXXV.

De vera philosophia ex quattuor Doctoribus Ecclesiae. in 4. folior. 94.

HADRIANVS DE CASTELLO, Italus, Corneto, Tusciae ad mare oppido oriundus, tituli S. Chrysogoni Presbyter Cardinalis, opusculi auctor est, qui primus omnium fuisse dicitur, qui post Ciceronis seculum, suis scriptis homines, ad bonas litteras, ex probatissimis auctoribus hauriendas, excitauerit, docuerit-

Digitized by Google

cueritque modum pure, nitide ac luculenter loquendi, adeo quidem, vt eo doctore, vbique gentium latinitas renata videretur. Fata eius secunda & aduersa pluribus verbis expositit Caspar Burmannus in *Adnotationibus* ad Paulli Iouii *vitam* Hadriani VI. in *Analectis historicis de* Hadriano VI. traiectino, *papa* romano, *Traiecti ad Rhen.* 1727. in 4. p. 95. Conf. Anton. Possevini *Adparat. sacer* Tom. II. p. 1 sqq. Piet. Valeriani *de infelicitate litterator.* liber p. 20. Augustini Oldoini *Athenaeum* romanum p. 303. Polydori Vergilii anglicae *historiae* Lib. XXVI. p. 580 sqq. edit. *basileens.* 1570 P. Baile *Dictionaire* Tom. II. p. 1374. Joan. Albert. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. IIX. p. 538 sqq. Perscripserat librum HADRIANVS ad Henricum Angliae regem, cum ex Anglia, in qua sub Innocentio IIX. quaestoris pontificii munere functus erat, Romam rediisset. Admodum iuuenis librum scripsit, atque ex Augustino, Hieronymo, & Gregorio *pleraque*, vt Possevinus l. cit. ait, *adposite decerpsit*, cum doctissimos viros obstinate negare audiret, sine Aristotelis doctrina, quam solam philosophiam dicebant, sacram scripturam intelligi posse, & plerosque in ea versari sententia intelligeret, Aristotelem & caeteros philosophos, caelitibus esse adscriptos, & eruditissimos quosque theologos, qui Aristotelis & aliorum philosophorum dogmata ignorarent, sacrarum etiam litterarum imperitos esse, & quae fuerunt reliqua, quibus animum suum, ad conscribendum librum, fuisse adductum profitetur. Quatuor libris comprehensa exposuit Antonius Possevinus l. cit. Editio, quae sub oculis versatur, omnium sine dubio prima, eaque rarissima est, cuius in fine haec leguntur verba: *Impressum* Bononiae *Anno Salutis M. D. VII.* (1507) *per* Joannem Antonium de Benedictis *Pontificatus Sanctissimi D nostri* Julii *Papae* II. *Anno IIII.* His verbis typographus, sua insignia addidit. Auctoribus, quos excitauimus, omnibus, ipsique Michaeli Maittaire haec editio incogni-

Digitized by Google

ta, neque alia, ab illis memorata fuit, quam *coloniensis* anni 1548.

CXXXVI.

ALEXANDRI HEGII, *artium magistri Gymnasiarchae quondam Dauentrienſis, philoſophi, presbyteri vtriusque lingue docti* Dialogi de ſcientia & eo quod ſcitur contra Academicos. De tribus animae generibus. De incarnationis myſterio Dialogi duo Quibus additum de paſchae & celebratione & inuentione. Dialogus phyſicus. De ſenſu & ſenſili. De arte & inertia. De rhetorica. De moribus. Eiusdem Farrago Cui addita inuectiua eius in modos ſignificandi quos refellit veriſſime. Epiſtola vna & altera eius ceteris apud ſuos latentibus. in 4. folior. 85.

Quae cauſſa fuerit, quod ALEXANDRI HEGII, viri ſua aetate celeberrimi, cuius e ſchola praeter alia praeſtantiſſima ingenia, magnus ille Eraſmus roterodamus, Jo. Murmellius, Hermannus Buſchius, Herman. Torrentinus, Joan. Caeſarius, Conrad. Goclenius, Jacob. Montanus, prodierunt, & ad Belgas aeque ac Germanos bonae artes propagatae ſunt, noſtris temporibus memoria fere interciderit, librique eius e manibus doctorum virorum quaſi euanuerint, vt inter eos pauci inueniantur, qui vnum alterumue ex illis, oculis ſe vſurpaſſe gloriari poſſent, difficile dictu eſt. Patriam naſtus eſt Weſtphaliam, & ex pago Heck, in ditione monaſterienſi oriundus, HEGII cognomen adſumſit. In iuuentute ſcholam Rudolphi Agricolae frequentauerat, cuius praeceptis adeo profecerat in litteris elegantioribus, vt ſcholam dauentrienſem, eo, per triginta annos rectore, ſeminarium quaſi politio-

rum

Digitized by Google

rum litterarum, & linguarum fuisse, scriptores eorum temporum, vno quasi ore confirment. Testem in primis illius rei habemus Erasmum roterodamum, qui in maxima felicitatis suae parte collocauit, quod iuventutis suae rectorem moderatoremque ALEXANDRVM HEGIVM habuerit, eamque ob caussam hoc illum ornauit elogio: *His itaque tam plenis, tamque absolutis viri* (Rudolphi Agricolae) *laudibus, equidem fateor me peculiarius etiam atque impensius fauere, quod mihi admodum adhuc puero contigit, vti praeceptore, huius discipulo* ALEXANDRO HEGIO Wesphalo, *qui ludum aliquando celebrem oppidi* dauentrienſis *moderabatur, in quo nos olim admodum pueri, vtriusque linguae prima didicimus elementa: vir, vt paucis dicam, praeceptoris sui simillimus: tam inculpatae vitae, quam doctrinae non triualis, in quo vnum illud, vel* Momus *ipse calumniari fortasse potuisset, quod famae plus aequo negligens, nullam posteritatis haberet rationem. Proinde si quo scripsit, ita scripsit, vt rem ludicram, haud seriam egisse videatur. Quanquam vel sic scripta, sunt eiusmodi, vt eruditorum calculis immortalitatem promereantur. Itaque in hanc digressionem non temere sum expatiatus, non quo glorioſe* Germaniae *laudes iactarem, sed vt grati discipuli vicibus fungerer, & vtriusque memoriae debitum officium vtcunque persoluerem: propterea quod alteri, velut filii debeam pietatem, alteri tanquam nepotis charitatem.* Leguntur haec verba in explicatione adagii Τὰ κοινὰ κυνὶ καὶ βαλανείῳ *Adagior.* Chiliad. I. Centur. IIII. num. XXXVIIII. p. 145 sqq. edit. *basileens. froben.* 1541. in fol. Conf. eiusd. Erasmi *Ciceronianus* p. 377. Neque aliam ob caussam, auctor, quisquis ille fuerit, qui adscito Ortuini Gratii nomine, *Fasciculum rerum expetendarum ac fugiendarum* anno 1535. in fol. in lucem edidit, fol. 239. se Dauentriae in dioecesi traiectensi, sub ferula ALEXANDRI HEGII, viri in vtraque lingua doctissimi, & optimi, illic tunc gymnasiarchae bonis a puero litteris altum ac probe enutritum, & ob id ipsum, vulgo

Digitized by Google

vulgo dauentrienſem cognominatum, ingenue ac libere fatetur. Linguam in primis graecam, quae eo tempore negligebatur, & cuius ipſe initio rudis fuerat, in ſcholas felici auſpicio reduxit, & diſcipulis ſuis vehementer commendauit. Notiſſimum eſt ὁμοιοτέλευτον quod ab illo compoſitum dicitur:

Quisquis grammaticam vis diſcere, diſcito graece,
Vt recte ſcribas, non praue diſcito graece.
Si graeca neſcis, corrumpis nomina rerum.
Si graeca neſcis, male profers nomina rerum.
Si graeca neſcis, male ſcribis nomina rerum.
Lingua pelasga *vetat vitioſos ſcribere verſus.*
Lectio quem Plinii *delectat, diſcito graece.*
Si libros ſacros vis diſcere, diſcito graece.
Ne verſus ſcribas vitioſos, diſcito graece.
Hieronymum *vt teneas, ante omnia diſcito graece.*
Argumentari quisquis vis, diſcito graece.
Artibus es medicis qui captus, diſcito graece.
Scire mathematicam quisquis vis, diſcito graece.
Argolicum *nomen cunctis liquet eſſe figuris*
Artes ingenuae graio *ſermone loquuntur*
Non alio, quibus haud nomen dat lingua latina
Ad ſummam doctis debentur ſingula Graecis.

Quo tempore diem obierit ſupremum, non ſatis conſtat. Hermannus Buſchius Paſiphilus, hoc in eius mortem ſcripſit epigramma:

Functus ALEXANDER *tumulo iacet* HEGIVS *iſto,*
Tu caue, ne plantis laeſa ſit vmbra tuis.
Hoc duce Weſtphalos *intrauit* Graecia *muros:*
Et monaſtriacas Pegaſus *auxit aquas.*

Legitur illud epigramma in Herm. Buſchii *Epigrammat. libr. III.* qui Lipſiae anno 1504. *impreſſus per Baccalarium* Martinum Lantsberck, Lipſienſem *calcographum, nulli ſecundum* 60. fol. in 4. prodiit. vid. Jacob. Burckhardi *vita* Herman. Buſchii, quam eius *Vallo humanitatis, Francof. ad Moen.* 1719. in 8. edito, addi-

Digitized by Google

addidit, in qua varia, ad ALEXANDR. HEGII historiam spectantia occurrunt, p. 171. Conf. de ALEX. HEGIO Dauid. Chytraei Saxonia Lib. III. ad ann. 1497 sqq. p. 85. 89. 90. 91. edit. *lipsiens.* 1593. in fol. Herm. Hamelmanni *Oratio de quibusdam* Westphaliae *viris, scientia claris, qui exposa barbarie, puritatem romanae linguae toti* Germaniae *attulerunt* in *Operibus* eius *genealogico-historicis*, quae ab Ernesto Casimir. Wasserbach, *Lemgouiae* 1711. in 4. edita fuere p. 85 sqq. Eiusd. *Oratio* in qua ostendit, *quomodo hominibus* Westphalis *potissimum debeatur, & adscribendum sit, quod latina lingua & politiores artes per* Germaniam *sint restitutae* ibid. p. 315 sqq. eiusd. Libri VI. *de viris scientia, virtute, pietate, & scriptis illustribus, qui vel* Westphali *fuerunt, vel in* Westphalia *vixerunt*, ibid. p. 131 sqq. Melchior. Adami *vitae* Germanor. *philosophor.* p. 6. Jacob. Burckhardi *Commentar. de linguae latinae in* Germania *per XVII. Secula amplius fatis* P. I. p. 132 sqq. p. 272 sqq. p. 310 sqq. P. II. p. 291. Francisc. Foppens *Bibliotheca* belgica Tom. I. p. 44 sqq.

Collectio opusculorum, quam manibus versare nobis licuit, litteris gothicis exscripta est. Inuenitur in illa

1. Anonymi *epistola ad lectores* scripta e Dauentria XI. Cal. Dec. an. 1503.
2. Aldi Manucii, romani *epistola, ad litterarii ludi magistros*, quam suis *grammaticis latinae linguae rudimentis, Venet.* 1501. editis praemisit.
3. ALEXANDRI HEGII *Dialogus de scientia, & de eo quod scitur.*
4. Anonymi *epistola ad lectores*, eodem die & anno, quo superior, e Dauentria scripta.
5. *Dialogus* περὶ τυς (τῆς) ψυχῆς *id est de anima, & primo de anima in genere, & eius definitionibus & aliis multis.*

6. *De*

Digitized by Google

6. *De anima vegetabili dialog. II.*
7. *De anima sensuali siue sensili dialogus III.*
8. *De anima intellectuali dialog. IIII.*
9. *Dialogus physicus.*
10. *De toto & parte dialogus.*
11. *Quaestiones de sensibili & sensu.*
12. Τὰ ἠθικὰ ἐπιτήματα, *hoc est quaestiones de artibus moralibus.*
13. *De sacro sanctae incarnationis mysterio adiuncta paschae inueniendae ratione dialogi II.*
14. ALEXANDRI HEGII *quondam Rectoris scholae* dauentrienſis dialog. περὶ τέχνης καὶ ἀτεχνίας, *de arte ac inertia, ac de vtilitatibus artium grammaticae, logicae & rhetoricae.*
15. *Farrago* ALEXANDRI HEGII *artium magistri.* Complectitur illa varias obſeruationes grammaticas & criticas.
16. *Contra modos significandi* ALEX. HEGII.
17. ALEX. HEGII *epistola ad* Rhodolff Agricolam.
18. Eiusd. *epistola ad magistrum* Veſſelum gronigenſem *qui lux mundi* . . . Enumerat illi codices mſ. graecos, quos in bibliotheca cuſana inuenit. Typographus huic *epistolae*, quae omni collectioni imponit finem, haec adiecit verba: *Impressum* Dauentriae *per me* Richardum Pafraet. *Anno dni. M. CCCCC. III.* (1503). *In profesto Circumcisionis dni.*

CXXXVII.

Digitized by Google

CXXXVII.

Contenta GEORGII TRAPEZONTII dialectica hec continens De enunciatione. De quinque vocibus id est predicabilibus. De praedicamentis. De sylogismo cataegorico. id est praedicatiuo. De sylogismo ypotetico ac conditionali. De enthymemate. i. sylogismo imperfecto. De Diffinitione ac diuisione. De Thesi nequid dicendo. aut scribendo absurdum pugnansue dicatur. Et haec omnia vtiliter eleganterque & modo quidem perbreui ac introductorio. in 4. folior. 29.

GEORGII TRAPEZVNTII *dialecticam* primum ediderat Jacobus Faber stapulensis, & Fortunato suo dicauerat *Paris.* 1508. in 4. Istius editionis exemplar Michael Humelbergius rauenspurgensis, muneri miserat Beato Rhenano, additis precibus, vt *dialecticam* trapezontianam in Germania recudendam curaret. Obsequutus est hominis amicissimi petitionibus Beatus Rhenanus, & libellum Schurerio *populari* suo *venustioribus notis informandum* tradidit, qui editionem illius protulit praemissa B. Rhenani ad Joannem Kierherum *epistola*, Argentorati 1509. Haec omnia nos docuit B. Rhenani *epistola* citata, nostrae editioni praefixa. Leguntur in illa praeterea, quaedam ad historiam Hermolai Barbari & GEORGII TRAPEZVNTII spectantia, quae eiusmodi rerum amatoribus, non iniucunda fore existimamus. Ideo partem *epistolae* heic proferimus. — *Pollicebatur* Hermolaus Barbarus, *se logicen suo nitori restituturum, sed faceritne an non minime liquet. Eius enim viri opera pleraque a quibusdam occultantur, in quos id proverbii si vnquam pro suis ediderint dici poterit* Coruus relictis ab aquila cadaueribus vescitur. *Hanc autem* TRAPEZONTII isagogen *omnes vel eam ob rem maxime pro-*

Digitized by Google

probabunt quod Politianus *delitie latine linguæ* GEORGIVM *hunc tanti fecerit, vt eum in* Aristotelis de animabus *libris. quos ante* Theodorum *elegantissime vertit. primum e iunioribus docuisse affirmet. vitio factum nostro. cur ipsi minus multas quam greci rerum appellationes habeamus. Edidit insuper* de comparatione philosophorum *opus insigne* (*Comparatio* Platonis *&* Aristotelis, vid. Niceron *Memoires* Tom. XIII. p. 336 sqq.) *quorumdam* Platonicorum *impietate motus, quo opere* aristotelicum *philosophandi modum quam* Platonis *longe esse christiane pietati conformiorem rationibus minime frigidis ostendit. Quare* Bessarion Nicenus *Cardinalis hunc quatuor libris insectatus est. Sed quam parum grauiter id tentarit. doctos minime fugit.* Bessarionis defensio Platonis, cuius heic a B. Rhenano mentio facta fuit, hoc inscripta est titulo: Bessarionis *Cardinalis* Sabini *& patriarchæ* constantinopolitani *libri V. aduersus calumniatorem* Platonis. Iisdem *liber* adiungitur in omnibus editionibus *sextus de natura & arte aduersus* GEORGIVM TRAPEZVNTIVM cretensem. Joannes quidem Albertus Fabricius in *Bibliotheca graeca* L. V. Cap. XLIII. p. 404. & Niceron in *Memoires* Tom. XXI. p. 155. primam esse editionem existimarunt, quæ ab Aldo *Venetiis* anno 1503. in fol. euulgata fuit, sed ex indice librorum, qui ex officina typographica Conradi Sweynheim & Arnoldi Pannarz in lucem exierunt, supra memorato, compertum habemus, quod ab istis iam typographis editio in lucem prolata fuerit. In folio illa expressa, & nullo addito anni indicio, instructa est. In calce illius hi leguntur versiculi, qui etiam in aliis, librorum editionibus, ab istis typographis excusis occurrunt.

Aspicis illustris lector quicunque libellos
Si cupis artificum nomina nosse lege.
Aspera ridebis cognomina Teutona *forsan*
Mitiget ars musis inscia verba virum
Conradus Sweynheim: Arnoldus Pannartique *magistri*

Romae

Romae impreſſerunt talia multa ſimul
Petrus cum fratre Franciſco Maximus *ambo*
Huic operi aptatam contribuere domum.

Omnium optime editionem rariſſimam deſcripſit Jacobus Bruckerus in *Hiſtoria critica philoſoph.* Tom. IIII. P. I. p. 46. Conf. eiusd. *Fragen aus der philoſophiſchen Hiſtorie* Tom. V. p. 1504 ſqq. eminentiſſ. Principis A. M. Card. Bibliothecar. QVIRINI *Appendix ad vitam* Paulli II. §. XXII. p. 258. Cl. David Clement *Bibliotheque hiſtorique & critique des livres, qui ſont difficiles à trouver* Tom. III. p. 249 ſqq. Cum Fabricius l. cit. p. 730. TRAPEZVNTIVM Ariſtotelem Platoni praetuliſſe in gratiam Paulli II. platonicos academiae romanae aegre ferentis, ſcriberet, minime id illi concedere voluit eminentiſſimus QVIRINVS l. cit. vbi nil minus euinci poſſe adfirmat, quam Paullum GEORGIO in hac cauſſa potius quam Beſſarioni fauiſſe, nilque eſſe iniquius, quam ſapientiſſimo & religioſiſſimo Beſſarioni notam inurere impenſi patrocinii romanis illis academicis, quos Paullus iuſto odio inſectatus fuerit. Sed iam ex hoc diverticulo ad TRAPEZVNTII *dialecticam* redimus. Editio, quam ante oculos habemus, ad exemplar Beati Rhenani, litteris romanis exſcripta eſt. Syllogismorum figurae, characteribus ligno inciſis, mirae & inſolitae formae, exprimuntur. Typographus additis inſignibus haec in libri fine poſuit verba: *Impreſſum* Liptzck *per* Jacobum Thanner Herbipolitanum *Anno dni Milleſimo quingenteſimodecimoſeptimo* (1517). Notitiam Jo. Henr. Leichii editio effugiſſe videtur. De aliis *Dialecticae* editionibus, quae recentioribus temporibus Joannis Nouiomagi & Bartholomaei Latomi *Commentariis* illuſtratae in lucem prodierunt, vid. Leonis Allatii *de* Georgiis *& eorum ſcriptis diatribe* in *Jo.* Alb. Fabricii *Biblioth. graec.* Tom. X. p. 727. Niceron *Memoires* Tom. XIIII. p. 337.

Digitized by Google

De GEORGIO TRAPEZVNTIO, cretenſi, qui in extrema ſenectute obiit Romae an. 1484. & ſcriptis ab illo editis, vid. Pauſl. Jouii *elogia doctor. viror.* p. 59. Joſ. Simleri *Bibliotheca* p. 233. Anton. Poſſeuini *Adparat. ſacer* Tom. I. p. 540. Henrici Wharton *Adpendix ad* Guil. Caue *Hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſ.* p. 118. Caſimir. Oudini *Commentar. de ſcriptor. & ſcriptis eccleſ.* Tom. III. col. 2400. Gerard. Joan. Voſſii *de hiſtoricis latinis* L. III. Cap. IIX. p. 542. Fernandi Alfonſi Herrera *vita* GEORGII TRAPEZVNTII, quam eius *libris V. Rhetoricor. Compluti*, an. 1511. in fol. editis, praemiſit. Petri Lambecii L. VI. *Commentar. de Bibliotheca* vindobonenſi p. 278. Leonis Allatii *diatribe de* Georgiis *& eorum ſcriptis* l. cit. p. 721 ſqq. Antoine Varillas *Anecdotes de* Florence L. IIII. p. 175. *Giornale de letterati d'*Italia Tom. XVI. p. 10 ſqq. Tom. XVII. p. 277. Niceron *Memoires* l. cit. p. 322 ſqq. Adrien Baillet *Jugemens des Savans* Tom. II. P. I. p. 365. Tom. II. P. III. p. 301 ſqq. Jacob Bruckers *Fragen aus der philoſophiſchen Hiſtorie* Tom. V. p. 1469 ſqq. Eiusd. *Hiſtoria critica philoſ.* Tom. IIII. P. I. p. 46 ſqq. Conrad. Samuel. Schurzfleiſch *Introductio in notitiam Scriptor.* P. II. p. 368 ſqq. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. VII. p. 105 ſqq. Nonnulla etiam de eodem adnotata eſſe in eminentiſſ. QVIRINI *Diatrib. praeliminar. ad Epiſtolas* Franciſci Barbari, Part. I. Cap. III. §. II. ac praeſertim de Platonis *legibus*, ab ipſo in latinum ſermonem conuerſis, & de ſuſcepta a Beſſarione aduerſus eumdem Platonis defenſione, ipſe retulit eminentiſſ. Cardinalis in *Adpendice ad* Michael. Canenſii *Vitam* Paulli II. §. XXI. p. 256. Imago illius conſpicitur in Joannis Jacobi Boiſſardi *Bibliotheca chalcographica* P. I. fol. 133. & in Nicol. Reusneri *Iconibus ex typis* Valdkirchianis *in lucem productis* litt. D. 6. vbi etiam hoc elogium ab Anonymo compoſitum legitur:

Hac

Hac vrna TRAPEZVNTII *quiescunt*
GEORGII *ossa, parum dis amici:*
Quod acri, & nimium precace lingua
Platonem *superis parem petiuit.*

CXXXIIX.

Domini EGIDII *de Roma Archiepiscopi Bituricensis ac primatis aquitanie diui ordinis fratrum heremitarum Sancti Augustini Philozophorum ac Theologorum fundatissimi* Theoreumatum de esse & essencia tractatus. in 4. folior. 36.

Editio, libelli, qui argumentum metaphysicum, ex aristotelica philosophia depromtum, tractat, satis rara, litteris gothicis exscripta est, & a Jo. Henr. Leichio, in *Annal. typograph.* lipsiens. p. 67. commemorata fuit. Litteris initialibus omnibus destituitur. In fine haecce typographi leguntur verba: *Domini* EGIDII *de* Roma *archiantistitis* Bituricensis. *ac primatis* Aquitanie *diui ordinis fratrum heremitarum sancti* Augustini *philosophorum ac theologorum fundatissimi: Cuius memoria in benedictione est. Theoreumatum de esse & essentia tractatus optatum amplexus est finem. Anno incarnati verbi Mo. CCCCo. XCIIIo.* (1493). *Industria & arte* Conradi Kacheloffen. Guil. Caue in *Histor. litter. scriptor. ecclesiasticor.* p. 755. illud opusculum, cum eiusdem auctoris *Commentario in priora analytic.* Aristotelis, & libello *de mensura & cognitione angelorum, Venetiis* 1598. recusum esse perhibet.

De AEGIDIO COLVMNA, romano, vid. quae Tom. I. p. 536 sqq. scripsimus.

Digitized by Google

CXXXVIIII.

Opuſculum MARSILII FICINI, *Florentini* De religione chriſtiana & fidei pietate. XENOCRATES de morte eodem interprete. in 4. folior. 90.

Hoc opuſculum *de religione chriſtiana* aduerſus Judaeos & Muhamedanos, ad Laurentium Medicen, patriae ſenatorem ſcriptum, non ſolum ſaepius ſeorſum editum fuit, ſed etiam *operibus* MARSILII FICINI, *Venet.* 1516. *Baſil* 1561. & 1576. *Paris.* 1641. II. Tomis in fol. iunctim editis, inſertum fuit. Editionis, cuius adtulimus titulum, in ſe ſuſcepit curam Joannes Adelphus Mulingus, qui illam epiſtola praemiſſa, ſcripta ex Argentoraco Idus Octobr. anno 1507. dicauit D. Joanni Geyler de Keyſersberg & Jacobo Wynpfelingio Argentinae *commorantibus.*

XENOCRATIS platonici philoſophi libellum, *de morte* MARSILIVS FICINVS Coſmi Medicis iuſſu, e graeco in latinum ſermonem tranſtulit, & Petro Medici dicauit. Deceptus vero fuit, cum *Axiochum* ſiue *Dialogum inter* Socratem, Cliniam, & Axiochum *de morte*, quem alii Platoni, alii Aeſchini ſocratico tribuunt, XENOCRATIS περὶ θανάτου, cuius mentionem fecit Diogenes Laertius L. IIII. Segm. XII. p. 234. edit. Marc. Meibomii, crederet librum, qui cum reliquis XENOCRATIS libris, temporum iniuria periit. Quae cum ita ſint, emendatione indigent, quae in *lexicis eruditor.* Tom. IIII. col. 2104. de XENOCRATIS *dialogis*, (dialogo) *de morte*, a MARSILIO FICINO in ſermonem latinum conuerſis leguntur. Vid. de Xenocrate praeter Diog. Laert. l. cit. P. Baile *Dictionnaire* Tom. IIII. p. 2882 ſqq. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. graec.* L. III. Cap. III. p. 67 ſqq. In fine editionis raro obuiae, haec leguntur typographi verba: *De religione chriſtiana* MARSILII FICINI

Opuſcu-

Digitized by Google

Opuſculum una cum XENOCRATE *de morbis* MARSILIO *interprete finit. Impreſſum* Argentine *per* Jo. Knoblouch *Anno Dni M. d. VII.* (1507). *Nonas Decembris.* His verbis typographus inſignia ſua adpoſuit. Recuſa fuit haec editio *Pariſiis in ſole aureo diui Jacobi, expenſis magiſtri* Bertholdi Rembolt *&* Joannis Waterloes 1510. in 4. vid. Mich. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. II. p. 207. Editionem recentiorem, quae cum Ludouici Crocii *notis Bremae* ann. 1617. curata fuit, a raritate commendari conſpeximus in *Catalog. Biblioth.* Daniel. Salthenii p. 517. Ipſum MARSIL. FICINVM libri ſui, compoſuiſſe verſionem hetruſcam, eiusque exſtare editionem *florentinam* 1568. in 8. adfirmat Niceron in *Memoires* Tom. V. p. 220. vbi etiam libellum gallico ſermone expreſſum, *Paris.* an. 1578. in 8. lucem vidiſſe ſcribit.

Scriptores, qui res, ad MARSILIVM FICINVM pertinentes expoſuerunt, nominauimus Tom. I. p. 409 ſqq.

CXXXX.

Tractatulus de mediis quibus ad beatam vitam peruenire poterit, per JOHANNEM FABRI *de Werdea Artium magiſtrum &c. in ſtudio Lipſenſi* compoſitus.

Ad Lectorem.

Omnibus innatum eſt votum mortalibus illud
Quatenus his poſſit vita beata dari.
Sed multi ignorant vite qualis ſtatus eius
Quodque illam mediis pluribus aſſequimur.
Quorum certa quidem collecta videntur in illo
Tractatu quem tu lector amande legas.

Digitized by Google

Illic inuenies certas ſpecies mediorum
Per quas ad ſolium ſcanditur ethereum
Quo nos cunctipotens poſt triſtia fata reducat
Vt poſſimus ibi viuere perpetuo.

Hec Werdea.

in 4. folior. 6.

JOANNES FABER, ſiue FABRI, Werdea e Sueviae oppido oriundus, artium & vtriusque iuris, ſtudii lipſienſis doctor, collegiique ducalis, & academiae Secretarius, initio potiſſimum ſeculi XVI. inclaruit, variaque compoſuit opuſcula, in ſoluta & ligata oratione, quae partim impreſſa ſunt, partim adhuc in Mſtis latent, & in bibliotheca collegii paullini academica lipſienſi adſeruantur. Vid. Auctoris *anonymi Centuria Scriptorum inſignium, qui in celeberrimis praeſertim* lipſienſi, wittenbergenſi, francfordiana *ad* Oderam *academiis, a fundatione ipſarum vsque ad annum Chriſti 1515. floruerunt*, edita a Jo. Joach. Madero num. L. Polycarpi Leyſeri *Hiſtoria poetarum & poematum medii aeui* p. 2071. & 2091. vbi illum cum Joanne de Werdena, cuius Trithemius, Simlerus aliique faciunt mentionem, & forte etiam cum Joanne de Bardea eumdem eſſe cenſet. Adſtipulamur autem potius hac in re Joanni Georgio Wellero, qui in *Zuſätzen zu der Geſchichte der deutſchen Wörterbücher*, quae leguntur in *Neueſten aus der anmuthigen Gelehrſamkeit. Herbſtmond* 1752. p. 657 ſqq. Joannem Ordinis Minorum monachum, Werdena, e loco dioeceſeos colonienſis oriundum, & JOANNEM FABRVM de Werdea, Sueuum, homines omnino fuiſſe diuerſos, ſatis & abunde demonſtrauit. Conf. Joan. Alb. Fabricii *Bibliotheca med. & infim. Latinit.* L. VI. p. 416. & L. VIIII. p. 491.

Tractatus, quem recenſemus, litteris gothicis exſcriptus, ſine die & conſule, vt aiunt, in lucem prodiit.

Digitized by Google

iis. *Media*, in illo, quibus ad beatam vitam peruenire poterit, auctor adfert decem. 1. consistit *in mandatorum dei obseruatione*. 2. est *sex operum misericordiae adimpletio*. 3. ponitur *in octo beatitudinum perfectione*. 4. *in iustitiae executione*. 5. *in virtutum operatione & vitiorum deuitatione*. 6. *in humilitatis exhibitione*. 7. *in tribulationis & patientiae perpessione*. 8. *in vere charitatis adeptione*. 9. *in necessariorum vitae laboribus partorum acquisitione*. 10. *in cordis compunctione*. Auctor saepe numero ad testimonia, ex *poematibus* suis producta, prouocat. Reliqua eius scripta recensent Scriptores cit. & Joan. Henr. Leichius in *Annal. typograph.* lipsiens. passim.

CXXXXI.

Veri Christianismi solidaeque philosophiae libertas ac oppositum ei mundi seruitium. Item Theologiae Encomium, Jesu Nazareno Sacrum. Et bonae causae fiducia. *Argentorati impensis haeredum Lazari Zetzneri Anno 1618.* in 12. pp. 275.

JOANNES VALENTINVS ANDREAE, Jacobi, theologi celeberrimi nepotis, scripta esse rara, testantur, vt alios taceamus, *Nou-antiqua* an. 1714. p. 769. Gottlieb Stolle in der *historie der theologischen Gelehrsamkeit* p. 800. & in *Nachricht von denen Büchern vnd deren Vrhebern in der* stollischen *Biblioth.* P. XII. p. 317. Cl. Joan. Vogtius in *Catalog. libror. rar.* p. 32. Daniel Clement in *Bibliotheque historique & critique des livres qui sont difficiles à trouver* Tom. I. p. 306 sqq. *Bibliothecae* saltheniae *Catalog.* p. 546. In libello cuius titulum adscripsimus JOAN. VALENTIN. ANDREAE, nomen suum, in fine tertiae partis, quae inscribitur *bonae causae fiducia* protulit. Ludo-

Digitized by Google

vicus Melchior Fiſchlinus, nullam editionis notitiam habuiſſe videtur. Aliam memorat, in *memoriis theologor.* wirtembergenſium P. II. p. 136 *argentoratenſem* 1648. in 12. ſed forte illa typothetarum errori, adſcribenda erit.

CXXXXII.

JOH. VAL. ANDREAE de Curioſitatis pernicie Syntagma ad ſingularitatis ſtudioſos. *Argentorati Impenſis Haeredum Lazari Zetzneri Anno 1621.* pp. 43. except. titulo & epiſtola dedicatoria folior. 2.

Inſcriptum eſt opuſculum nominibus Eraſmi Grüningeri, *Praepoſiti*, & Joannis Hauberi, *Eccleſiaſtae aulici conſiliariorum* wirtembergicorum. Ludouico Melchiori Fiſchlino haec editio incognita fuit, ſed duas alias in *memoriis Theologorum* wirtembergenſ. P. II. p. 136. *Stuttgard.* 1619. & *Argentorat.* 1670. in 12. adducit. Conf. de JOAN. VALENTIN. ANDREAE praeter iam citatum Fiſchlinum, qui ex *vita*, ab ipſo ANDREAE conſcripta, l. cit. excerptum dedit, Andreae Chriſtophor. Zelleri *Epiſtola*, *qua* JO. VALENTIN. ANDREAE *Opuſculorum editionem indicat*, *Tubing.* 1713. in 4. Gottfr. Arnoldi *Kirchen- und Ketzerhiſtorie* P. II. L. XVII. C. V. §. 12 ſqq. p. 443 ſqq. & quae contra Arnoldum ſcripſit Andreas Dauid Caroli in der würtenbergiſchen *Vnſchuld*, *Vlm* 1708. in 4. p. 436 ſqq. Reſpondit illi Arnoldus, in *hiſtoriſch-theologiſchen Betrachtungen merkwürdiger Wahrheiten*, *Frankf.* 1709. in 4. p. 572 ſqq.

CXXXXIII.

Digitized by Google

CXXXXIII.

Magnum Theatrum Vitae Humanae, Hoc eſt Rerum diuinarum humanarumque Syntagma catholicum, philoſophicum, hiſtoricum, & dogmaticum; ad normam Polyantheae vniuerſalis diſpoſitum Per locos communes iuxta alphabeti ſeriem, ſublata claſſium & hiſtoriarum iteratarum varietate in Tomos VIII. tributum Nouis Titulis & Catholicae fidei dogmatibus, rerum quarumuis Definitionibus, apophthegmatibus, & hieroglyphicis, nominum Etymologiis, Hiſtoriarum & exemplorum cuiuſuis argumenti pluribus centuriis locupletatum. Inſuper ab Haereſi, variisque erroribus repurgatum, ac copioſiſſimo indice rerum, verborum, & Exemplorum, cum generali, tum ſingulorum Tomorum ſpeciali, illuſtratum: & quatenus nunc innouatum, * aſteriſco notatum: *Auctore* LAVRENTIO BEYERLINCK, *Theologo, Protonotario, Canonico & Archipresbytero antuerpienſi.* In hac editione nouiſſima SS. Pontificum, Imperatorum, Regum, Principum &c. ad hanc vsque diem acceſſione auctum & ornatum. Tomus I. continens Literas A. B. *Lugduni Sumptibus Joannis Antonii Huguetan MDCLXXIIX.* (1678). *Cum priuilegio Regis.* in fol. form. maior. pp. 997. exceptis praemiſſ. folior. 18.

——— Tomus II. continens Literas C. D. *ibid. eod. apud eumd.* pp. 1080. excepto Elencho Titulorum & argumentorum folior. 11.

——— Tomus III. continens Literas E. F. G.

Digitized by Google

ibid. eod. ap. eumd. pp. 907. excepto elencho titulor. & argumentor. fol. 8.

—— Tomus IIII. continens Literas H. I. K. L. *ibid. eod. ap. eumd.* pp. 1094. except. elench. titulor. & argum. fol. 12.

—— Tomus V. continens Literas M. N. O. *ib. eod. ap. eumd.* pp. 1056. exc. elencho titul. & argument. fol. 10.

—— Tomus VI. continens Literas P. Q. R. *ibid. eod. ap. eumd.* pp. 1050. except. titulor. & argumentor. elencho folior. 11.

—— Tomus VII. continens Literas S. T. V. X. Y. Z. *ib. eod. apud eumd.* pp. 1087. excepto titulorum & argumentorum elencho folior. 11.

Magni Theatri vitae humanae Ad normam Polyantheae vniuersalis dispositi & locupletati; Index generalis Rerum, Verborum, Historiarum & Exemplorum omnium, quae in VII. praecedentibus Tomis comprehenduntur; in hac nouissima editione, noua locupletatus accessione, nec non ad maius legentium commodum, noua foliorum cuiusque Tomi consecutione; ad faciliorem vtilioremque redactus ordinem: Et singulari industria a *R. D.* CASPARO PRINCTIO *SS. Theologiae Licenciato* primum concinnatus; E quo surgit totius Operis peculiaris Tomus IIX. *Lugduni sumptibus Jo. Antonii Huguetan M. DC. LXXIIX.* (1678). *Cum priuilegio Regis* pp. 675. excepta vnius folii praefatione & titulo.

Editio-

Digitized by Google

Editionem hanc, rarami & optimam esse, testatur *Catalogus Bibliothecae* saltzenianae p. 191. Constituerat Conradus Lycosthenes, rubeaquensis, *exemplorum magnum Thesaurum*, quem collegerat, in lucem emittere, morte autem praeuentus, hoc opus edere ipse non potuit. Theodorus igitur Zwingerus basileensis medicus, & philosophus, istius operis in se susceptit curam, illudque auctum, & in ordinem redactum, titulo *Theatri vitae humanae*, primum anno 1565. vnico Tomo in fol. postea hoc titulo: *Theatrum vitae humanae a* Theodoro Zwingero Basilienſe, *post primam* Conradi Lycosthenis Rubeacensis *manum, plus myriade exemplorum auctum, methodice digestum, accurate recognitum. Accessit Elenchus triplex, methodi scilicet titulorum & exemplorum. Cum priuilegio Caesareo ad decennium, & Gallorum Regis ad septennium, Basileae ex officina Frobeniana M. D. LXXI.* (1571) XX. *voluminibus*, si Supplementum exceperis, & III. Tomis in fol. edidit. Tandem hoc opus, tertia editione *nouem voluminibus locupletatum, interpolatum, renouatum, Basileae* 1586. IIII. Tomis in fol. euulgatum fuit. Anno 1604. operi denuo manum admouit Jacobus Zwingerus, Theodori filius, *illudque recognouit, ac plurium, in primis recentiorum exemplorum auctario, titulorum atque inditum*, vt titulus prae se fert *certitudine ampliauit*. His Illuiris, se postea adiunxit LAVRENTIVS BEYERLINCK, & Antonius Hieratus, ex dioecesi colonienſi oriundus, vrbis colonienſis Senator atque bibliopola. Merita vtriusque in hoc opus, ipsis Auctoris, qui praefationem huius editionis composuit, verbis exponemus: *quod ad hoc Theatrum peculiariter spectat, cum de* basileensis *Theatri editione, partem aliquam iure haereditario haberet* Antonius Hieratus, *videretque illud propter errores quosdam a catholicis notatos, in* Hispaniam *praecipue atque* Italiam *transmitti exemplaria non posse, quae ipsi superarunt* francofurtenſi *cuidam typographo distraxit, iure tamen suo, vt Theatrum aliud,*

Digitized by Google

aliud, ſi ipſi liberet poſſet conficere, ſibi reſeruato. Quo ex tempore animum ad nouam Theatri editionem adiecit. Inde communicato cum variis amicis, per familiaria colloquia, aut per litteras vltro citroque datas, conſilio tandem cum admodum reuerendo Domino LAVRENTIO BEYERLINCK *&c. de opere incipiendo, ac perficiendo conuenit, ea conditione, vt quae ex antiquo Theatro, ſine vlla erroris ſuſpicione ac nota retineri poſſent, ſeruarentur. 2. deinde vt quoniam multi, accuratam illam methodum, in re hiſtorica minus probabant, in titulis ordinandis, ordo alphabeticus ſeruaretur. 3. ad vitandam moroſam exſcribendi moleſtiam, vt libri correcte impreſſi conſcinderentur ac particulae variae ad futuram editionem adcommodatae chartis quibusdam in magni voluminis ſpecieu diſpoſitis affigerentur. Quo in re admodum liberalem ſe, ac magnificum, in variis ſumptibus faciendis,* Antonius Hieratus *exhibuit, neque vlli labori pepercit, donec quod animo circa huius Theatri editionem deſtinarat, plane perfectum abſolutumque videret.* Prodiit haec *quinta* editio *Coloniae* an. 1631. IIX. Tomis in folio. Ad hanc expreſſa eſt, cuius titulum adſcripſimus, *ſexta* editio, quam Bibliopola Joan. Antonius Hugueranus, nomini Ferdinandi II. magni Etruriae Ducis inſcripſit. Praeter *praefationem, adprobationes, priuilegium,* & *titulorum atque argumentorum elenchum* breuis LAVRENTII BEYERLINCK *vitae* deſcriptio, praefixa Tomo I. conſpicitur. In praefatione, quae Tomum IIX. antecedit, indicis exponitur ratio. Quae Joannis Henrici Boecleri de LAVRENTII BEYERLINCK labore fuerit ſententia, patet ex eius *diſſertat. ad* Juſti Lipſii *politic.* p. 88. vbi ait: *Theatrum vitae humanae* Zwingeri *commendatur.* LAVRENTIVS BEYERLINCK, *Jeſuita, Theatrum ſcripſit, ad obſcurandum* Zwingerum; *ſed ἐυφήμως* Zwingeri *non adsingit.* Conf. eiusd. *Bibliograph. critica* Cap. XXVII. §. IIII. p. 448 ſqq.

LAVRENTIVS BEYERLINCK, Antuerpiae, patre Adriano, medico natus anno 1578. fuit. Poſt varia mune-

Digitized by Google

munera ecclesiastica, quae in Jesuitarum collegio louaniensi, vaulxiano vulgo gandensi, & coenobio bethlemitico Canonicorum regularium Augustini, obiit, in patriam euocatus, a Joanne Miraeo, antuerpiensium Episcopo, anno 1605. primam seminarii dioecesani praefecturam suscepit, mox canonicatum, cum officio archipresbyteri ruralis, in ditione antuerpiensi & lirensi, tandem anno 1614. munus Archipresbyteri, in ecclesia cathedrali antuerpiensi, & a Paullo V. dignitatem apostolici Protonotarii obtinuit. *Vir* fuit, vt Francisc. Foppens in *Bibliotheca* belgic. Tom. II. p. 805. scribit, *sermone ac stylo disertus, quod testantur conciones, quas variis in locis, ad populum frequentes habuit, & scripta varii argumenti, ingenio facili & expedito, comitate morum & affabilitate gratus & carus omnibus, vitaeque innocentia, atque in Deum pietate, apud ciues & exteros clarus.* Diem obiit supremum d. VII. Jun. anno MDCXXVII. aetatis anno XLVIIII. Conf. *Vita, Theatro vitae humanae* praemissa. Paul. Freheri *Theatrum viror. eruditione claror.* p. 437.

CXXXXIIII.

Magistri ALLANI *optimi viri* liber de poenitentia confitentibus & confessiones audientibus vtilissimus. in 12. form. maior.

In fine libri, quem ipsi non vidimus, sed notitiam illius, amico cuidam bibliophilo cassellensi acceptam referimus, haec leguntur verba: *Explicit Summa penitentialis In officinâ* Johannis Miller. August. Vindelicorum *quinto Idus Aprilis Anno Salutifero M. D. XVIII.* (1518). Tribuitur libellus ALANO AB INSVLIS, cuius supra p. 827. librum *de planctu naturae, & doctrinale* alterum descripsimus, quam etiam ob rem, ALANI AB INSVLIS *operibus*, a Carolo Vischio, *Ant-*

Antuerpiae typis Guil. Lesteenii, an. 1653. in fol. editis, insertus fuit. Ipsum illum libellum esse existimauit Carolus Vischius, cum libro, qui sub eiusdem ALANI circumfertur nomine, & quod nos sciamus, nondum editus est, & *corrector seu medicus animarum* in codicibus inscribitur. Sed libros esse diuersos ostendit Casimirus Oudinus, in *Commentar. de Scriptor. eccles.* Tom. II. col. 1407. vbi varios codices *Correctoris*, in bibliothecis parisiensibus, & inter alios, optimae notae codicem, in Bibliotheca S. Germani parisiensis, se vidisse adfirmat, cuius initium his verbis fuerit conceptum: *Incipit liber, qui* corrector *vocatur & medicus, qui correptiones & animarum medicinas pleniter continet, & docet vnum quemque sacerdotem, etiam simplicem quomodo vel qualiter vnicuique succurrere valeat: ordinato vel sine ordine, pauperi, diuiti, puero, iuueni, seni, decrepito, sano, infirmo, in omni aetate, in vtroque sexu; Quo tempore Presbyteri plebium, canonica authoritate, discordantes ad pacem, & delinquentes ad poenitentiam compellere debeant.* Libellus autem *de poenitentia* editus, eiusmodi refert initium: *Hebdomada prior, ante initium Quadragesimae Presbyteri plebium, conuocent ad se populum* &c. Id in primis posterior liber singulare habet, quod auctor illum grauius peccare existimet, qui deformem compresserit feminam, quam qui cum formosa rem habuerit. Verba auctoris haec sunt:

Si pulchra fuerit vel non.

Considerandum est etiam vtrum pulchra fuerit vel non. quia minus peccat, qui cognouit pulchram, quam qui turpem. quia ille magis cogitur, qui pulchram & vehementior coactio, ibi minus peccatum est. Coniugium praeterea in eodem libello, pro maximo sacramento ab auctore venditatur, quod haec testantur verba:

de fornicatione cum virgine.

Si corrupit virginem & postea suscepit in vxorem. vo quia illas nuptias violauit: quod maximum sacramen-

tum

tum ést vnum annum per legitimas feriis penitear. Si autem post corruptionem non duxit eam vxorem. duos annos peniteat &c.

Scriptoribus, quos de ALANO AB INSVLIS, supra excitauimus, testes addi poterit Franciſci Foppens *Bibliotheca* belgica Tom. I. p. 36 ſqq.

CXXXXV.

JOANNIS FABRI *episcopi constantiensis in Spiritualibus Vicarii* Opus aduersus noua quaedam & a christiana religione prorsus aliena dogmata Martini Lutheri. Paulus Magister gentium ad Hebraeos vltimo. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci &c. in 4. form. maior. folior. 320.

Inter cimelia, quibus Bibliotheca patriae meae publica, superbit, huius libri rari etiam monstrari solet exemplar, membranis pergamenis impressum. Nihil profecto pulchrius, nihil splendidius, nitidiusque effingi poterit. Folia membranacea purissima sunt, omnisque liber ita comparatus est, ac si hodie e typotheta rum prodiret manibus. Litterae florentes omnes, vario colore distinctae sunt. Littera, qua *dedicatio*, ad Adrianum sextum inchoatur, nec non littera initialis, *epistolae ad* Lutherum, & *praefationis ad Lectorem*, multo auro, mira arte, laeuigato ornata est. Omnis praeterea ora paginae, in qua *praefatio ad Lectorem* inchoatur, elegantissimis florum figuris, *cu signatura*, vt Galli loquuntur, decorata est. His tandem accedunt insignia Ducum Saxoniae, quae omnem tituli paginam secundam implent, tanta arte depicta, vt nihil prorsus, in eo genere desiderari queat. Verba sibi adscripta, siquidem iis habenda fides est, ipsum illud exemplar esse produnt, quod a Georgio Duce Saxoniae,

xoniae, Joanni VII. Episcopo misenensi, ex Schleiniziorum gente oriundo, muneris loco oblatum fuit. Oppugnauit hoc opere JOANNES FABER libellum Martini Lutheri, *de potestate papae* inscriptum, in quo non modo potestatem Pontificis vellicare, sed & probare sustinuerat, ad primatum Petri minime pertinere quae Matth. XVI. v. 18. 19. leguntur, neque illud Joannis vltimo v. 15. 16. 17. Per omne volumen, primum Martini Lutheri verba, deinde JOANNIS FABRI, ad illa responsio posita fuit. *Excusum* opus litteris romanis luculentissimis, in fine dicitur Lipsiae *diligentissima censura per optimum virum* Melchiorem Lottherum. *Anno a Christo nato. M. D. XXIII.* (1523) *in Die Marci Euangelistae.* Ad eos autem JOANNES FABER, omnino, Lutheri aduersarios pertinet, qui sententiam suam sermone modesto, & nullis infecto conuiciis profetre non dubitarunt. Blandis igitur verbis, aduersarium suum, in *praefatione* compellat, & inter alia dicit: *Non inuenies in his omnibus tragica ac quasi veneno tincta scommata —— ab illis abstinere tecum sermonem habiturus, mihi persuasissimum est. Conuertamus itaque gladios in vomeres, & hastas in ligones. Sectemur pacem, & deus pacis erit nobiscum. Nam quantum ad me pertinet, ita me Deus amet, hoc maxime & id vnum cupio vt veritas triumphet docere & doceri paratissimus. Tantum enim abest, vt offendar emendatione tua vlla, vt apud me gratiam non mediocrem sis olim initurus, si meliora si castiora docueris. id tamen absque laedoribi, absque libellis famam obscurantibus, ac etiam semoto rancore fiat. Inciderunt (vt nosti) nonnunquam inter viros sanctos amicae in studiis dissensiones. vnde & Paulum a Petro dissensisse, Paulum quoque & Barnabam propter Marcum separatos, sacrae tradunt historiae. Quod si dissensio ab alio contumelia foret, quis vnquam scriptorum non alicubi dissentit a caeteris? Lege igitur dum lices per otium lucubrationem hanc meam. & tuum in Christo confratrem, quod facis diligenter. ἐρρῶσο ἐν κυρίῳ.*

Omnia

Omnia quae de JOANNE HEIGERLINO, qui a patris fabri ferrarii opificio, FABER dici maluit, ordinis Dominicanor. Theologo, Leutkirchae in Algouia oriundo, & per varia munera ecclesiastica, ad episcopi viennensis dignitatem euecto, dici poterant, post Posseuinum, Seckendorfium, Echardum, Arnoldum, aliosque exhausisse videtur Carolus Ernestus Kettnerus, in *Dissertat. de* JOANNIS FABRI *Episcopi* viennensis. *vita & scriptis, Lipsi.* 1737. in 4. vbi etiam de *operibus* eius, in vnum volumen compactis, pluribus verbis agitur.

CXXXXVI.

Historia vnd Geschicht des Ehrwirdigen vnsers in Gott lieben Vaters, Herrn Doctoris Martini Lutheri, Seliger gedechtnus, wie er durch Gottes Geist getrieben, vnd sich anfenglich aus sonderlicher Schickung des Almechtigen zwischen jm vnd dem Babst der Streit erhoben, domit das Selige Licht des Heiligen Euangelii in disen letzten Zeiten wider an tag gegeben, Vnd wie es bis auff diese stund, nach vielen vnd mancherley eingeschlichenen Corruptelen, heimlichen vnd offentlichen Verfelschungen, wunderbarer weis erhalten, vnd itzt in die new auffgerichte Formulam Concordiae rein vnd vnuerfelscht ist gebracht worden. Aus seinen eigenen Schrifften vnd andern Historien vmb gemeiner Leut besserer Nachrichtung willen, zu Trost Warnung vnd Vermanung mit vleis zusamen gezogen, vnd in druck gegeben, durch M. PAVLVM SEIDELIVM *Werdensem. Wittemberg Gedruckt bey Simon Gronenberg*

Digitized by Google

berg 1581. in 4. pp. 127. except. praefat. & titul. folior. 11.

Librum admodum esse rarum, docet *Catalogus Bibliothecae* Sulthenianae p. 58. Memoratus fuit a Joan. Alb. Fabricio in *Centifolio* lutherano p. 920. a Joan. Georg. Walchio in der *ausführlichen Nachricht von* D. Martino Luthero, *Operum* Lutheri Tom. XXIIII. edit. *halenf.* in *Vorbericht* p. 7. E praefatione adparet, quod haec secunda sit editio, quo vero tempore prima prodierit, nos quidem ignoramus. Ornauit PAVLLVM SEIDELIVM epigrammatibus latinis M. Martinus Rederus H. In *lexico eruditorum* auctor locum nondum inuenit. In praefatione, quae Wittenbergae scripta est, se vocat *bonarum artium magistrum, & SS. Theologiae studiosum.*

CXXXXVII.

Lutherus Drama M. HENRICI HIRTZWIGII *Gymnasii Moeno Francofurtani Rectoris;* Megalandri Martini Lutheri Islebio Mansfeldii infinitos Circa ortum progressumque repurgati a se Euangelii Labores ostendens. *Anno Jubilaeo Euangelico primo Qui est a nato Christo M. DC. XVII.* (1617). *Witebergae Sumptibus Caspari Heiden Bibliopol. Typis Johannis Matthaei.* in 8. folior. 112.

In *Catalogo Bibliothec* Heukelom-Akersloot. P. III. p. 259. & in *Catalogo Bibliothecae* sulthen. p 484. libellus dicitur *rarissimus*, qui etiam a Jo. Alb. Fabricio in *Centifolio* lutheran. p. 912. adductus fuit. Auctor illum sacrum esse voluit Joanni Georgio Electori Saxoniae. In epistola dedicatoria, se amicorum hortationibus incitatum esse scribit, vt hoc *Drama* com-

Digitized by Google

componeret, cum inter ſolemnia, Vitebergae anno 1617. ob reformationem Lutheri iubilaea, Lutherus in theatrum producendus eſſet. Argumentum, quod pertractauit, auctor his verſibus expoſuit

Lutherus auguſtinianae *familiae*
Monachus, Friderici ſapientis *I. Septemuiri*
Juſſu Doctor ſacris ſtipulatus literis,
Vt fabulas videt indulgentiarias,
A Tecelio *ſociisque omnium auariſſimis*,
Lucri inſtitutas aucupandi gratia,
Inuehitur in quaeſtorum illam impudentiam
Artes Romanas Puccianas *neſcius*
Propugnant nundinationes Prierius,
Perſonatus Tecelius, Wimpina, Eccius
Romae *dies* Luthero *dicitur. locus*
Suſpectus. Cauſſam Auguſtae *peragit ſuam*
Ad Caietanum; Aldeburgi *ad* Miltitium;
Vormatiae Vangionum *ad ipſum Caeſarem.*
Vbi praeter fas proſcriptus. Wartburgium
In ſolum de conſpectu abducitur locum.
Interea Caroloſtadius *turbas ciet*
Hic Witembergae. Lutherus *Pathmo redit*
Inuito Electore. ſaeuis aduerſariis.
Eccleſiam reſtituit turbatam in integrum
Latomum *expugnat, cum* Orlamundanis *fruſtra agit*
Aduerſus Munzero *diſſuadet ruſticis*
Seditionem. Cum Cinglianis *diſputat*
Marpurgi Haſſorum. Auguſtanae *ſemina iacit*
Confeſſionis. Viſit ad Vergerium
Cardinalem. cum de re ſacramentaria
Errorem Bucerus, *ſociique publice*
Deteſtarentur, accipit in fratrum loco.
Auguſtanae *confeſſionis ſyllabam*
Ne quam mutet dehortatur Melanchthonem.
Wittenbergam *Profeſſorum in dubio fide*
Relinquit. Electoris internuncii
Reducunt. acceſſitus poſt Islebium

Digitized by Google

Magno pietatis exemplo in Christo *obit.*
Funus Wittenbergam *apparatu regio*
Effertur. hic situm est iratis inferis.

Personae in scenam productae fuerunt:

1. Fridericus Saxo.
2. Staupitius.
3. Lutherus.
4. Mellerstadius Rector.
5. Magdalena Medicea.
6. Leo X. papa.
7. Laurentius Puccius quatuor Sanctor. Cardinalis.
8. Tecelius.
9. *Populus.*
10. Menalcas.
11. Timotheus famulus Lutheri.
12. *Studiosi.*
13. *Bibliopola.*
14. *Miles.*
15. Wimpina.
16. *Scholastici.*
17. *Magistri nostri.*
18. Ochsenfurtius.
19. Sylvester Prierias.
20. Eccius.
21. Hostratius.
22. Hieron. Episcop. Aesculanus.
23. Caietanus.
24. Lincus.
25. Vrbanus Orator.
26. *Prior in* S. Annae.
27. Langmantelius.
28. Pfeffingerus.
29. Auerbachius.
30. *Cardinalitii.*
31. *Minister.*
32. *Eques.*
33. *Tridentinus.*
34. Albertus Mansfeldensis.
35. Miltitius.
36. Spalatinus.
37. Amsdorfius.
38. *Canonistae.*
39. *Aulici.*
40. Carolus V.
41. Casp. Sturmius.
42. Albertus Moguntinus.
43. Eccius J. C.
44 Clapion.
45. *Nuncius.*
46. Bucerus.
47. Cochlaeus.
48. Hermannus coloniens.
49. Reinhardus treuirens.
50. Ludouicus palatinus.
51. Joachimus brandenburg.
52. Philippus Hessus.
53. Vlricus a Pappenheim.
54 *Hispani.*
55. Schurfius.
56. Moschaeus.
57. Smulius.
58. Vaehus.
59. Peutinger.
60. Thuen.
61. Volradus von Watzdorf.
62. Ca-

Digitized by Google

62. Caracciolus.
63. Alexander.
64. Perleps.
65. Schoenbergius.
66. *Equites.*
67. *Auriga.*
68. Carolostadius.
69. Philippus Melanchthon.
70. Latomus.
71. Henricus Rex Angliae.
72. Orlamundensis.
73. Wolfgang. Stein Prior witebergens.
74. *Chorus pontificior.*
75. *Kalenses.*
76. *Rustici.*
77. Müncerus.
78. Oecolampadius.
79. Cinglius.
80. Clemens VII. Papa.
81. Mercurinus Orator Caesaris.
82. Joannes Elector.
83. Vergerius.
84. Frid. Miconius.
85. Capito.
86. Frechtius.
87. Otherus Scholasticus.
88. Bern. Lycosthenes.
89. Musculus.
90. Germanus.
91. Aulberus.
92. Schradius.
93. *Consiliarii.*
94. Maior.
95. *Tabellarius.*
96. *Schwenckfeldii.*
97. *Juduei.*
98. Justus Jonas.
99. Conradus von Schwarzburg.
100. Coelius.
101. Aurifaber.
102. Ambrosius.
103. Jan. Frideric. Schwarzburgicus.
104. Alberti Coniux.

Per omne *drama*, ex consuetudine illorum temporum, valde prolixum, auctoris festiuum ingenium vndique elucet. Testis esse poterit particula Act. II. Scen. III. in qua producti fuere

Lutherus, Wimpina, Tecelius, *Scholastici*, *Magistri nostri*, Ochsenfurtius, Eccius, Sylvester Prierias, Hostratius.

LVTH. *Quem video exeuntem, & quem ingressum vidi modo?*

WIMPIN. *Ego* Conradus Wimpina *hic in insidiis ero Succenturiatus siquid deficiet meus*

Digitized by Google

Tecelius *idque iustus huc exire sum*
Homo ipse nuspiam est. declinat forum puto.
LVTH. *Adeo ad virum?* WIMP. *quem conspicor?* Lutherus *est*
At at! LVTH. *saluto te ornatissimum virum.*
WIMP. *Salue tantundem.* TECEL. *consalutant amicius,*
Non hoc placet factum, prodibo vt fulminem,
Vultus non secus, quam si ab Acheronte veniam, erit.
LVTH. *Quis ad nos festinat? mi Vir.* WIMP. Tecelius
Is est? annon est? Ipsus est. Quid hoc hominis?
Quid vulticuli? LVTH. *Virum conuenire volupe mi est.*
TEC. *Occidi. gaudet.* LVTH. *salue salute plurima*
TEC. *Sat salutis est.* LVTH. *Gaudeo cum saluus adveneris.*
TEC. *Qui me tam blande appellas pauper diuitem?*
Istue puto is, vt tenuet concilies mihi,
Qui neruos incido thesibus tuos meis.
Frustra quam quaeris abs me inibis gratiam
Flagitium hominis! LVTH. *Bona verba quaeso.* TEC. *Cui? Tibin'*
LVTH. *Aio inquam. Nam quid sumis* Teceli *tibi?*
Theses tuas quas dicis, hic tuas negat
Wimpina, *suas affirmat.* TEC. *Ain' tu?* WIMP. *constat hoc*
Vnde, item haud constat. TEC. *quasi vero mihi non sit datum*
Necesse cum est. cumque res ipsa cogit, in altero
Quaerere operam ocio, cuiu mihi ocium non est
Dum sit ocium. LVTH. *id dum hominum genus erit haut erit.*
TEC. *Et quam tu habes facultatem sponso gregis*
(*Rectene* Wimpina? WIMP. *sponso? ita*) *sponso inquam gregis.*
Christiani, Pontifici Romano *illudere?*
LVTH. *Quem vt par est, ego.* TEC. *tu scilicet?* WIMP. *tu scilicet?*

LVTH.

Digitized by Google

LVTH. *Omnibus veneror.* TEC. *veneror.* WIMP. *veneror.* TEC. *risum nimis.*
LVTH. *Veneror, inquam,* TEC. *aegre.* WIMP. *continui.* LVTH. *summis modis*
Vos autem? TEC. *qui?* WIMP. *nos?* LVTH. *tu & tu inquam, cum manipulis*
Praesidiariis Francofordiae *atque* Lipsiae,
Sanctissimam Pontificis famam, laudibus
Chartacearum veniarum annon luditis!
SCHOL. *Nos?* LVTH. *Vos vero.* TEC. *hinc?* WIMP. *garrit hic.* TEC. *mera somnia.*
LVTH. *Immo auditis hoc ipsum, quod verissimum est.*
MAG. NOST. *Nimirum hic solus sapit. homo delirum*
Quorum animi plantas Pontificis dudum colunt,
Non sublimem pedem; hos tu nos parum putas
Exosculari papam, decreta, canonas?
Ecclesiam parum vereri? ludere.
Plurimum? LVTH. *quos?* MAG. NOST. *nosne?* LVTH. *nosne qui nos? nescio*
MAG. NOST. *nos.* TEC. *agite.* WIMP. *agite*
MAG. NOST. *agite.* TEC. *hinc?* WIMP. *nosne?* MAG. NOST. *nosne.* LVTH. *vos.*
MAG. NOST. *nos.* LVTH. Christe *tuam fidem! qui horum clamor hominum est.*
Nam qui vos estis? MAG. NOST. *Magistri nostri nos sumus.*
LVTH. *Vestri.* MAG. NOST. *non vestri. Magistri nostri nos sumus.*
LVTH. *Cum sitis. quis magistros constituit meos?*
MAG. NOST. *Non magistri mei, magistri nostri nos sumus.*
LVTH. *Illi magistri nulli sunt.* MAG. NOST. *iniuria est.*
OXENF. *Magistros illos, Magistros nostros hic vocat.*
LVTH. *Magistri cuii vos, quid ad me hos attinet?*
MAG. NOST. *Iniuria est magistros Cuios nominat:*
TEC. *agite.* LVTH. *Magistros hos scire perparum liquet*

TEC. *Agite.* MAG. NOST. *Magiſtros Hos dicit quid hoc rei?*

LVTH. *Quis mihi qui vos?* MAG. NOST. *Magiſtri noſtri nos ſumus*

LVTH. *Omnes vtinam noſtri ſimus. primum omnium Magiſtri, poſt aliorum.* MAG. NOST. *iſthaec iniuria eſt. Magiſtros aliorum nos vocat. noſtri ſumus.*

LVTH. *Eſte ſane veſtri pér me. Stulti eſt, qui ſuus.*

MAG. NOST. *O impudens dictum!* LVTH. *Reſponſum, haut dictum id eſt.*

MAG. NOST. *Magiſtri noſtri nos ſumus.* LVTH. *noſtri.*

MAG. NOST. *Tui Quidem Magiſtri aut gregalium nulli ſumus.*

LVTH. *Vtinam noſtri ſitis, quod melius magis foret.*

MAG. NOST. *Pater* Ochſenfurti! *Magiſtri noſtri non ſumus?*

OCHSENF. *Vermis! magiſtros Noſtros eſſe hos hoc ſcio. Manifeſtum, honorificos etiam explodit gradus. Nempe lolium nullum ſolum.* LVTH. *Vir mi prius Salue.* OCHSENF. *a te homine? a nullo ſaluere minus velim.*

Quare, qui ſunt, Magiſtros noſtros non vocas?

LVTH. *Ego? Magiſtros noſtros dico: eſſe ſe negant. Magiſtri noſtri!* MAG. NOST. *non ſumus!* LVTH. *audis?* OCHSENF. *audio.*

LVTH. *Linquamus haec* &c.

De auctore, gymnaſii Moeno francofurtani Rectore, nihil nobis innotuit, praeterea quod tragoediam etiam, titulo Belſazer compoſuerit, quae Spirae Nemetum 1615. in lucem edita fuit.

CXXXXIIX.

Digitized by Google

CXXXXIIX.

Lutherus Triumphans Papa corruens Pro Solennitate iubilaea, largissimaque Spiritus Sancti super diuum Lutherum effusione, in celeberrima Argentinensium academia heroico carmine publice decantatus. a NICOLAO MARTINI *Demmino Pomerano P. L. Caes. Anno LVtherVs DIgne Laeto petIt astra trIVMpho.* (1618). *Argentorati, excudebat Marcus ab Heyden.* in 8. folior. 32.

Inter libros rariores hic omnino reponi debet, qui paucis admodum scriptoribus cognitus fuisse videtur. Epigrammate latino, illum dicauit auctor XIIII. iuuenibus, qui tunc temporis, studiorum caussa, in academia argentoratensi commorabantur, & conuictu Matth. Berneggeri, Professoris, vtebantur. Illud epigramma excipit *Programma* M. Caspar. Brülonii, pomerani, P. L. caesar. in eadem academia poeseos Professoris, versibus compositum hexametris, quo solemnia, in memoriam reformationis Lutheri, peragenda indicit. Oratorem & poetam NICOLAVM MARTINVM hoc elogio commendat.

Spiritus vt venit nostrorum tempore patrum,
Diue Luthere *tuum pertentans osque manumque*
Vi sanctae Triadis precoque studioque perenni;
Cras, quando eois caput erigit altior vndis
Phoebus, *& octaua iam linea tangitur vmbra*
Hic vbi se pandunt magni noua tecta lycei;
MARTINVS *cui dat primum* Victoria *nomen*
Plebis: Balthico Pomerania *proxima ponto*
Et genus & stirpem; qui Caesare dante benigno
Laurigeri fruitur condigno vatis honore,
Heroum recinet numeris, vitamque Lutheri,
Floribus insertis vatum memorabit ad vngues &c.

Digitized by Google

Sequuntur *anepigrammata gratulatoria a ſympatriotis & amicis* in laudem NICOLAI MARTINI conſcripta. *Carmen* ipſum, quod publice recitatum fuit, hexametris, ſi recte poſuerimus calculum, 1481. abſoluitur, & res, a Luthero per omnem ſuam vitam, ad mortem vsque geſtas, exponit. Inter illos ſcriptores NICOLAVS MARTINI obtinet locum, qui peruulgatam fabulam, de Joanne papiſſa litteris denuo prodiderunt. Qualis praeterea poeta fuerit, ex initio poematis lectores intelligere poterunt:

En renouant Phlegon, Pyroeis, Eous, & Aethon
Nunc iterum trinos ſacri ſpiraminis actus:
Abramides *primi primum celebrare, ſecundum*
Chriſticolae *celebrant, quos iam* pomeranica *Muſa*
Judicis *in medium referet: ſed tertius iſte*
Jam mihi, iam celebrandus erit, nam primus, & anno
Praeſenti inceptus: quare praeſentibus horis
Facta virumque cano, ſacro, qui percitus oeſtro
Pontificem domuit, Romam *turbauit, & omnem*
Verbi glaucomam radiis nutauit, in orbe
Quod nec Caeſaribus licuit, neque regibus vnquam.
Chriſte *mihi cauſas memora, queis laeſus Ioua*
Quidue dolens pater altitonans tot adire labores
Lutherum *impulerit, Papae ſic vertere regna.*

Vrbs antiqua fuit, multos dominata per annos
Diues opum, & ſtudiis non belli, aſperrima belli
Romulus & Remus *ſtruxere, hinc* Roma *vocatur,*
Altera metropolis Solymam *& poſt orbis habetur*
Inter enim cunctas tantum caput extulit vrbes
Cimmeriis etiam tenebris Chriſtum *ante ſepulta*
Vt ſimul hocce die nobis exempla relinquat.
Huic, (cum reſpuerit verum iudaica turba
Meſſiam) pater altitonans patefecit, ad iſtam
Chriſtiferos *transmiſit enim cum voce miniſtros*
Semina de Chriſti *verbo qui ſpargere poſſent.*
Chriſtiferos *aſt inter eos loca prima tenebat*
Paulus, *is in ſummo caelo qui edoctus habetur:*

Tanto

Tanto etenim zelo docuit sacra dogmata, tanto
Cordi hominum studio Christum *implantauit, vt omne*
Idolum subito tota procul vrbe fugarit:
Dexter enim verbis Deus adfuit, intima verbis
Hinc velut ancipiti punxit penetralia ferro.
Post ipsis verum testantia scripta reliquit,
E queis doctores vestigia sacra sequentes
Haurirent populo viuo ceu fonte salutem.
Tempore creuit amor verbi, creuitque colenda
Omnibus in terris pietas &c.

In *lexico eruditorum* de NICOLAO MARTINI nihil relatum legimus.

CXXXXVIIII.

Querela D. Martini Luteri seu Somnium Clementis Al! ἀνίκητος ἡ ἀλήθεια, ψευδοδαξία δὲ καταλύεται. *Gerlicii Ambrosius Frisch excudebat Anno MDLXXX.* (1580). in 4. folior. 16.

Prodiit hoc opusculum eo tempore, quo theologorum animi, ob controuersiam, de adiaphoris, ac bonis operibus adhuc feruebant. Auctorem fuisse JOACHIMVM CAMERARIVM, scribendi ratio prodere videtur, quare etiam illi, qui contra hunc somniatorem, calamum strinxerunt, Joannes nimirum Stolzius & Nicolaus Amsdorfius, aliique, eiusmodi verbis vsi fuerunt, e quibus oppido adparet, quod CAMERARIVS de opusculo scripto illis fuerit suspectus. Ita enim is in *Defensione* Martini Lutheri *seu somnio Ratispon.* 1555. in 8. p. 82. 91. & 103. voce *Camerinae*, & p. 93. *Cubicularii*, haud obscure CAMERARIVM perstringit; hic autem in *epistola responsoria ad* Stolzium, quae legitur *ibidem* p. 48. *durius tractandus fuisset*, ait, *sycophanta mendax, & virulentus, etiamsi* camerarius Papae *esset*. Legimus praeterea in Lucii Vigilii

Vigilii Jesurbii rarissima *Aegloga Hagnon*, cuius mentionem fecimus in *Analectis litterar. de libris rarior.* p. 483 sqq. versus nonnullos, qui nisi plane fallimur, ad hoc opusculum respiciunt, & CAMERARIVM fuisse auctorem produnt. Ita vero personatus ille poeta, Vanniolum introducit loquentem:

Quid dicam, sibi quod Coridon *quoque* somnia *fingit*
Vana, notis fagis quae incidit grandibus, ipsum
Et secum affirmat per visum Hagnona (Lutherum) *locutum*,
Ingentes nugas magno conamine voluit?
Scilicet ac doctum tentat corrumpere Amyntam (Ph. Melanchth.)
— O Corydon, Corydon, *quae te dementia cepit?*
Semiputata tibi frondosa vitis in vlmo est.
Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget vsus,
Aut Ionas *curas vites, aut* attica *mella.*
Tu nimium quoque Amynta *paues, nec respicis illud*
Prouidus vt Pan (Christus) *curet oues quiumque magistros*
Quid tibi nunc caelo delapsus diceret Hagnon
Quod pauidus stulto nimium credis Corydoni?
Somnia *quodque tua & Corydonis seria censes.*

Alter pastorum Petasillus, ad haec Vannioli verba respondet:

Rusticus est Corydon, *nec* somnia *curat ouile*
Dulcia quod tantum cupide audit carmina Panis &c.

Poetam autem, sub Corydonis persona perstrinxisse CAMERARIVM, ex eo patet, quod Corydonis nomini, in margine, prima nominis CAMERARII syllaba, CAM. adpolita fuerit. Conf. Niceron *Memoires* Tom. XVIIII. p. 103. *Analecta litterar. de libris rarior.* p. 733. & p. 1137. & qui omnium optime libri pertractauit historiam, Jacobus Thomasius singulari dissert. quae extat in Christian. Thomasii *Historia sapientiae & stultitiae* Tom. I. Cap. II. §. 23--40. Prima *querelae* Martini Lutheri prodierat editio anno 1554. in 8. quam-

Digitized by Google

quamuis opuſculum iam Id. Octobr. anno Chriſti 1553. conſcriptum eſſet. In noſtrae editionis calce, quae ſecunda eſt ſeorſum euulgata, haec adiecta leguntur verba: Johannes Sturmius *in Libro academico F. 1. Facie 2 congruens cum eo quod ſupra ponitur B. 4. facie 1. Memini me ante aliquot annos in quadam* Luteri *epiſtola legere: quae eſt in Bibliotheca* Conradi Huberti: *ad* Wolfgangum Capitonem: *Nihil ſibi ſuorum ſcriptorum placere: praeter Catechismum ſuum: & librum de ſeruo arbitrio.* Reſpicit hoc Sturmii teſtimonium ad verba, quae in noſtra editione l. cit. Luthero, auctori, per ſomnium adparenti, & de triſti eccleſiae, inutilibus controuerſiis & rixis concuſſae, ſtatu, conquerenti tribuuntur. *Optaui ego aliquando omnia mea ſcripta intercidere, & vnum modo libellum durare, quo cum* Erasmo roterodamo *de arbitrio voluntatis humanae diſputaui. Nam cum ille vir eſſet doctiſſimus, & ingenio praeſtaret caeteris, nec non pro callido in primis haberetur, placebat tum mihi, ita ſapientiam humanam offendiſſe, vt non animaduerteret neque videret talis & tantus vir, qua de re eſſet controuerſia. Sed tum illud votum alio tendebat. Nunc vero, ſi de meis libris ſententiae decerptae, ſtabilire mirabiles opiniones debeant, hominum non quaerentium, quid verum ſit, ſed quid plauſibiliter pro re nata dicatur: quanto erat aequius huc dirigere voti prioris conſilium & nunc etiam optare, vt mea ſcripta extarent nulla?* Cum *Querelae* Lutheri, vti iam diximus, Joannes Stolzius anno 1555. *Breuem defenſionem* Mart. Lutheri, in modum *ſomnii*, & Anonymus opponeret *Klagrede* D. Martini Lutheri *vnd Vrtheil von gegenwärtigen etlichen Händeln vnd Jammer dieſer Zeit; gedruckt zu Regenſpurg durch Hanſen Kohl.* in 4. cui Nicolaus Gallus praemiſit praefationem, eodem anno 1555. in lucem exiit Auctoris anonymi *Onar hypar ſeu Syndicus Querelae* Martini Lutheri, in quo vtrique *Querelae* aduerſario reſpondetur. JOACHIMVM autem CAMERARIVM, iſtius quoque opuſculi fuiſſe

Digitized by Google

auctorem, luculentis probauit teſtimoniis Jacobus Thomaſius l. cit. p. 30 ſqq. Haec duo CAMERARII ſcripta latina, cum Stolzii *confutatione* & adiectis Amsdorfii ad Stolzium *epiſtolis*, iunctim edita fuere *Baſileae ex officina oporiniana* anno 1555. in 8. vid. *Catalogus Biblioth.* Daniel. Salthenii p. 520, Reliqua, quae ad *querelae* Lutheri hiſtoriam ſpectant, expoſita fuerunt a Jacobo Thomaſio l. cit. Conf. Vincent. Placcii *Theatr. Anonymor.* Cap. II. p. 132 ſqq.

CL.

Enarrationes MARTINI LVTHERI in Epiſtolas D. Petri duas, & Judae vnam, in quibus quicquid omnino ad Chriſtianismum pertinet, conſummatiſſ. digeſtum leges. *Argentorati apud Johan. Heruagium, quarto Nonas Julias. Anno M. D. XXIIII.* (1524). in 8. folior. 164.

Qui MARTINI BVCERI ſcripta omnia hodie rariora eſſe cognouerit, illi quoque libello, raritatis laudem non denegabit. Joannes ſane Heruagius *chalcographus pius, & operae haud ignauae*, a MARTINO BVCERO, argumentis minime vulgaribus contendit, vt ea, quae in *duas* D. Petri *epiſtolas*, & *vnam* Judae, LVTHERVS, populo ſuo, lingua vernacula diſſeruerat, latina redderet, quando id fratribus Gallis, magno vſui futurum eſſe, ipſe ſibi perſuaſerat BVCERVS, qui id nos docet, in praefatiuncula, *ad chriſtianum lectorem*, vbi praeterea neminem a tempore Apoſtolorum exſtitiſſe perhibet, cuius quidem lucubrationes habeantur, qui diuinas ſcripturas, MARTINO LVTHERO ſincerius atque dexterius enarrauerit.

CLI. Ser-

Digitized by Google

CLI.

Sermones aliquot sane quam pii, a MARTINO LVTHERO lingua vernacula perscripti, nuper autem latinitate donati; Quorum Elenchon proxima pagella indicabit. *Argentorati Anno. MDXXVI.* (1526). in 8. folior. 128.

Forsitan opinione non decepti erimus, cum hanc *sermonum* LVTHERI versionem, ab eodem Martino Bucero profectam esse credimus. Lucem vidit libellus *Argentorati, apud Joannem Heruagium, mense Martio anno 1526.* Omni praefatione destitutus est, e qua elicere auctorem forte poteramus. *Sermones* LVTHERI XII. qui in illo inueniuntur, sunt tales;

I. *De diuite Epulone & Lazaro mendico.*

II. *De excidio* hierosolymitano, *& quod simili internitioni* Germania *destinata sit, nisi visitationis suae tempus agnoscat. Tum quid sit templum Dei.*

III. *De extrema in Deum blasphemia, qua Papistae cottidie abutuntur, dum in Missis suis antichristianum Canona legunt.*

IIII. *Sermo mira breuitate, quid Christiano praestandum sit, expediens.*

V. *Sermo docens abusus, qui in ecclesiam irrepserunt, non manibus, sed virtute verbi exterminandos esse.*

VI. *Sermo de iis, quae non necessario exiguntur, sed libera a Deo permissa sunt,* cui adiecta est appendix *de simulachris.*

VII. *Sermo partim de simulachris, partim de ciborum delectu differens.*

IIX. *De duplici hominum genere in fide bifariam se habente. Et quae vera sit fides.*

VIIII. *De bono & malo pastore.*

X. *De septem panibus.*

XI. *De*

Digitized by Google

XI. *De robore & incremento fidei & charitatis.*
XII. *De decem leprosis*, cum adpendice *de figura & allegorica significatione.*

Hisce XII. *sermonibus* tandem adiecta est *breuis enarratiuncula decimi psalmi, de* Christi *martyribus*, e vernaculo, in latinum sermonem translata.

CLII.

Der Barfüsser Münche Eulenspiegel vnd Alcoran. Mit einer Vorrede D. Martini Luth. *Versicu. Franciscanorum.* Franciscus est in coelo. *Responso.* Quis dubitat de illo? *Antipho.* Totus mundus. *M. D. XLII.* (1542). in 4. folior. 80.

Pauciſſimis, editionem admodum raram, libri, qui ab ERASMO ALBERO compositus, & prima vice 1531. editus dicitur, vidisse contigit. Duplex illius exemplum ante oculos versatur, quibus his verbis imponitur finis. *Diese nachfolgende Vers ſind im* Barfüsser Kloster *zu* Leipzig *geticht worden, gehören auch in dis Buch propter magistralitatem.*

Finito libro, sit laus & gloria Christo.
Qui me scribebat Ranciscus *nomen habebat.*
Qui me finiuit, partecas rodere sciuit.
Alba manus scribe, cessa, non omnia scribe
Alba manus cessa, quia digiti sunt mihi fessa.

Gedruckt zu Wittenberg *durch* Hanns Lufft *M. D. XLII.* Integer liber, ex hac editione, repetitus fuit, in *Nou-antiquis* anni 1717. p. 174 sqq. 360 sqq. 916 sqq. anni 1718. p. 29 sqq. p. 552 sqq. & 726 sqq. Omnia vero, quae de hoc libello, eius origine, variis editionibus, & versionibus dici poterant, relata iam leguntur in *wöchentlichen* hallischen *Anzeigen* anni 1747. num. 22--26. in *Merkwürdigkeiten der königlichen*

chen Bibliotb. zu Dresden Tom. III. p. 267 ſqq. in *Nachrichten von einer* halliſchen *Bibliothek* Tom. I. p. 286 ſqq. in Cl. Vogtii *Catalog. librar. rarior.* p. 21 ſqq. in Cl. Dauid Clement *Bibliotheque hiſtorique & critique des livres qui ſont difficiles à trouver* Tom. I. p. 152 ſqq. Conf. *Analecta litteraria de libris rariori-bus* p. 16 ſqq.

De auctore ERASMO ALBERO, eiusque vita, & fatis vid. Chriſtoph. Heinrich. Zeibichs *genealogiſche Tabellen des gräfl. Hauſes zu* Solms 1709. in 4. quibus, adpendicis loco, ALBERI *vita* adiecta eſt, die *Nachrichten von einer* halliſchen *Bibliothek* Tom. III. p. 82 ſqq.

CLIII.

Jeſuitas ſingulares SS. Pontificiae Maieſtatis hoc tempore vindices, falſo & fruſtra negare, Papam Johannem VIII. fuiſſe mulierem. *Ambergae, typis Forſterianis MDCIX.* (1609) in 8. pp. 49.

Ex quo tempore in *Analectis litterariis de libris rarior.* p. 1103. de hoc libello, nonnulla a nobis prolata fuerunt, recentior haec in manus noſtras incidit editio. Tituli verbis, hiſtoria puerperii pontificii, vt in omnibus fere editionibus factum eſſe conſtat, ligno inciſa, ſubiecta eſt. Auctor anonymus id potiſſimum agit, vt fabulam de Joanne papiſſa veluti rem, quae omnino acciderit, ab contradicentium obiectionibus vindicet. Igitur inſignem *hiſtoriarum* & *chronicorum* cateruam in medium producit, in quibus haec talia relata inueniuntur, ſimulque in Loiolitas paullo acerbius inuehitur. In fine nonnulla adiecta ſunt *carmina* latina, quae omnia eo ſpectant, vt rem in libro pertractatam confirment. Scriptores, ad quorum

Digitized by Google

teſtimonia, auctor prouocauit, ſunt Marianus Scotus, Sigebertus gemblacenſis, Martinus minorita, Franciſcus Petrarcha, Joannes Boccacius, Poeta hetruſcus Seculi XV. anonymus qui compoſuit rhythmis hetruſcis *Storia delle Donne famoſe*, Antoninus Archiepiſcopus florentinus, Guilielmus Jacobus egmondenſis, qui circa annum 1490. *pontificum vitas* rhythmis latinis inconditis expoſuit, Albertus Stadenſis, Anonymus compilator *annalium auguſtanorum* latine ſcriptorum, qui ad annum vsque 1488. pertingunt, Raphael Maffei volaterranus, Bartholomaeus Platina, Antonius Sabellicus, Jacobus Philippus bergomenſis, Matthaeus Palmerius Euſebii & Proſperi continuator, Joannes Trithemius, Joannes Stella, Hartmannus Schedelius auctor *chronici Norimbergae* anno 1493. editi, Joannes Nauclerus, Valerius Anſelmus Ryd medicus bernenſis, Albertus Cranzius, Werner Rolevinck laerius carthuſianus, Ludouicus Coelius rhodiginus, Joannes Lucidus, Joannes Henault, Jacobus Zwinger de Regis curia S. von Koenigshofen, Anonymus qui Martini *chronicon* ſermone vernaculo expreſſit, Auctor anonymus *chronici* anno 1487. litteris maiuſculis *Auguſtae* excuſi, *Chronicon conſtantienſe* circa finem Seculi XIIII. idiomate heluetico conſcriptum, Auctor *chronici* teutonici *Vlmae* anno 1486. editi, Joannes Cario ſiue Philippus Melanchthon, Robertus Barnes, Petrus Viretus, Jo. Funccius, Caſpar Hedio, Felix Hemmerlein S. Malleolus, Petrus Paull. Vergerius, Joan. Balaeus, Joan. Piſtorius niddanus, & Iſengrinus. Pauci inter illos ſunt, ex quorum ſcriptis hiſtoricis, & libris chronicis, auctor loca, quibus haec narratio confirmata fuit, non adtulerit integra.

Inuenit in hoc, teſtium de Joanne Papiſſa, catalogo, locum Martinus quidam minorita, qui ipſe ille eſt, cuius *chronicon* ab Henrico Steinhoewel, Doctore medico, & ciuitatis vlmenſis phyſico, in compendium

dium redactum, & sermone vernaculo editum est. Fuit ille Martinus, ex Northumbriae oppidulo Alvevick oriundus, & ideo Alueuici, siue vt Joan. Lelandus in *Commentar. de Scriptorib. britannic.* P. II. Cap. CCCXXXV. p. 329. scribit, Alaunouicani cognomen adeptus est. Mortuus dicitur anno 1336. *Chronicon* quod conscripsit lingua latina, titulo *Florum temporum* insigniuit, & ab orbe condito, ad annum vsque 1290. perduxit, cuius, in bibliothecis variis, inueniuntur codices manu exarati. Codicem lipsiensem & berolinensem descripsit Philipp. Masson in *Histoire critique de la Republique des lettres* Tom. X. p. 188 sqq. Cum hoc *chronicon* in Hermanni ianuensis, Minoritae, incideret manus, is, omisso Martini nomine, & mutatis iis, quae initio *Chronici* exstiterant, verbis, illud sibi tribuit, & ad annum vsque 1345. continuauit. Inueniuntur igitur codices, qui Hermanni ianuensis nomen in fronte gerunt. In *Lexico eruditor.* Martinus minorita, bis locum inuenit, nimirum Tom. I. col. 320. & Tom. III. col. 238. Conf. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. IIX. p. 714. L. XII. p. 115. Joan. Georg. Eccardi *praefatio* ad *Corpus historicum medii aeui* num. XXII. qui *Chronicon* vero auctori vindicauit, & cum Hermanni *additionibus* primus latine edidit l. cit. Tom. I. col. 1551 sqq. Nos quidem minime fugit, quod Casimir. Oudinus Tom. III. *Commentar. de Scriptor. & scriptis eccleſiaſtic.* col. 910. hoc *Chronicon* iam *Vlmae* anno 1486. editum dixerit, id autem non sermone latino, sed teutonico factum esse, auctor libelli, quem describimus, disertis verbis prodidit, cum ait p. 18. *vidi hoc Chronicon* latine *manu-scriptum*, & germanice *typis impressum* Vlmae *anno 1486.* Conf. Michael. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. I. p. 479. Illud vero *chronicon vlmense teutonicum*, non illius, quod verbis latinis, conscripsit Martinus minorita, versionem esse, quámuis auctor noster Anonymus, Mich. Maittaire, aliique id dixerint, nos docet die *Merkwürdige Hiſto-*

Digitized by Google

vie der Päbstin Johanna, *aus des Herrn* von Spanheim, *Professoris der Academie zu* Leyden, *lateinischen Dissertation von dem Herrn* L'Enfant *gezogen, vnd von demselben nebst verschiedenen Anmerkungen des Herrn* des Vignoles *in französischer Sprache herausgegeben; nunmehro aber wegen ihrer Vortrefflichkeit, aus dem Frantzösischen ins Teutsche übersetzt. Frfurth vnd Leipz.* 1737. in 8. vbi P. I. p. 152. num. 70. haec talia legimus: *Eine* teutsche Chronic, *so zu* Vlm *gedrucket An. 1486. ist zum öfftern angeführet worden, als wenn sie eine Uibersetzung der Chronic* Martini des Franciscaners *sey. Wie denn die darin angeführte Worte* (de Joanne papissa) *würklich daraus genommen zu seyn scheinen. Es ist aber dennoch* keine Uibersetzung *davon*, &c. Forte *chronicon vlmense*, compendium est, ex Martini *chronico* concinnatum, diuersum tamen ab *compendio* vernaculo Henrici Steinhöwelii, cuius prima editio prodiit, vt ex *Analectis* nostris *litterariis de libr. rar.* p. 245. & ex *Adparat. litterar.* Tom. I. p. 290. patet, anno 1473. Illius autem non aliam exstare editionem, seculo XV. impressam, testis esse videtur Henrici Steinhöwelii iunioris, Canonici S. Victoris moguntini, *epistola*, ad Jacobum Koebelium, ciuitatis oppenheimensis Syndicum, quam ex secunda editione, *compendii* Steinhöweliani *Francofurti* anno 1531. euulgata, inserendam curauimus *Adparat. litterar.* l. cit. Non aegre ferent lectores diuerticulum, in quod excurrimus, propterea quod haec a nobis adlata, supplementi loco esse poterunt, si quis ea legerit, quae in *Analectis litterar. de libris rar.* & in *Adparatu litterar.* ll. citt. inueniuntur.

Auctor libelli de Joanne papissa, fuisse dicitur HERMANNVS WITEKINDVS, natus Nienradae, in oppidulo Marchiae in Westphalia, anno 1522. Litterarum studiis, in academia vitebergensi, sub Philippo in primis Melanchthone confectis, ipse scholas suas, in eadem academia aperuit, & tandem suadente Me-

Digitized by Google

Melanchthone, ad scholam rigensem in Liuonia, regendam, se adduci passus est. Inde anno 1561. in academiam heidelbergensem euocatus, graecas litteras publice docuit. Cum vero elector palatinus Fridericus III. viuere desiisset, cum aliis quidem Academiae professoribus, Neapolin Nemetum seceſſit, sed obtinente electoratum Casimiro, Heidelbergam rediit, & ad vitae vsque exitum, qui anno 1603., cum XXCI aetatis adrigisset annum, accidit, litteras graecas, & mathematicas, in illa academia docuit. Vid. Melchior. Adami *vitae* germanor. *philosophor.* p. 210. qui ab illo *nonnulla, scripta latine & germanice, non adposito nomine*, & inter illa vnum *quod mulier fuerit Papa*, editum esse scribit. Conf. Melchioris Hurteri *Obseruatio* de hoc libro, eiusque auctore in Daniel. Gerdesii *Florileg. libror. rar.* p. 391 sqq.

Quo tempore omnium *prima*, in lucem emissa fuerit editio, non satis constat. Huc vsque in Bibliothecarum catalogis, non antiquiorem inuenimus, quam illam, quae titulo *Anonymi Tr. Jesuitas falso negare* Johann. VIII *P. fuisse mulierem* an. 1588. in 4. *cum fig.* exstat in *Bibliotheca* meibomiana Sect I. p. 227. vbi voces *cum fig.* sine dubio vnam illam tantummodo designant figuram, quae in aliis etiam editionibus, & in nostrae editionis titulo conspicitur. In *Bibliothec.* kielmannseggian p. 359. in Dan. Gerdesii *Florileg.* l. cit. & in *Analectis litterariis de libr. rar.* p. 1103. editio memoratur *secunda* hoc titulo insignita: *Jesuitae, singulares SS. Pontificiae Maiestatis hoc tempore vindices falso & frustra negare, Papam* Joannem VIII. *fuisse mulierem. Editio altera non sine auctario* an. 1598. in 4.. Eodem anno liber in sermonem teutonicum conuersus, hoc prodiit titulo: *Das die Jesuiter des Päbstlichen Stuls zu dieser Zeit fürnehmste stützen, fälschlich fürgeben, vnd vergeblich streiten, Pabst* Johannes VIII. *sey kein Weib gewesen. Aus dem Latein verteutscht, nicht ohne Zusatz mit*

Wiſzen vnd Willen des Autoris. M. D. XCVIII. in 4. quae ſine dubio eadem eſt editio, quam in *Analectis* l. cit. e fide *Catalogi omnium librorum, qui nundinis vernalibus*, Francofurti ad Moenum & Lipſiae *an. 1598. celebratis, impreſſi, venales expoſiti fuerunt*, in 8. euulgatam eſſe dixeramus. Ceterum amicus noſter caſſellenſis bibliophilus, per litteras nos monuit, verſionem teutonicam eſſe rariſſimam.

CLIIII.

Syntagma theologicum in theſi & antitheſi adornatum, ſtudio & opera OLAVI LAVRELII *S. S. th. D. & antehac in Academia Vbſalienſi profeſſoris Regii, nunc autem Eccleſiae Metropolitanae Stockholmenſis, paſtoris primarii ac Conſiſtorii praeſidis. Cum gratia & priuilegio S. R. Mtis. Vbſaliae Sumptibus Authoris excudebat Eſchillus Matthiae. Anno 1641.* in 4. pp. 830.

Librum eſſe rarum nemo fortaſſe negabit, cui cognitum eſt, quod libri, quibus euulgandis auctores ipſi ſumtus ſuppeditant, non niſi rariſſime in bibliopolarum commercium veniant. Dicauit auctor librum ſuum, Chriſtinae Sueciae reginae, & omni regni ſuecici ſenatui. *Index & ſeries articulorum, qui in hoc opere, ſecundum Theſin & Antitheſin explicantur*, talis eſt: 1) *De Sacra ſcriptura*, 2) *de Deo*, 3) *de Creatione*, 4) *de prouidentia Dei*, 5) *de Angelis*, 6) *de imagine Dei in homine*, 7) *de animae humanae immortalitate*, 8) *de animae humanae propagatione*, 9) *de libero hominis arbitrio*, 10) *de peccato originali*, 11) *de peccato actuali*, 12) *de praedeſtinatione*, 13) *de perſona* Chriſti, 14) *de lege*, 15) *de euangelio*, 16) *de poenitentia*, 17) *de bonis operibus*, 18) *de eccleſia*, 19) *de miniſterio*

Digitized by Google

miſterio verbi, 20) *de Sacramentis in genere*, 21) *de baptiſmo*, 22) *de coena domini*, 23) *de iuſtificatione*, 24) *de magiſtratu politico*, 25) *de coniugio*, 26) *de cauſſa mortis*, 27) *de ſepultura*, 28) *de limbo pontificiorum*, 29) *de purgatorio*, 30) *de inuocatione ſanctorum*, 31) *de fine mundi*, 32) *de reſurrectione mortuorum*, 33) *de extremo iudicio*, 34) *de inferno*, 35) *de vita aeterna*.

Libri autor OLOFF ſiue OLAVS LAVRELIVS, qui multis ſcriptis aliis theologicis, & philoſophicis inclaruit, originem ſuam e Gothia occidentali ducebat, & primum in Academia vbſalienſi logices, & poſtea Theologiae Doctor & Profeſſor exſtitit. Deinde Holmiae, quae regni ſuecici regia eſt, eccleſiae metropolitanae paſtoris primarii, ac Conſiſtorii Praeſidis munus adeptus eſt, & tandem Aroſiae (*Weſterās* ſiue *Aroſen*) in Weſtermannia, non vero Arhuſiae (*Arhus*) quae in Dania ſita eſt, vt in *eruditorum lexico* Tom. II. col. 2304. legitur, ad Epiſcopi dignitatem peruenit, diemque ſuum obiit, anno 1670. aetatis anno LXXXIIII. Conf. Antonii Stiernmanni *Bibliotheca* Suiogothica, *Holmiae* 1732. in 4. p. 371. Joan. Arckenholz *hiſtoriſche Merkwürdigkeiten die Königin* Chriſtina *von* Schweden *betreffend* Tom. I. p. 335. vbi per typothetarum errorem OLOFF Laurentius adpellatur.

CLV.

Philalethes. in 4. folior. 16.

Haec opuſculi, a MAFFEO VEGIO, laudenſi, conſcripti editio, litteris gothicis exſcripta, nullo addito typographi, anni, & loci indicio in lucem exiit. Omnia docent, initio ſeculi XVI. illam prodiiſſe. Praemittitur VEGII *praefatio ad* Euſtathium, & figura ligno inciſa, in qua veritas nuda, & alis ornata, &

Digitized by Google

Philalethes adparent. In *dialogo*, qui saepius editus fuit, colloquuntur *Philalethes* & *veritas*, de peruersis in omni mortalium statu, corruptisque viuendi moribus. In fine nostrae editionis adiicitur *tabula declaratiua, quorumdam terminorum ac instrumentorum, quibus alethia, id est, veritas, se adflictam & propulsam indicat.* Haec *tabula* multa cura, atque industria confecta est. Speciminis loco explicationes quasdam heic adscribimus. Inter *instrumenta calonum, & omnis generis fabrorum*, occurrit *Scaphium*, quod hac ratione describitur: *Scaphium volunt esse vas concauum, in quo cacare aut mingere solemus, de quo* Juuenalis *in satyra meminit. Alii tamen etiam dicunt esse tonsure genus: siue plectilem coronam pro insigni galea. id quidem* Plautus *notat in Bacchidibus. Ad propositum tamen dicunt esse texterum nauiculam, quae stamina percurrit.* De *lunula*, quae ad *feminarum arma & ornamenta* refertur, haec adnotata leguntur. *Lunula est quoddam genus monilium. Et sunt proprie lunule auree bulle dependentes, facte in similitudinem lune. Vnde* Esaye III. *In die illa auferet dominus ornamentum calceamentorum & lunulas & torques.* De *calatho* haec adtulit *tabulae* auctor: *Calathus dicitur qualus, cuius diminutiuum quasillus, vel vt alii volunt dicitur fiscella. Vnde* Virgilius *Tibi lilia plenis ecce ferunt nymphe calathis: ponitur etiam quandoque pro calicibus ad sacrificium aptis vnde idem* Virgilius *Vina nouum fundam calathis Ariusia nectar.* De aliis editionibus *dialogi*, qui etiam *Bibliothecae maximae patrum colonienſi* Tom. XV. & *lugdunenſi* Tom. XXVII. p. 754 sqq. insertus est, vid. Niceron *Memoires* Tom. XXVI. p. 88 sqq. Cum nonnunquam cum Luciani *dialogis* editus fuit, ab homine Gallo, qui nomen suum litteris hisce initialibus D. V. Z. tantummodo prodidit, in sermonem gallicum conuersus, & sub Luciani nomine euulgatus fuit titulo: *Le Martire de Verité. Dialogue de* Lucian. *Lyon chez François Juste* in 16. Alius, Petrus du Val, illum paraphrasi poetica gallica

Digitized by Google

gallica expreſſit hoc titulo: *le triomphe de verité, où ſont montrez infinis maux, commis ſous la tyrannie de l'Antichriſt, fils de perdition, tiré d'un Auteur nommé* MAPHAEVS VEGIVS, *& mis en vers par* Pierre du Val, *humble membre de l'Egliſe de Chriſt.* Niceron in *Memoires*, l. cit. iſtius paraphraſeos editionem in Anglia 1552. in 8. excuſam eſſe adfirmat.

Scriptores, qui MAFFEI VEGII vitam expoſuerunt, nominauimus in *Analectis litterar. de libris rar.* p. 1043 ſqq. addi iis poterit Conradi Janningi *praefatio de* MAPHAEI VEGII *geſtis & ſcriptis*, quae praemittitur MAPHAEI VEGII libello, *de antiqua* S. Petri *baſilica*, in *Actis Sanctor.* antuerpiens. *menſ. Jun.* Tom. VII. p. 57 ſqq. Girolamo Ghilini *Teatro d'huomini letterati* Tom. II. p. 188. Adrien Baillet *Jugemens des Savans* Tom. IIII. P. I. p. 37 ſqq.

CLVI.

Prouerbiorum libellus, in 4. folior. 64.

Auctoris quidem nomen, in fronte libri non expreſſum eſt, illum a POLYDORO VIRGILIO, vrbinate presbytero, tamen eſſe compoſitum, teſtatur praeter *epigramma ad librum ſuum*, POLYDORI VIRGILII *epiſtola* dedicatoria, ad Guidum Vbaldum Vrbini ducem. In *epiſtola*, hanc *collectionem prouerbiorum*, quam *ingenii ſui* adpellat *primitias*, ſuadente in primis Pollione Vadio, cuius epiſtola ad Palladium Soranum, ob hanc cauſſam, ſcripta exſtat in fine libri, in lucem ſe emiſiſſe teſtatur. Quod primus fuerit, qui apud Latinos, hoc argumentum tractauerit, ipſe gloriatur in *epiſtola* dedicatoria ad Ludouicum Odaxium, patauinum, libris *de rerum inuentoribus* praemiſſa, vbi *non inficior* ait, — — *quin poſſit quiſpiam de hac re veluti de prouerbiis, quorum libellum proximo*

Digitized by Google

anno Guidoni *principi*, Vrbini *duci*, *inscripsimus*, *copiosius tradere. Verum quicunque hoc vel illud posthac ingredietur iter, qui nos primi stadium cucurrimus, is fortasse nostra vestigia sequi non grauabitur.* Et in alia *epistola* ad Joannem Matthaeum fratrem, Londini Nonis Decembris 1512. scripta, quae eiusdem libri, editioni *basileensi* 1521. *in aedibus Joan. Frobenii* in fol. excusae praefigitur, haec legimus verba: *placuit is*, (libellus *de prouerbiis*) *sua praesertim nouitate vsque adeo, delectauitque vsque adeo vt breui mox terque quaterque* (*sicuti poeta ait*) *fuerit formis excusus. Hac leui aura* (*fateor ingenue*) *euectus tum maius aggressus opus, de rerum inuentoribus negotium suscepi, nauiterque minus mensibus nouem, confeci. Sic* POLYDORVS *ego primus apud* Latinos, *vtriusque rei argumentum attentaui, id quod in praefationibus vnius & alterius operis affatim docuimus.* In eadem editione *basileensi*, primo loco occurrit ipse *Adagiorum* liber, quem, praeter alia, *epistola* POLYDORI VIRGILII, ad Ricardum Pacaeum, a Secretis Henrici IIX. Angliae Regis, data Londini sub Idus Junias 1519. antecedit, in qua haec talia inueniuntur: *Abhinc annos alterum & viginti mihi a primo in mentem venit Adagia celebriora colligere. Is Commentariolus —— iussu* Guidonis *Ducis* vrbinatis, *cui ego illum dedicaueram —— omnes fere orbis partes peragrauit —— cum vspiam rarus esse incoeperit, est illico formis denuo excusus, non sine multis Librariorum incuria acceptis vulneribus. Atque ita* POLYDORVS *tuus apud* Latinos *primus huiusce rei argumentum attentauit* &c. Quae cum ita fuerant, vehementer succensebat Erasmo, quod in *praefatione* sui operis *de Adagiis* nullam illius prorsus fecerat mentionem. *At post aliquot annos*, pergit in *epistola* ad Ricard. Pacaeum, —— *successorem habui nostrum* Erasmum: *id quod ob singularem hominis doctrinam pergratum fuit. Etsi ille ceu eiusmodi Commentarioli nostri minime sciens, vtrumque decus, scilicet inuentae rei atque auctae ad se trahere est conatus, quem tamen*

Digitized by Google

tamen vix potuit ignorare, si vnquam suum ipsius Adagiorum opus Argentorati *apud* Matthiam Schurerium *formulis excusum vidit. Vidit autem procul dubio; cum illud postmodum bis terue adauxerit. Quippe in eius operis fronte* Mathias *attestatur, se paulo ante nostra adagia in apertum protulisse. Ipsi etiam, cum aliquando apud nos pranderet, nostri instituti aemulatorem appellauimus* &c.

Quae in vtramque partem inter POLYDORVM & Erasmum, non sine animorum contentione, agitata fuerunt, pluribus verbis exposuit P. Baile in *Dictionnaire* Tom. IIII. p. 2832. not. A. & 2834. not. L. Prima *prouerbiorum* editio prodierat *Venetiis* an. 1498. *impress. per Magistr. Christoph. de Pensis* in 4. vid. Michael. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. I. p. 673. Ista editio, iam Erasmi aetate rarissima fuit, cum editionem ante annum 1500. impressam inuenire non potuisset, ideoque se primum omnium fuisse credidisset, qui *Adagiorum opus* apud Latinos consarcinasset. Vid. Erasmi roterod. *Epistola* ad POLYDORVM VIRGILIVM L. XVII. Epist. III. fol. 748. L. XXVI. Ep. LXIII. fol. 1483. edit. *londinens.* Michael. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. II. p. 367 sqq. Jean. le Clerc *Bibliotheque choisie* Tom. VI. p. 67. Posteriorибus temporibus, plures editiones auctiores & emendatiores in lucem exierunt. Nostrae editionis aetatem, verba in fine conspicua produnt: *Impressum* Venetiis *per* Joannem de Cereto de Tridino *alias* Tacuinum *M. D. VI.* (1506.) *die quarto mensis Maii.* Charactere romano paullo crassiore exscripta, satis rara, & Michaeli Maittaire, aliisque incognita fuit.

CLVII.

Digitized by Google

CLVII.

POLYDORI VERGILII, *vrbinatis*, de Inuentoribus Rerum Libri Tres. M. ANTONII SABELLICI de artium Inuentoribus ad Baſſum carmen elegantiſſimum.

Ad Lectorem.

Grammatice, Orator, Poeta, Philoſophe, Medice, Jurisconſulte, Theologe quisquis demum es, POLYDORVM legito, vt primae tuae artis incunabula, ab ipſa (vt aiunt) ſtirpe agnoſcas. in 4. folior. 66. ſi praemiſſa folior. 6. excepta fuerint.

Haec editio ſatis rara, & niſi fallimur, omnium prima eſt, quae in Germania lucem vidit. Typographus illi coronidis loco adpoſuit: Argentoraci, *in officina* Matthiae Schürerii Heluetenſis. *Art. Dect. menſe Decembri. Anno M. D. VIIII.* (1509). *Regnante Caeſ.* Maximiliano *P. F. Aug.* Editio Michaeli Maittaire incognita fuiſſe videtur. Prima omnium eſt, quae *Venetiis per Chriſtophorum de Penſis prid. Calend. Septembr.* 1499. in 4. prodiit. Illam excepit editio *veneta per Joannem de Cereto de Tridino, alias Tacuinum*, 1503. in 4. Vid. Mich. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. I. p. 692. Tom. II. p. 162. Iſtae vero editiones omnes, *libros* tantummodo *tres priores* operis ob oculos ponunt, quod *quinque* aliis anno 1517. a POLYDORO auctum fuit. Errat igitur Gerard. Joann. Voſſius & Thomas-Pope Blount, quorum ille L. III. *de Hiſtoric. latin.* Cap. XII. p. 607. editionem *venetam* priorem, hic vero in *cenſura celebriorum auctorum* p. 640. edit. *geneuens.* 1694. in 4. noſtram editionem, *libros* complecti *octo* confirmauit. Conf. P. Baile *Dictionaire hiſtorique & critique* Tom. IIII. p. 2832. not. B. vbi Ludouicum Morerium, in eumdem incidiſſe errorem notauit. Quod vero Chriſtian. Schoett-

Digitized by Google

Schoettgenius in *continuat. Biblioth.* fabric. *med. & infim. Latinit.* L. XVI. p. 5. librorum quinque posteriorum, nullam prorsus fecerit mentionem, est quod miramur. Editioni, quae ante oculos versatur, praemittitur 1) Hieronym. Gebwiler *nobiliss.* argentinens. *Eccles. litterar. ludi Praefecti ad* Matthiam Schürerium *epistola* scripta d. VI. Nouembr. an. 1509. 2) POLYDORI VERGILII *ad* Ludouicum Odaxium, patauinum, *praefatio.* 3) *Tabula in* POLYDORI VERGILII *de Inuentor. rer. libr. III.* 4) Matthiae Schürerii *ad studiosum Lectorem praefatio*, in qua B. Rhenani iussu, SABELLICI ad Hieronymum Baffum, foroiulienſis prouinciae Quaestorem, *carmen de artium inuentoribus*, se adiecisse memorat. Legitur hoc *carmen* in M. ANTONII COCCII SABELLICI *Operibus*, a Cael. Secundo Curione in quatuor Tomos digestis *Basil.* 1560. in fol. Tom. IIII. col. 575 sqq. Conf. quae de hoc *carmine* supra p. 1054 sqq. dicta fuerunt. *Ex secunda recognitione*, nostra editio prodiit *Argentorati in officina Matth. Schürerii Selestadensis Art. Doct.* 1512. in 4. vid. Michael. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. II. p. 232. Cum multa in POLYDORI VERGILII libro occurrerent, quae Curiae romanae displicerent, in *indicem librorum prohibitor.* redactus fuit, & Antonio Possevino teste, in *Adparat. sacr.* Tom. III. p. 98. liber tantummodo permittitur, a rom. ecclesia legendus, si eiusmodi fuerit, qualis iussu Gregorii XIII. Pont. Max. an. 1576. *Romae* expurgatus, & excusus est. Aubertus Miraeus in *Auctar. de Scriptor. eccles.* p. 98. edit. Jo. Alb. Fabricii haec loca suspecta, non a POLYDORO profecta, sed libros POLYDORI ab haereticis corruptos esse existimat. Conf. P. Baile *Dictionaire* l. cit. not. E.

POLYDORVS VERGILIVS, siue VIRGILIVS, vrbinas, humaniorum litterarum apud bononienses Professor, ab Alexandro VI. pontifice in Angliam missus fuerat, vt Quaestorem ibi ageret. Hoc autem munere

Digitized by Google

munere dimisso, ab Henrico IIX. Angliae rege, Archidiaconus wellensis, constitutus fuit. Vitae, ingravescente aetate, in Anglia pertaesus, in patriam se recepit, & Vrbini anno 1555. fato functus est. Cum *historia*, quam conscripsit *libris XXVI. anglica*, parum gratiae obtinuit ab Anglis, qui in scriptis suis vehementer in illum inuecti sunt; Humfredus in primis Lhuyd, vt alios iam taceamus, in *Fragmento Commentarioli* britannicae *descriptionis Col. Agrippin.* 1572. in 8. edito, illum *non solum nominis* britannici *gloriam obfuscare*, *sed etiam* Britannos *ipsos*, *mendacissimis calumniis infamare*, totis viribus conatum esse scribit. Conf. de POLYDORO VERGILIO Paull. Jouii *Elogia doctor. viror.* p. 279. Jos. Simleri *Bibliotheca* p. 583. Anton. Possevini *Adparat. sacer* Tom. III. p. 98. Gerard. Jo. Vossius *de Histor. latin.* L. III. Cap. XII. p. 607. Christian. Schoettgenii *Contimuat. Biblioth.* fabric. *med. & infim. Latinit.* L. XVI. p. 5 sqq. P. Baile *Dictionaire historique & critique* l. cit. Eiusd. *Lettre contenant quelques éclaircissemens sur* POLYDORE VIRGILE in *Memoires de* Trevoux *Janv.* 1702. p. 166 sqq. edit. *Amsterd.* Varia virorum doctorum de operibus eius, iudicia collegit Thomas-Pope Blount in *Censura celebriorum auctorum* p. 638 sqq.

CLIIX.

GEORGII EDERI *J. C. Caesa: Frisingen.* Orationes sex, in Celeberrimo Archigymnasio Viennen: de rebus publicis, cum Academiae nomine coram Caesarea Maiestate, tum alias ex publicis concionibus, ad ipsam Academiam ab Authore, dum clarissimis viris doctoream dignitatem conferret, recitatae, ac partim antea quoque, partim

Digitized by Google

tim nunc de nouo aeditae. *Anno M. D. LIX.* (1559) in 8. folior. 95.

Omnia GEORGII EDERI ſcripta raro hodie inveniuntur, inter quae, haec orationum, ſtilo haud ſatis puro, conſcriptarum collectio, non extremum occupat locum, quippe quae neque a Joſia Simlero, neque ab Antonio Poſſeuino, nec in *lexico eruditorum* memorata fuit. Ornat illam GEORGII EDERI imago, ligno inciſa, his circumſcriptis verbis: GEOR: EDER. J. V. D. CAES: MT: CONSIL: VNIVERSI: VIEN. 3. RECTOR. AETA. SVAE. 34. Super caput eius, haec poſita leguntur verba: *Non eſt volentis neque currentis ſed miſerentis Dei 1558.* Imagini vero hoc ſubſcriptum eſt epigramma:

Viuimus ingenio, ſunt caetera ſubdita morti
Fatali virtus funere ſola caret.
Ergo ſibi nomen poſt funera quisque relinquat,
Huius bonos viuet, caetera mortis erunt.

Dicauit GEORGIVS EDERVS *orationum* ſuarum collectionem, *reuerendiſſ. & ampliſſ. Praeſuli D. D.* Antonio de Muglitio *Epiſcopo* viennenſi *digniſſimo, ac ordinis Crucigerorum cum ſtella rubea, per* Bohaemiam, Morauiam, Sileſiam *&* Poloniam *&c. Magiſtro ſupremo, de bonis litteris optime merito. D. & Maecenati ſuo obſeruandiſſimo.* Epiſtolae adpoſuit Vitus Jacobaeus Poeta laureatus *Elegiam* ad Antonium de Muglitio. *Orationum* argumenta haec ſunt.

I. *Triumphus* D. Ferdinando I. Rom. *Imperat. inuicti ſſimo P. P. auguſtiſſimo Archigymnaſii* viennenſis *nomine pro felicibus Imperii auſpiciis ab auctore in ſecundo Rectoratu ſuo viua voce renunciatus*, Viennae Auſtriae *in Curia imperiali XVII. April. Anno M. D. LVIII.* Adſcripſit huic *panegyrico* Paullus Fabricius D. Caeſar. M. Mathematicus, ad GEORG. EDERVM *epigramma*, quatuor diſtichorum. In fine

fine *panegyrici* reperitur *precatio, a Rectore cum tota academia flexis genibus procumbente, recitata.*

II. *Luctus archigymnasii* viennensis, *pro funere D.* Caroli V. Rom. *Imperatoris augustiss. P. P. feliciss. publice exhibitus, ab Auctore tertium Rectore* viennens. *in aedibus* D. Stephani *III. Janu. Ann. M. D. LIX.* Adiecit *orationi* Lect. Joh. Codicius *Epigramma* ad GEORG. EDERVM distichor. vndecim.

III. *Oratio funebris in Obitum illustris & generosi viri* D. Nicolai Comitis a Salm *&* Neuburgae ad Oenum *caesarei Consiliarii & Capitanei per* Hungariam *supremi, habita ab Auctore, adhuc Artium magistro,* Viennae *in aedibus* D. Dorotheae *VII. Januarii Anno M. D. LI.* Addidit Elias Coruinus Poeta laureatus, in illustrissimam familiam, Comitum a Salmis *Epigramma* decem distichorum.

IIII. *Politicum ordinem etiam in ecclesia retinendum esse, & quid ad eam rem conferat Jurisprudentia: habita* Vienn. *in aedibus* D. Stephani *dum clariss. viro* D. Marco Faschang. *Doctoream dignitatem in V. J. conferret I. Octobris Anno M. D. LV.* Sermonem *epigrammate* septem distichorum Vitus Jacobaeus poeta laureatus, ornauit.

V. *Jus non opinione inductum sed natura constitutum esse, habita* Vien. *in aedibus* D. Stephani *XVII. Septemb. Anno M. D. LVII. dum clariss. Viro* D. Petro a Rotis *doctoream dignitatem in vtroque iure conferret.* Decem distichorum *epigrammate*, in hanc orationem Iusit Christophor. Thamerus bischofwerdensis.

VI. *De Maiestate legum & ordinum siue graduum dignitate & vsu, qua excellentiss. viro* D. Laurentio Leemanno *grecarum litterarum Professori doctoreae dignitas in V. J. ab auctore in tertio rectoratu suo collata fuit. XVIIII. Januar. Anno M. D. LIX.* Dionysius Puclerus, orationi praemisit *carmen elegiacum* septem distichorum. *Excusa* haec *orationum col-*

collectio, in fine dicitur Viennae Austriae, a Raphael Hoffhalter. *Anno M. D. LIX.*

Res ad GEORGIVM EDERVM pertinentes omnium optime exposuit Joan. Christophor. Colerus in *Nachricht von* GEORGII EDERI *Leben vnd Schriften*, in *nützlichen Anmerkungen über allerhand Materien aus der Theologie, Kirchen-vnd Gelehrten-Historie* III. Samlung Num. X. p. 479. Conf. IIII. Saml. num. XV. p. 609 sqq. vbi ad hanc commentationem C. F. Gude scripsit eine *kleine Nachlese*. Alios Scriptores nominauimus in *Analectis litterar. de libris rarior.* p. 301 sqq.

CLVIIII.

ERYCII PVTEANI de Cometa anni cIↃ IↃC. XVIII. Nouo mundi spectaculo, Libri duo Paradoxologia. *Louanii apud Bernardinum Masium* ∞. *Ioc. XIX.* (1619) in 12. pp. 168. si *omissa locis suis inserenda* folior. 4. exceperis.

Libellum haud ita facile obuium sereniss. & potentiss. Principibus, Alberto, & Isabellae Clarae Eugeniae, Austriacis, Burgundicis, Belgicis dicauit ERYC. PVTEANVS bamelrodius. Initio libelli *epigramma* inuenitur, quod Philippus Albertus Velascus, Marchionis Beluederii filius, E. PVTEANO, Professori, Historiographo, & Consiliario sereniss. Principum inscripsit.

Monstrosa fatale Coma dum territat astrum,
Intrepidus spectas: hoc PVTEANE, *nouum est.*
Imo doces sola metui nouitate Cometam
Crede mihi: magis est hoc, PVTEANE, *nouum.*

Ita autem argumentum suum, in paruo quidem sed bonae frugis pleno libello, tractat PVTEANVS, vt

Digitized by Google

duas libelli partes conſtituat, & primo loco, in Cometae naturam inquirat, expoſitisque veterum diuerſis ſententiis, cometen, in caelo ſtellam non ardentem, ſed tantummodo eſſe lucentem demonſtret; tum vero, in reliqua libelli parte, eos vanitatis arguat, qui Cometen bellum, peſtilentiam, famem, regum mortem, regnorum euerſionem, & aduerſa fata artibus, ſcientiis, ingeniisque portendere, cum vulgo exiſtimant. Quid? quod auctor tandem Cometen, a nonnullis olim fauſtum, & propitium habitum, oſtendit, & inde ad orbis terrarum Principes, qui, in Europa, tunc rerum potiebantur, felicitatis praeſagium refert. Tractationi ſuae PVTEANVS p. 150. haec Philoſtrati Ep. XXVI. adiecit verba: Τιμῶσι δὲ σοφοὶ καὶ τῶν ἀστέρων τοὺς Κομήτας. Pagina 151 ſqq. auctor *corollarium* exhibet, quod a Juſto & Fauſto PVTEANIS, ERYCII filiis, *iuſſu patris, a morbo, nondum ſatis validi*, adpoſitum & his verbis conceptum fuit. —— *Conſtituerat pater, non pauca huic argumento adiungere; ſed in re noua, modum ſeruare maluit; morem etiam morbo, & poſt morbum languori gerere. Caeli tamen naturam σὺν Θεῷ, vberius aliquando explicaturus, quaeſtiunculam in praeſenti proponit: an, qui apud* Homerum *Lib. XI. Iliad.* (v. 62).

—— ἐκ νεφέων ἀναφαίνεται οὔλιος ἀστήρ?

ad Cometen referri debeat? hunc nobiscum expende, quicunque curioſus es. Qua ratione F. G. Freitag pater meus, Scholae prouincialis portenſis Rector, ad hanc quaeſtionem reſponderit, vid. in eius *Programmate, quo expendit, num Cometae mentio ab* Homero *facta fuerit, Numburgi* anno 1744. in fol. edito. Pagina 153 ſqq. adtulit PVTEANVS *philoſophorum aliquot veterum opiniones de Cometa.* Iis ſubiunguntur p. 155 ſqq. P. Caſtellani, Nic. Vernulaei, Fr. Melchior. Daelhemii, Eremitae auguſtiniani & Michael. Fortii, in PVTEANI *de Cometa* librum, *epigrammata.* Pagina tandem 136. exſtat Joannis Stormii *de Cometa*

Digitized by Google

ta carmen reciprocum, naturam prodigii, & effectum contrario sensu explicans, cuius ratio hisce verbis exponitur: *Sidus esse prodigium, mirari homines desinant: Carmen est, sed de Sidere conscriptum.* Clariss. Jo. Stormius, *Medicinae & Matheseos Mysta* (mechlinienſis, natus anno 1559, & senio confectus, mortuus, in Academia louanienſi, Medicinae Doctor, & Matheseos Professor, circa annum 1646. vid. Franc. Foppens *Bibliotheca* belgica Tom. II. p. 738.) *vir & morum probitate, & ingenii, variaeque doctrinae laude excellens, tam proprium* Apollinis *genium habuit, vt, quid sit Cometa, & quid portendat, mero oraculo complexus sit. Natura quidem breui & reciproco epigrammate absoluitur: Vaticinium autem XVIII. distichis decurrit, recta & porrecta illa serie metum incutiens, inuersa tollens. Disponuntur fata; sed per eadem verborum vestigia gradum referas, proculcantur ac pereunt.*

Opinio loquitur.

Flagrat Barba ea, non Solis sit lumine: fumi
Copia sic ardet, non ibi stella mera est.

Ratio respondet.

Est mera Stella ibi, non ardet sic copia fumi,
Lumine sit Solis, non ea barba flagrat.

Opinio vaticinatur.

Interitum id sidus radians, haud nunciat ortum
Principis: ito retro, non bona vaticinor.
Occiduis nocet haec lux, nec blanditur Eois,
Infestat Boreos, non ea amica Noto est.
Teutonibus *mala, nec* Belgis *fert prospera,* Iberis
Aspera, non populis fauet haec Ausoniae,
Flagro percutienda est, nec tuta India *abibit,*
Turbat, non recreat fax noua Sauromatas.
Hercyniam *opprimet armatis, neque culta colonis*
Arua dabit; perdet, nec fata perficiet.
Quadrat stella male, haec Batauis; *haud uniet ipsos,*

Puniet hos vndis: haud locus obſtet huic.
Iis turbat mare, nec toto ſinit in orbe carinas
Ire: negat reditum, nec freta pandit iis.
Agros perdet ibi, non tuto erit aequore inundans:
Submerget Batauos; *non mare placat iis.*
Eſt fera vbique ea, non lampas ſatis aequa: ſepulchro
Orta datur ſoboles hinc neque viua patri.
Deeſt ipſa auxilio, haud infantem promouet: ortum
Impedit, haud foetus exitui apta praeeſt.
Patrat monſtra, neque eſt inceptis vtilis: obſtat
Fructibus: haud teneris aſſiduo ipſa praeeſt.
Interim & prius, haud nuptas dabit eſſe puellas;
Ire facit ſteriles, non cito fructiferas.
Lethiferas modo fert peſtes, nec pharmaca gignit
Commoda: dat calidas, haud ſine morte febres.
Replet caede loca, haud tectis haec abſtinet: ignem
Iniicit accenſum, non cauet ipſa ſacris.
Exitium parit, haud regnis haec proderit; vrbes
Diruet excelſas, non puto reſtituet.
Nobilibus mala, nec populo hinc optanda propinat:
Stella dat haec inopem fruge, nec implet agrum.
Euacuat ſtabula, haud multis replet aucta iuuencis:
Eſſe facit miſeros, haud fauet agricolis.
Eſt mala Barba ea; non ſuperum hinc abit ira: Cometes
Arma parat nobis, non bona ſignificat.

Qua ratione huic vaticinio, *Ratio*, carmine reſponderit inuerſo, ex duobus diſtichis lectores intelligere poterunt prioribus:

Significat bona, non nobis parat arma Cometes:
Ira abit hinc ſuperum; non ea Barba mala eſt.
Agricolis fauet, haud miſeros facit eſſe: iuuencis
Aucta replet multis, haud ſtabula euacuat &c.

In fine carminis, id quod, in academia louanienſi, illis temporibus, factum eſſe, forte miraberis, *cenſura* Guilielmi Fabricii, apoſtolici, & archidûcalis librorum con-

Digitized by Google

censoris, adscripta legitur, in qua is *paradoxologiam, de cometa*, eleganter & erudite conscriptam, vtiliter prelo committi posse censet, *quod & inueterata quaedam ueruose redarguat, atque ad plenioris, de eo, veritatis indaginem & plurimum conferat, & occasionem subministret.* Libello finem imponunt *omissa suis locis inserenda.* Illum eodem anno 1619. *Coloniae apud Butgen.* recusum esse testatur Franc. Foppens in *Bibliothec.* belgic. Tom. I. p. 726.

ERYCIVS PVTEANVS, Venloae, quae Gelriae superioris oppidum est, anno 1574. natus, patre Joanne, viro consulari, stirpis bamelrodiae. In iuuentute, teste Francisco Foppens l. cit. p. 265. nihil nisi Martem spirabat, neque alia fere crepundia, quam arma tractabat, saepiusque inter milites, quam pueros versabatur. Litterarum studiis in academia dordracena, colonienſi & louanienſi absolutis, in Italiam concessit, & primum Mediolani, anno 1601. cum aetatis annum ageret XXV. Eloquentiae Professor, regisque Hispaniae Historiographus constitutus, Romaeque in Ciuium, patriciorumque numerum cooptatus, & Mediolani iuris vtriusque Doctor creatus, deinde autem, ab Alberto Austriae Archiduce, Brabantiaeque Ordinibus, in Belgium euocatus, & in louanienſi academia, in Justi Lipsii locum suffectus, & titulo Consiliarii & Historiographi, & arcis louanienſis Praefecti ornatus fuit. Diem obiit supremum anno 1646. aetatis anno LXXI. In templo Colleg. S. Petri, & quidem in Sacello S. Carolo Borromaeo consecrato, & haud ita pridem exstructo, omnium primus sepultus, & quod sibi ipse fecit, epitaphio ornatus fuit:

ΣΠΟΤΔΑΙΩΣ ΖΗΝ ΑΡΙΣΤΟΝ

Vixisse ne me nescias, adhuc loquor.
PVTEANVS *ego sum; mentis ardor quem bonae*
Euexit, ore publice vtilem, & stylo.
Quid plura? tu quod es; fui. Te cogita.

Digitized by Google

Annon vbique cura, crux, moleſtia?
Ceu nauiges, vel Scylla *vel* Charybdis *eſt.*
Poſt fata portus, vita morte naſcitur.
Mori neceſſum eſt; non neceſſum eſt emori.
Vixiſſe pulchre, in rebus eſt aeternitas.
Mortuum audis,
Vt ego Te viuum
Bene precare mortuo.

Vid. de illo Nicolai Vernulaei *Oratio in funere* illius, *Louanii typis Jo. Vryenborch* 1646. in 4. *Vita* illius Auctore Xysto Antonio Milsero, quam *epistolarum Adparatui posthumo, in Centurias VII. distributo, Lovanii typis Andr. Bouuetii* 1662. II. Tom. in 8. edito, praemisit. Paull. Freheri *Theatrum virorum eruditione claror.* p. 1538 sqq. Girolamo Ghilini *Teatro d'huomini letterati* Tom. II. p. 72. Lorenzo Crasso *Elogi d'huomini letterati* Tom. I. p. 323. Adr. Baillet *Jugemens des Savans* Tom. II. P. I. p. 236. Tom. II. P. II. p. 242. qui illum cum Nicerono Tom. XVII. p. 299 sqq. *un habillard & un grand faiseur des petits livres* adpellat. Conf. Fr. Foppens l. cit. p. 264 sqq. P. Baile *Dictionaire historique & critique* Tom. III. p. 2396 sqq. Joan. Imperialis *Museum historicum* p. 213 sqq. edit. Jo. Alb. Fabricii.

CLX.

Digitized by Google

CLX.

Preceptorium NICOLAI DE LIRA *ordinis seraphici Francisci.* siue expositio tripharia breuis & vtilis in decalogum legis diuine. De decimis dandis. Interrogationes faciende infirmo morienti. De articulis fidei. De septem peccatis mortalibus. De triplici modo peccandi in Deum. De operibus misericordie. Compendium de vita antichristi. De fine mundi & de extremo iudicio. De anime hominis immortalitate. Libellus perutilis. in 8. form. minimae folior. 89.

Valentinus Ernestus Loescherus in *Stromateo Viteb.* 1724. in 4. Sect. XI. p. 284. libros, seculo XV. octernionum forma editos, reliquis rariores esse scripsit. Inter illos ideo & hic, quem recensemus, sibi vindicat locum, qui praeter ea, id singulare & praecipuum habet, quod ex officina typographica prodierit, cuius hucvsque a nullo scriptore, mentionem factam esse novimus. Hisce sane versiculis, in fine voluminis, typographus nomen suum expressit.

Codex NICOLAI *viri* Iyrensis *honesti.*
Cumque perutilibus aliis tractatibus vllis
Acceptat finem per virum nomine Landen
Colonie *ciuem deus hunc tueare* Joannem
Anno millesimo quater & C. septuagesimo
Septimo (1477). *In eterno sit tibi laus domine.*

Libellus typorum characteribus gothicis, satis luculentis, & nitidis exscriptus, litteras sic dictas florentes rarius exhibet. In secunda tituli pagina

Anthonii Liberi Susatensis *in laudem inclite* Colonorum *vrbis Epigramma feliciter incipit.*

O felix vrbs ante alias Colonia *salue. &*
Pauperis ingenii munera sume libens.
Salue o metropolis superis cara inclito (inclyta) *salue*

Digitized by Google

Tellus aucta bonis nobilibusque viris.
Tu mihi sola places. namque es paradisus abundans
Moribus egregiis artibus atque sacris.
It tua terrarum celebris iam fama per vrbem (orbem)
Atque tuas laudes concinit omnis homo.
Vrbibus es reliquis multo felicior in te
Nam requiem reges tres orientis habent.
O veneranda nimis vrbs. o sanctissima quam tot
Ensibus exhausta corpora sancta colunt.
Res miranda. dei tecum est clementia: nanque
Munera que totus non habet vrbis (orbis) *habes*
Consiliis Romam *vincis, sapientia* athenas
Parisius *studiis. &* Venetos *opibus*
Singula quid referam superas asiatica *regna*
Europe. *atque tibi &* Affrica *magna fauet.*
Ergo ego carminibus laudans castra opida & vrbes
Non potero laudis immemor esse tue.

Nisi omnia nos fallunt, distichon posterius prodit, alias vrbes, ab eodem poeta, carmine fuisse celebratas, de quo, apud omnes, quos euoluimus, scriptores, altum est silentium.

Praeceptorium, siue expositio in decalogum, quae heic, vt & in aliis editionibus, NICOLAI DE LYRA nomen in fronte gerit, ab HENRICO DE VRIMARIA siue FRIMARIA, a quibusdam composita dicitur, teste Joanne Trithemio *de Scriptor. eccles.* Cap. DLXXXVIIII. p. 141. Jos. Simlero in *Bibliotheca* p. 282. Auberto Miraeo in *Auctario Histor. eccles.* Cap. CCCCXXXIII. p. 80. Antonio Possevino in *Apparatu sacro* Tom. II. p. 22. Henrico Wharton in *Adpendice ad* Guil. Caue *Histor. litterar. Scriptor. eccles.* p. 36. Casimir. Oudino in *Commentar. de Scriptorib. & scriptis ecclesiast.* Tom. III. col. 912. aliisque pluribus. Multi sane codices mss. in variis Angliae bibliothecis, quas nominat Casimir. Oudinus l. cit. nec non codex bibliothecae quedlinburgensis, & vti Joachim. Fellerus auctor est, in *Catalogo mss. Codd.*

Digitized by Google

Codd. bibliothecae paullinae lipſienſis, *Lipſ.* 1686. in 12. edito, codex etiam bibliothecae paullinae lipſienſis, HENRICI DE VRIMARIA nomine inſigniti ſunt. In omnibus fere *opuſculorum* Thomae Aquinatis editionibus, hoc *Praeceptorium* ſub Thomae Aquinatis nomine, locum inuenire adfirmat Caſimir. Oudinus l. cit. col. 913. qui praeterea teſtatur, in Anglia nonnullos reperiri Codices mſs. in quibus Alexandro Haleſio idem opuſculum tribuatur.

De NICOLAO lyrano vid. quae ſupra diximus, p. 736 ſqq.

HENRICVS DE FRIMARIA, ſiue a patria, pago prope Gotham in Thuringia ſito, ſiue a ſtirpe nobili dominorum frimarienſium, cognomen accepit. Illum enim e gente nobiliſſima thuringica oriundum fuiſſe teſtatur M. Paullus Jouius ſiue Goetze ſcholae ebelebienſis in Thuringia Rector, in *Chronico* ſchwarzburgico, illuſtriſſimorum Comitum ſchwarzburgicorum iuſſu conſcripto, quod manu exaratum in Archiuo arnſtadienſi aſſeruatur. Nam retulit ille L. V. Cap. III. p. 495 ſqq. de Günthero XVI. Comite ſchwarzburgico & Domino blanckenbergenſi, quod poſt annum 1293. Ordini Praedicatorum fuerit adſcriptus, magnamque amicitiam cum HENRICO frimarienſi coluerit. Ipſa illius verba, quae talia ſunt: *Er hat ſich ſehr gehalten zu dem gelehrten Mann, einen* thüringiſchen von Adel, *Hrn.* HEINRICHEN VON FRIMAR, Auguſtiner *Mönch, vnd der heil. Schrift Meiſtern, wie ſie dazumahl genennet wurden, ſo etliche Bücher in heiliger Schrift geſchrieben, die noch in alten Bibliothequen vorhanden, war anno 1330. Graff* Bertholds *des erſtgefürſteten Grafen zu* Henneberg *Beichtvater.* (Conf. Cyriac. Spangenbergii hennebergiſche *Chronic Strasburg* 1599. in fol. L. III. Cap. VI. p. 135.) *Sonſten werden noch zweyer gelehrter von Adel dieſer Lands Art vnd dieſe Zeit gedacht, nemlich Herrn* Volradts von Herbſtleben *oder* Hewerſtleben, *vnd Herrn*

Digitized by Google

Hugen von Holtzhauſen, *ſo auch geiſtlichen Standes, vnd gern vm dieſen Herrn* HEINRICHEN *von* FRIMAR *geweſen, wie denn Anno 1292. in einem Cloſterbrieff Ihrer zugleich erwehnet wird, darinnen ſie alle dreye* Eccleſiarum Rectores *genennet werden* &c. excerpſit Wilhelm. Erneſtus Tenzelius in *Supplemento Hiſtoriae* gothanae *tertio*, *Jenae* 1716. in 4. & quidem in *Spicilegio Clarorum litteris* gothanorum *vsque ad Seculum XVII.* inter quos HENRICVS DE FRIMARIA primum obtinet locum, p. 53 ſqq. Nomen illius, inter Eremitas auguſtiniani ordinis Seculo XIIII. non incelebre fuit. Doctor Theologiae pariſienſis, Prouincialis Saxoniae, & Rector ſtudiorum, Ordinis ſui, in vrbe pragenſi fuiſſe, & diem obiiſſe ſupremum circa annum 1340. dicitur. Conf. de illo, & ſcriptis eius, praeter ſcriptores iam citatos, Philippi Elſſii *Encomiaſticon* auguſtinianum p. 276. Joannis Halleruord *Bibliotheca curioſa* p. 126. qui illum, alias HENRICVM de Alemannia dictum fuiſſe ſcribit, Joannis Alberti Fabricii *Bibliotheca med. & infim. Latinit.* L. IIX. p. 686 ſqq. Data, quod aiunt opera, vitam illius deſcripſit Cornelius Dielmannus, quam, eius libro *de diſcretione ſpirituum, ſeu de quadruplici inſtinctu, diuino, angelico, diabolico, naturali, Antuerpiae* 1652. in 8. edito praemiſit.

Quis opuſculorum, quae *Praeceptorii*, in hac editione conſtituunt adpendicem, fuerit auctor, ignoramus.

I. *De decimis dandis*, nondum pagellam implet. Tres autem potiſſimum ob cauſſas, decimas dandas eſſe perhibet auctor 1) *quod iſtud a domino ſtatuitur & praecipitur.* 2) *vt homo deo placeat, & vt omnes penurie vini & frumenti, & ceterorum remoueantur.* 3) *ne homo ad decimam partem angelorum, que cecidit in infernum, deducatur. Vnde* Auguſtinus. *Redde decimas, alioquin deduceris ad decimam partem ſcilicet angelorum que cecidit in infernum. Decima*

eſt

est census quasi, quem debemus pro hereditate eterna. Qui non reddit censum, perdit agrum, id est paradisum.

II. *Compendium de vita Antichristi.* Circa *statum* & *persequutionem Antichristi*, quinque notanda esse, scribit auctor anonymus, *ortum, progressum, cultum, conflictum, obitum.* Circa *Ortum* quatuor notantur a) *de qua progenie nascetur*, de tribu Dan. b) *quomodo nascetur;* de fornicatrice non de virgine, c) *quomodo concipietur in vtero;* operatione diabolica; d) *vbi nascetur;* in Babylone. II. De *progressu* Antichristi obseruari debent quatuor a) *vbi nutrietur;* in ciuitatibus Corozaim & Bethsaida. b) *a quibus nutrietur;* a spiritibus malignis, qui propter incantationes continue ei famulabuntur & assistent concomites indiuisi. c) *a quibus recipietur;* a Judaeis. d) *in qua aetate incipientur haec omnia;* in iuuentute. III. Circa *cultum* quatuor notauit anonymus auctor, propter quae adtrahet Antichristus ad se diuersos cultus. a) *vt adtrahat ad se Judaeos*, dicet se Messiam promissum in lege, verum deum & verum hominem & reaedificabit templum Salomonis. b) *vt gentiles adtrahat idololatras*, faciet simulachrum & statuam per incantationem, & in eam mittet spiritum malignum, ad dandum responsa, & vocabit eam Deum Maon. c) *vt ad se Christianos pertrahat*, dicet se Christum venisse ad iudicium sicut promissum est in euangelio, & ostendet se mortuum, & tertia die resurget. *Vt omnem denique* d) *hominem magnum & paruum ad se adtrahat*, ponet, vt auctor ait, caracterem in fronte, & manu dextra vniuscuiusque, vt distinguantur ab alienis, & nemo poterit emere vel vendere; nisi habuerit signum suum. IIII. Circa *conflictum*, auctor ineptus notandum esse ait quod *pugnabit* Antichristus contra duo hominum genera, *contra nobiles & ignobiles, seu maiores & minores.* Maiores distinguit in tres gradus,

Digitized by Google

gradus, in *Clericos, milites, & mercatores. Clericos & litteratos* expugnabit & in suas pertrahet partes, *per rationes naturales*, cum valde is instructus in profanorum scripturis erit. *Milites* expugnabit *per distributionem terrarum & dignitatum, mercatores per argentum & aurum.* Populum minorem distinguet tripliciter, scilicet in *simplices*, quos adtrahet *per falsos prophetas*, in *timidos* quos adtrahet *per tyrannos*, in *perfectos & poenitentes*, quos *per falsa miracula* adtrahet. V. Circa *obitum* Antichristi denuo quatuor notare iubet a) *tempus obitus*, id erit postquam praedicauerit tribus annis cum dimidio. b) *persona interficiens*, ipse erit Christus. c) *locus in quo interficietur*, is erit locus, in quo Christus adscendit in caelum, scilicet mons Oliueti. d) *modus quo occidetur*, quem *triplicem* esse ait 1) *subito interficietur*, 2) *absque manu hominis* & tandem 3) *publice, & cunctis videntibus.* Ipsum autem Antichristi *aduentum*, in fine opusculi, *quatuor praecedere* scribit 1) Romani *imperii discessionem & diuisionem in X. regna.* 2) *inobedientiam ecclesiarum, ab ecclesia* romana. 3) *generalem concitationem proeliorum*, & 4) Henochi *&* Eliae *praedicationem.* Haec omnia auctor nugiuendus dictis S. S. & nonnullis patrum ecclesiasticorum testimoniis probare, & confirmare sustinuit.

III. in Adpendice occupant locum, *interrogationes faciendae infirmo morienti.*

IIII. reperitur *rubrica de articulis fidei*; Symbolum est apostolicum, in duodecim particulas diuisum, quarum singulae singulis tribuuntur apostolis.

V. *Rubrica de septem peccatis mortalibus*; quae sunt superbia, inuidia, ira, accidia, auaritia, gula, luxuria.

VI. *Rubrica de triplici modo peccandi in Deum*, nimirum in Deum patrem *per fragilitatem* siue *impotentiam*, in Deum filium *per ignorantiam*, in Spiritum sanctum *per malitiam.*

VII. *Ru-*

Digitized by Google

VII. *Rubrica de operibus misericordiae*, quae *septem* esse dicuntur, *quibus subuenimus proximo in corpore* 1) *pascere famentem*, 2) *potare sitientem*, 3) *vestire nudos*, 4) *ministrare infirmis*, 5) *visitare incarceratos*. 6) *suscipere peregrinos*. 7) *sepelire mortuos*.

HX. *Rubrica de fine mundi, & de extremo iudicio.*

Libellus, qui in titulo promittitur, *de animae hominis immortalitate*, in exemplari, quo vtimur, quamuis integrum illud esse videtur, non inuenitur.

CLXI.

JOANNIS SELDENI Mare Clausum seu de Dominio Maris Libri Duo. Primo Mare, ex Jure Naturae seu Gentium, omnium hominum non esse commune, sed Dominii priuati seu Proprietatis capax, pariter ac Tellurem, esse demonstratur. Secundo, Sereniſſimum Magnae Britanniae Regem Maris circumfluí, vt indiuiduae atque perpetuae Imperii Britannici appendicis, Dominum esse asseritur.

—— Pontus quoque seruiet Illi.

Londini, Excudebat Will. Stanesbeius, pro Richardo Meighen. MDCXXXV. (1635). in 4. form. max. pp. 304. si praemissa & addenda non numeraueris.

JOANNIS SELDENI libri omnes, qui in Anglia typis exscripti fuerunt, raro in his terris inueniuntur, inter quos, haec prima librorum *de mari clauso*, editio, praecipue nominari poterit. Ipsi enim Nicerono incognita fuit, qui librum, in *Memoires* Tom. V. p. 26. & 35. iussu Jacobi I. & Caroli I. anno 1636. in 8. prima

Digitized by Google

prima vice editum esse scribit, quod παράδειγμα postea in versionem teutonicam Niceroni Tom. V. p. 176. & p. 185. transscriptum fuit. Impugnauit praesertim JOANNES SELDENVS, Hugonis Grotii sententiam, qui iam in *mari libero, seu de Jure quod* Batavis *competit ad* indica *commercia, Lugdun. Bat. apud Elzeuir.* 1609. in 8. demonstrare studuerat, Anglis nullum ius, seu dominium exclusiuum, in mare competere. Strinxerat contra SELDENVM, praeter alios, calamum Theodorus Graswinkel in libro quem titulo *vindiciarum maris liberi, Hag. Comit.* 1652. in 4. emiserat, in quo ea etiam confutare adgressus fuerat, quae Petrus Baptista Burgus duobus libris, *de dominio reipublicae* genuensis *in mari* liguistico, *Rom.* 1641. in 4. editis, protulerat. Id aegre ferens JOANNES SELDENVS, in lucem prodire iussit *Vindicias secundum integritatem existimationis suae, per conuicium, de scriptione maris clausi, petulantissimum & mendacissimum insolentius laesae, in vindiciis maris liberi, aduersus* Petrum Baptistam Burgum, liguistici *maritimi dominii adsertorem*, Hagae Comitum *iam nunc emissis, Londini* 1653. in 4. Jam ante JOANNEM SELDENVM, idem fere argumentum pertractauerat Guilielm. Weelwood, Iureconsultus Anglus, librumque *de dominio maris, iuribusque praecipue ad dominium spectantibus, Hag. Comit.* 1623. in 4. euulgauerat, quem postea impugnauit iam nominatus Theodorus Graswinkel, in *maris liberi vindiciis contra* Guil. Veluodum, *Hag.* 1653. in 4. JOANNIS SELDENI liber postea saepius editus fuit. Eminet editio in Belgio exscripta in 12. quamuis titulus Londinum prae se fert, *accessionibus* nonnullis *aucta*, quae Marc. Zuerium Boxhornium habent auctorem, quae a Rege Angliae prohibita fuit. In fine nostrae editionis, exstant *interserenda* nonnulla *locis designatis*, *in libro omissa*, quae 6. folia complent. Dolendum est editionem nitidam, multis typothetarum mendis esse deformatam. Conf. Niceron *Memoires* Tom. XVIIII. p. 337 sqq.

Capite

Capite XXV. Libri II. p. 260 sqq. quod heic ὡς ἐν παρόδῳ memorare licebit, JOANNES SELDENVS non contemnendam dedit numorum anglicorum, quos *rosas nobiles*, 3. *nobiles rosatos* adpellant, descriptionem, in quibus etiam describendis Vir S. R. Siegmund. Jacob. Baumgarten egregiam collocauit operam in *wöchentlichen* halliſchen *Anzeigen* anni 1750. num. 8-11. In JOANNIS SELDENI l. cit. figura eiusmodi numi *aurei*, ligno incisa occurrit.

CLXII.

JOANNIS SELDENI de Jure naturali & gentium iuxta Disciplinam Ebraeorum Libri septem.

——————— Loca nullius antè
Trita solo. Iuuat integros accedere fontes
Atque haurire ———————

Londini excudebat Richardus Bishopius 1640. in fol. pp. 847. si praefationem & capitum elenchum exceperis.

Hanc editionem in officinis librariis, ita inaruisse, vt aegre adpareat, scribit Jacobus Frideric. Reimmannus in *Catalog. Bibliothec. theologic. systematic. critic.* Tom. I. p. 873. vbi etiam succincta exhibetur recensio. Conf. *Bibliotheca* struuiana *philosophica* a Ludouic. Martino Kahlio edita Tom. II. Cap. III. §. V. p. 335 sqq. & scriptores ibidem citat.

Vitam JOANNIS SELDENI, saluintonensis Angli, anno 1584. nati, & 1654. aetatis anno LXX. mortui, data, quod aiunt, opera descripsit Dauid. Wilkins, & praemisit; JOANNIS SELDENI *Operibus omnibus, tam editis quam ineditis, in III. Voluminibus, quae*

Digitized by Google

quae collegit & recenſuit, praefationes & indices adiecit. Londini typis Guil. Bower &c. 1726. in fol. Conf. Niceron *Memoires* l. cit.

CLXIII.

MATHEOLI *Perufini Philoſophi & Medici clariſſimi* Tractatulus de Preceptis artificialibus & regulis medicinalibus ad augendam memoriam admodum vtilibus.

Hexatoſtichon Andree Boner Landauienſis ad Lectorem.

Immemor heu nimis eſt hominum mens: vsque caduci
Corporis & ceca mole grauata iacet.
Vis cadit ingenii: docilis polyhymnia languet
Ni ferat auxilium caſta Minerua ſuum.
Ergo age nunc tenebras dum riſerit apta iuventus
Diſcutias animi dogmata culta petens.

in 4. folior. 6.

MATHEOLVS, ſiue MATTHIOLVS DE MATTHIOLIS, it. MATTIOLVS DE MATTIOLIS, perufinus, philoſophiae & medicinae in patria, & bononienſi academia Profeſſor, medio ſeculi XV. tempore, fuit celeberrimus, qui aſtronomiam, poeſin, ceteraſque liberales artes, & theologiam ipſam, ingenio ſuo adeo illuſtrauit, vt *Medicorum monarcha, artiumque liberalium Princeps* communi quaſi conſenſu adpellaretur. Inſigni illum in primis elogio ornauit Hartmannus Schedelius *chronici*, quod *Norimbergae* anno 1493. in fol. form. maior. prodiit compilator, qui

qui ſcholas eius frequentauerat, cum in *chronic.* fol. 252. maxima in eo fuiſſe omnia ſcriberet, ſiue artis peritiam, ſiue orationis elegantiam commoditatemque ſpectaueris. Septuagenarius Patauii mortuus, anno 1480. quidem dicitur, ab Auguſtino Oldoino in *Athenaeo auguſto* p. 244. ſed exſtat in Bibliotheca regia dresdenſi, *Tractatus de augenda memoria*, editio in 4. exſcripta, cuius in fine, annus 1470. MATTHIOLO emortualis fuiſſe dicitur. vid. *die Merkwürdigkeiten der königlichen Biblioth. zu* Dresden Tom. I. p. 370. Scripta ab illo relicta nominantur ab Hartmanno Schedelio, & Auguſtin. Oldoino ll. citt. Conf. Joſ. Simleri *Bibliotheca* p. 490. vbi illum minus recte veronenſem adpellat. Libellum *de augenda memoria*, ſcripſit ad Borcardum & Bonauenturam, illique hanc praemiſit epiſtolam:

Jam diu Borcarde *&* Bonauentura *viri digniſſimi & replicatis precibus me ſepiſſime prouocaſtis, vt ego aliqua de memoria nutrienda & augenda colligerem, quam rem ego vobis ſepe pollicitus ſum ſed tenuit me hactenus continua rerum agendarum occupatio. Tandem ſtatui votis veſtris parere & ita domino adiuuante aliqua, & ea (vt puto) digna & vobis vtilia aggregabo. Dicimus igitur quod de hac materia, nullum huc vsque inueni qui complete tractaret adiungenda ſcilicet medicinalia cum aliis rebus, que artificioſe memoriam augent. Alii enim vt* Cicero *maxime de artificioſa memoria tractarunt, quo pacto ſcilicet regulis habitis potuiſſet memoria augeri. Ad conſimile autem propoſitum, tractatum vnum vidi quem* Guilielmus de Briſcia *notabilis philoſophus atque medicus compoſuerat. Medici vero e contra tam noui quam veteres ad memoriam recuperandam ſi perdita eſſet ad habitum fortificandum ſolum remedia medicinalia ſcripſerunt. Ponamus igitur ſimul vtrunique ſtudium vt complete diſcamus memoriam gubernare. Erunt igitur capitula duo in quorum primo ponemus, quomodo poſſumus memoriam arti-*

Digitized by Google

ficialem augere beneficio regularum. In secundo vero dicemus qualiter id etiam fieri possit beneficio medicinarum.

Editioni, neque locus, neque annus, neque typographus adscriptus est, posterioris autem insignia, librum Lipsiae, obstetricante Martino Lantzberg herbipolensi, lucem adspexisse docent. Charactere litterarum exscriptus est gothico. Editor Andreas Boner, landauiensis, consecratum illum, praefixa epistola esse voluit, *religioso & venerabili viro, bonarum artium & philosophie magistro apprime docto* Gaspari de Grünhayn. Editio *argentina impressa a Martino Schotto* 1498. in 4. memoratur a Michael. Maittaire in *Annal. typogr.* Tom. I. p. 668.

CLXIIII.

CHRISTIANI NOLDII *In Reg. Acad. Havn. SS. Theolog. D. & P. P.* Concordantiae particularum Ebraeo chaldaicarum: in quibus, partium Indeclinabilium, quae occurrunt in Fontibus, & hactenus non expositae sunt in Lexicis aut Concordantiis, natura & sensuum varietas ostenditur. Digeruntur ea methodo, vt Lexici, & Concordantiarum loco, simul esse possint. Accommodantur huc etiam Particulae graecae, conferuntur versiones, & multa scripturae loca ita explicantur, vt vbi tenebrae vel dissensiones sunt, adiungantur Annotationes & vindiciae. Basil. Prooem. de Spir. S. *Εἰ ἐκ τοῦ νόμου ἰῶτα ἓν, ἢ μία κεραία οὐ παρελεύσεται, πῶς ἂν ἡμῖν ἀσφαλὲς ὑπερβαίνειν καὶ τὰ σμικρότατα;* *Hafniae Sumptibus Authoris, & Petri Hauboldi. Literis Reg. Maiest. & Acad. Typogr. Cor-*

Cornificii Luft. Anno 1679, in 4. pp. 2010. fol. 6. praemiſſis exceptis.

De libri praeſtantia, & raritate, quae eidem ſine dubio cauſſae tribuenda erit, ob quam Olai Laurelii *Syntagma theologicum* rarùm eſſe diximus, vid. Jacob. Frider. Reimmanni *Catalog. Bibliothec. theologic. ſyſtematico critic.* Tom. I. p. 216. *Catalog. Biblioth.* Daniel. Salthenii p. 213. Eiusmodi opus iam ante CHRISTIANVM NOLDIVM, Buxtorfius, Troſtius, Suaningius, Bangius, Rauius, aliique incaſſum tentauerant, id autem illum minime deterruit a propoſito, ſed perlectis, quae Maſora in *Bibliis*, Kimchius in *Michlol*, in *claue* Flacius, in *indicibus* Piſcator, in *Moſche* Druſius, Glaſſius in *philologicis*, Pagninus, Buxtorfius, Cocceius &c. in *lexicis* ob oculos poſuerunt, hoc opus concinnauit Scripturae ſacrae interpretibus vtiliſſimum. Dicauit illud Chriſtiano V. Regi Daniae. Elogiis ſuis id ornarunt poeticis Thomas Bartholinus, Paull. Vindingius, & Georg. a Möinichc. Sub imagine CHRISTIANI NOLDII aere expreſſa, hoc Olai Borrichii legitur encomion.

NOLDIVS *hic nitido faciem declarat in aere*
Et cathedram hoc habitu conſpiciendus adit.
Schema illud vultus; ſed quo flammetur ab igne
Spiritus, id vita, & ſcripta polita docent.
Vis ſacrae nucleum Sophiae, nucleumque profanae?
Vis in eberino *ponere fonte fitim?*
Vt quaeras riuos diuerſo in climate dices
In calamo NOLDI, *parius vnda fluit.*

Quae Jacobus le Long Tom. I. *Biblioth. ſacr* p. 455. de editione *hafnienſi* 1675. in fol. habet, inter non entia ſine dubio referenda erunt. Habemus ab eodem auctore *Hiſtoriam* Idumaeam, *ſeu de vita & geſtis* Herodum, *Diatriben. Acceſſerunt hinc inde Notae in* Joſephum: *vt & pro eo vindiciae & reſponſiones, contra* Baronium, Serarium, Salianum *& alios. Franc-*

Digitized by Google

querae Sumptibus Johannis Arcerii Bibliopolae Anno 1660. in 12. pp. 478. excepr. praemiſſ. & indic. Quo in libello, bonae frugis pleno, hiſtoriam gentis Herodiadarum, poſt Serarium, Salianum, Montacutium, Capellum, & alios, qui idem argumentum paullo infelicius pertractarunt, mirifice illuſtrauit.

Diem obiit ſupremum CHRISTIANVS NOLDIVS an. 1683. d. XXII. Aug. aetatis anno LVII. *Programma in* eius *funere* ſcripſit Eraſmus Bartholinus, quod legitur in Henric. Pippingii *Memoriis Theologorum* Decade I. p. 1 ſqq.

CLXV.

Epiſtole PHALARIDIS per FRANCISCVM ARETINVM tradu&te. in 4. folior. 41.

Ne cramben bis & ſaepius coctam, lectoribus noſtris adponere videamur, omnia heic ſicco, quod aiunt, pede tranſimus, quae de auctore *epiſtolarum*, quae ſub PHALARIDIS agrigentinorum tyranni nomine, circumferuntur, de earum editionibus & verſionibus variis, & de controuerſia, inter viros Angliae doctiſſimos Carolum Boyle, Richardum Bentley, & Guil. Wotton, non ſine inſigni animorum acerbitate agitata, dici poterant. Adeant quibus haec noſſe volupe erit, Joannis Albert. Fabricii *Biblioth. graec.* L. II. Cap. X. p. 407 ſqq. Euſt. Budgell's *Memoirs of the Life of the late* Earl of Orrery *Lond.* 1732. in 8. vbi legitur *A ſhort Account of the Controverſy between the late* Earl of Orrery *and* Dr. Bentley, *againſt the letters of* PHALARIS. Jaques George de Chaufepié *Nouveau Dictionaire biſtorique & critique* Tom. II. Litt. B. p. 499. not. B. das *Leben* Richard Bentleys, quae adiicitur Jo. Pet. Nicerons *Nachrichten, von den Begebenheiten vnd Schriften berühmter Gelehrten* Tom. IIII.

Digitized by Google

IIII. *Halle* 1751. p. 403 sqq. & quae supra Tom. I. p. 67 sqq. excitauimus scripta, & diaria eruditorum. Id autem memorare licebit, quod *epistolarum* PHALARIDIS CXLIIX. omnium prima sit graeca editio, quae cum Apollonii Philosophi pythagorici, & Bruti *epistolis, ex aedibus*, vt in calce illius adnotatum legimus, Bartholomaei Justinopolitani, Gabrielis Brasichellensis, Joannis Bissoli & Benedicti Mangii Carpensium *MCCCCXCVIII.* (1498) *XIII. Kal. Julias* in 4. euulgata fuit, & anno antiquior est editione *aldina*, quam Jo. Albert. Fabricius in *Biblioth. gr.* l. cit. p. 409. pro omnium prima venditat. Existimauit quidem Michael Maittaire in *Annalib. typograph.* Tom. I. p. 92. editionem cum interpretatione latina, in lucem exiisse, sed nihil tale, in exemplari, quod apud amicum ante aliquot annos vidimus, oculis nostris se obtulit, quamuis Bartholomaeus Justinopolitanus, in epistola ad Petrum Contarenum, patricium venetum, eiusmodi promiserit translationem cum scripsit: *has tantum* (epistolas) *verbum verbo latinas reddemus disiunctisque voluminibus ita collocabimus, vt paginae paginae, & versus versui fideliſſime respondeant. cui adminiculo ſtudiorum velut infantia innitatur. & in caeteris* (Apollonii & Bruti) *quas intactas hoc consilio relinquimus profectus vires experiri possit.* Sine dubio editioni *venetae* anno 1502. in 4. repetitae, quam memorauit Joan. Albert. Fabricius l. cit. p. 409. & Godofred. Oleatius in *praefatione* ad Apollonii tyanensis *epistolas*, quas Philostratorum *operibus* addidit, p. 379. versio latina primum comes data fuit.

FRANCISCVS ACCOLTVS arretinus, versionem suam Malatestae Nouellae principi dicauit, & in prooemio, gentis Malatestarum merita, in omnem rem publicam, & ciuilem, & litterariam, exposuit, & PHALARIDEM non adeo saeuum & crudelem, vt plerumque ab historicis describi solet, sed in viros do-

Digitized by Google

ctos, animo fuisse generoso, & liberali, ostendere studuit. Jam ante nostram editionem ACCOLTI versio *Florent.* 1480. in 4. *Venetiis* 1481. *ibid.* 1491. & *Paris.* 1493. edita fuit. De priore editione vid. Mich. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. I. p. 415. Ea, qua vtimur, editorem nacta est Joannem Honorium Crispum, cubitensem. Quibus caussis impulsus ad edendum librum fuerit, his ipse in *praefatione ad lectorem* verbis expositit: *Multe occurrunt cause lector candidissime: quare intra magnum illum: spaciosum atque ameniſſimum rhetorice oratorieue campum: in quo optima queque ornatissimo atque pene diuino stilo conscripta perspiciuntur: voluerim epistolas* PHALARIDIS Agrigentinorum *tyranni: omni cura diligentiaque quo ad per me fieri potuit imprimendas curare: atque ex latebris obrutoque quasi vetustatis carcere depromere. Nam & affatim satisfacturum me spero huic prouincie mee. qua hac estate a concilio facultatis artium studii* Lipsensis *ad rhetoricalem lectionem prefectus sum: si illas diligenter impressas omni mea industria. quam libenter his rebus impendo auditoribus interpretatus fuero: & rem optimam omnibusque nostre litterarie consuetudinis bonis doctisque viris summe gratam arbitror me facturum qui in hac re sicut in ceteris multis eruditissimi, atque optimis quibusque latinis literis exercitissimi viri Magistri* Johannis Maii Romhiltensis *consilio: adhortationi: atque persuasioni ausculturum: cuius studio & communi fauori has imprimi curauimus. quocum mihi morem non mediocriter gerat qui passim has epistolas egregias publice legere. tum vt multitudini inseruiat: quam in optimis litteris semper edocere cupiuit: tum autem maxime vt gratiam aliquando venerabili viro* Johanni Hugoni *ecclesie* Romhiltensis *canonico referat. cuius liberalitate ipse has obtinuit litteras: ne illum his epistolis quas veluti suas delicias repetat priuaret memor & graciam illis & honorem nos debere: a quibus quid boni accepimus. —— quare siquid boni lector optime in illis reperies: quod certo*

Digitized by Google

certo scio te multum offensurum: illis debebis quoque vel fauorem tuum. Si vero quicquam occurrerit: quod te moleste tenebit: quod difficile intellectu sit: id & rerum difficultati & temporis longinquitati & obscuritati tribues. quod non tamen diuino numine fauente quoad eius fieri poterit post FRANCISCVM Aretinum *declarare tentabimus.* &c. Reliquum praefationis Honorius enarrandae PHALARIDIS historiae impendit. Illum etiam a tyrannidis atrocitate defendere, crimenque illud saeuitiae quod illi obiicitur, diluere putaret, nisi superuacaneum illi visum fuerit, rei immorari, quam FRANCISCVS ACCOLTVS praeoccupauerit, qui, vt iam dictum a nobis fuit, maximam *prooemii* sui partem, eiusmodi defensione consumsit. Adiicitur editioni FRANCISCI ACCOLTI *epistola, ad clarissimum atque praestantissimum Iureconsultum* Franciscum Pelatum, patauinum, *regium consiliarium,* quam scripsit, cum illi *versionem* suam mitteret. Epistolae subiicitur hoc epistolion

Ad Lectorem.

Qui modo notus erat nulli: penitusque latebat
Nunc PHALARIS *doctum protulit ecce caput.*

Accipe candidissime lector leta fronte hoc infigue atque preclarum opus epistolarum PHALARIDIS Agrigentinorum *regis clarissimi & prudentissimi. quod celeberrimi nominis vir & vtriusque lingue doctissimus* FRANCISCVS Aretinus *ad illustrem Principem* Malatestam Nouellam de Malatestis *e* greco *in* latinum *festiue & eleganter traduxit. In quo si offendes interdum moramenta quedam ex immutatione transmutationeue litterarum ac syllabarum: nonnunquam ex inuersione dictionum: equo animo feras. Vix enim fieri potest vt huiusmodi labecule non interueniant. Certo etiam scias multa: que in antiquis exemplaribus: librariorum vitio: ita deprauata videbantur vt nullus fere inde sensus elici posset: iam diligenter esse correcta & in pristinam formam redacta. Vale. Impressum* Liptzk *per* Ja-

Digitized by Google

cobum Thanner. *Anno ſalutis chriſtianae 1502. Eo die quo precioſa* Chriſti *paſſio per totum recolitur orbem.* A Joan. Henrico Leichio editio typis gothicis excuſa, in *Annal. typogr.* lipſienſ. non memorata fuit. Adtulit tamen antiquiorem p. 72. ab eodem Jacobo Thanner 1498. exſcriptam. Cum vero editiones antiquiores, *verſionis* alioquin non contemnendae, quam dedit FRANCISC. ACCOLTVS, arretinus, admodum imperfectae ſunt, cum, vt Jo. Alb. Fabricius l. cit. adnotauit, & ordo turbatus ſit, & loca paſſim omiſſa ſint & epiſtolae integrae v. c. VII. LII. LVII. LVIIII. & LXXV. deſiderentur, *verſionem* iſtam recognouit, ſuppleuit, & reſtituit Thomas Sauius, medicus lugdunenſis, qui *epiſtolas* PHALARIDIS edidit *Lugduni* 1550. in 8. De aliis editionibus vid. Jo. Alb. Fabricius l. cit. nos vtimur illa, quae in Joannis Buchleri a Gladbach *laconicarum epiſtolarum Theſauro bipartito Colon.* 1606. in 12. p. 502--584. exſtat. Nouam, recentioribus temporibus, praeter alios, dedit *verſionem*, quem iam nominauimus, Carolus Boyle Comes d'Orrery, qui PHALARIDIS *epiſtolas, e mſs. recenſuit, verſione, adnotationibus, & vita* auctoris *donauit Oxoniae ex theatro ſheldonian.* 1695. in 8. form. mai. quae editio noſtra aetate omnium optima cenſetur. Vid. de illa *A Diſſertation upon the epiſtles of* PHALARIS, *with an Answer to the objections of the honourable* Charles Boyle, *Eſquire, by* Richard Bentley, *D. D. Chaplain in Ordinary and Library Keeper to his Majeſty, London Henric. Mortlock, and John Hartley* 1699. in 8, & reliqua ſcripta eriſtica, quae propter hanc editionem paſſim in Anglia a viris doctiſſimis diuulgata fuerunt. *Acta Eruditor.* lipſienſ. anno 1696. p. 101 ſqq.

De FRANCISCO ACCOLTO, arretino, & eius, e graecis ſcriptoribus, verſionibus, vid. quae ſupra Tom. I. p. 93 ſqq. diximus, quocum conf. poterunt quae in *Giornale de' letterati d'*Italia Tom. XI. p. 333 ſqq. leguntur.

CLXVI.

Digitized by Google

CLXVI.

ANTIGONI *Caryſtii* Hiſtoriarum mirabilium Collectanea. JOANNES MEVRSIVS recenſuit & Notas addidit. *Lugduni Batauorum, apud Iſaacum Elzevirium Anno cIↃ IↃc XIX.* (1619). in 4. pp. 210. ſi dedicatio & praefatio non computata fuerit.

Editionem a raritate laudauit Cl. Dauid Clement in *Bibliotheque hiſtorique & critique* Tom. I. p. 369 ſqq. Primus edidit ἱστοριῶν παραδόξων συναγωγήν, Guilielmus Xylander, ſub nomine ANTIGONI, quem tamen adcurate definire haud ſuſtinebat, e Bibliothecae palatinae, vetuſtiſſimis membranis, *rariſſimo*, vt ait, *illique alias nunquam viſo litterarum genere* conſcriptis, *verſione*que addita, in lucem emiſit, cum M. Antonini Aurelii philoſophi Imperatoris libris εἰς ἑαυτὸν, Apollonii Dyſcoli θαυμασίοις, Phlegontisque Tralliani libris περὶ θαυμασίων, περὶ μακροβίων, & περὶ τῶν Ὀλυμπίων *Baſil.* 1568. in 8. Eodem anno, & eodem loco, ANTIGONVM etiam, ſeparatim, addita *verſione* edidit. Vindicauit librum ANTIGONO caryſtio, qui, vt Henricus Dodwel, in *Diſſertat. de aetate Peripli* Hannonis, quae exſtat in editione *ſcriptor. geographicor. minor.* Tom. I. *Oxon.* 1698. in 8. editor. §. XXI. & Gerard. Joann. Voſſius de *Hiſtoric. graecis* L. I. Cap. XII. p. 63. Laurent. Lundius in *Compendio Bibliothecae graecae ex praelectionibus* vindingianis *compoſito Hafn.* 1704. in 8. p. 19. Joan. Albert. Fabricius in *Biblioth. graec.* L. III. Cap. XXVII. p. 672. demonſtrarunt, ſub Ptolemaeis, Lagida, & Philadelpho floruit, JOANNES MEVRSIVS, teſtimonio potiſſimum ad id adductus Stephani περὶ πόλεων, qui, in voce Γύαρος p. 215. edit. Thom. de Pinedo, nonnulla ex ANTIGONO caryſtio refert, quae in συναγωγῇ Cap. XXI. & XXII. illis ipſis fere verbis, quibus rem retulit Ste-

 phanus,

Digitized by Google

phanus, narrantur. Dicauit JOANNES MEVRSIVS ſuam editionem, litteris valde luculentis expreſſam, Guil. Xylandri *verſione*, *notis*que illuſtratam, *rei maritimae in Collegio* middelburgenſi *conſiliariis*. Nonnulla exemplaria, nouo ornata fuerunt titulo, qui annum 1622. prae ſe fert. Alias libri editiones, quas Chriſtophorus Hendreichius in *Pandect.* brandeburg. p. 206. produxit, chimaericas eſſe exiſtimat Jo. Albert. Fabricius l. cit. p. 673 ſqq. Cl. Dauid Clement l. cit.

De editore JOANNE MEVRSIO, anno 1579. Losduni, prope Hagam Comitum nato, in academia vero ſorana 1639. mortuo, vid. Adolphi Vorſtii *epiſtola, de* JO. MEVRSII *obitu*, quae exſtat in Joan. Jacob. Gronouii *Theſauro Antiquit.* graecar. Tom. X. col. 654. Daniel. Guilielm. Molleri *Diſſertat. de* JOANNE MEVRSIO, *Altorf.* 1693. in 4. *Norimb.* 1732. in 4. Joan. Valentin. Schrammii *Diſſert. de vita & ſcriptis* JOAN. MEVRSII *patris*, *Lipſ.* 1715. in 4. Franciſci Foppens *Bibliotheca* belgica Tom. II. p. 689 ſqq. Niceron *Memoires* Tom. XII. p. 181 ſqq. & Tom. XX. p. 52. qui iam narrationibus, quas de vita eius dederunt Valer. Andreas, Franc. Sweertius, MEVRSIVS ipſe, Alb. Bartholinus, Daniel Guil. Mollerus, Henning. Wittenius, Adrian. Baillet, aliique vſi fuerunt. Ipſe MEVRSIVS etiam conſcripſit *librorum a ſe editorum atque iis adhuc ſuperſtitum Catalogum*, quem euulgauit Joannes Meurſius filius, *Sorae* 1641. in 4. *Opera* JOANNIS MEVRSII omnia, haud ita pridem, a Joanne Lamio, *Florentiae* XII. Tom. in fol. edita fuere.

Digitized by Google

CLXVII.

HERODOTI *Halicarnaſſei* hiſtoriae lib. IX. & de vita Homeri libellus. Illi ex interpretatione Laur. Vallae adſcripta, hic ex interpret. Conradi Heresbachii: vtraque ab Henr. Stephano recognita. Ex CTESIA excerptae hiſtoriae. Icones quarundam memorabilium ſtructurarum. Apologia Henr. Stephani pro HERODOTO.

Eiusdem H. Stephani de hac ſua editione diſtichon.

HERODOTI Latium poſſederat hactenus vmbram,
Nunc Latium corpus poſſidet HERODOTI.

Anno M. D. LXVI. (1566). *Excudebat Henricus Stephanus, illuſtris viri Huldrichi Fuggeri typographus.* in fol. pp. 256. & 12. exceptis folior. 28.

In ſecunda tituli pagina, legitur Henrici Stephani *elegeion in eos qui* HERODOTI *hiſtoriam fabuloſitatis accuſant*, cui ſubiungitur eiusdem diſtichon, *in* HERODOTI *interpretationem a ſe recognitam.* Inſcripſit hanc primam verſionis latinae editionem Joachimo Camerario, & hac occaſione, in *epiſtola* dedicatoria, in Laurentii Vallae *verſionem*, quae prima vice *Venetiis*, *per Jacobum Rubeum natione Gallicum* anno 1474. in fol. edita fuerat, vehementer inuectus eſt, quia e verbis graecis, non ſatis intellectis, nouas gentes, nouos populos, montesque effinxerat, cuius rei luculentiſſima exhibentur ſpecimina, cum v. c. e graeco ἱερὸν, more ionico pro ἱερὸν *ſacrum*, poſito, *montem* nomine *Hirum*, ex ὅτινες *qui*, *populum* nomine *Hoetines*, ex ἥσσονας, id eſt *inferiores*, *gentes Heſſones*, & ex aliis vocibus, alia nominum monſtra procreauit. Subiecit epiſtolae

Digitized by Google

epiſtolae dedicatoriae tria *epitaphia*, vnum *graecum*, reliqua *latina*, in Adriani Turnebi, quem poſt Petrum Daneſium, & Jacobum Tuſanum, ſuum fuiſſe refert Praeceptorem, tumulum conſcripta. In *praefatione ad lectorem*, Conradum perſtringit Heresbachium, quod fucum facere lectoribus non erubuerit, & Laurentii vallenſis *verſionem*, prout illam inuenerat, innumeris vitiis deformatam, in lucem aliquoties ediderit, quamuis illam ſe recognouiſſe, plurimis in locis & emendaſſe iactitauerit. Praefationem excipit Henr. Stephani *Apologia pro* HERODOTO, *ſiue* HERODOTI *hiſtoria fabuloſitatis adcuſata*. Diuerſa omnino haec eſt *apologia*, a libro, quem eodem fere titulo: *L'introduction au Traité de la Conformité des Merveilles anciennes avec les modernes. Ou Traité preparatif à l'Apologie pour* HERODOTE. *L'argument eſt pris de l'Apologie pour* HERODOTE *compoſée en latin par* Henri Eſtienne *& eſt ici continué par lui meſme.*

Tant d'actes merveilleux en ceſt oeuvre lirez,
Que de nul autre aprés eſmerveillé ſerez.
Et pourrez Vous ſavans du plaiſir ici prendre
Vous non ſçavans pourrez en viant y apprendre.

L'an 1566 au mois de Nouembre. in 8. pp. 680. euulgauit Henricus Stephanus, cuiusque varjae exſtant editiones, de quibus vid. Niceron *Memoires* Tom. XXXVI. p. 296 ſqq. Cl. Vogtii *Catalog. libror. rar.* p. 267 ſqq. Hiſtoriam, argumentum, & fata libri gallici, multis verbis expoſita fuerunt ab Alberto Henrico de Sallengre in *Memoires de literature* Tom. I. p. 38 ſqq. Conf. *die Merkwürdigkeiten der königl. Bibliothek zu* Dresden Tom. I. p. 199 ſqq. Recentiſſima editio, quae hoc prodiit titulo: *Apologie pour* HERODOTE *ou Traité de la Conformité des Merveilles anciennes & modernes par* Henri Eſtienne *Nouvelle edition: faite ſur la prémiere:* (an. 1566.) *augmentée de tout ce que les poſterieures ont de curieux, & de Remar-*

Digitized by Google

marques: par Mr. le Duchat. *Avec une Table alphabetique des Matieres. A la Haye chez Henri Scheurleer* 1735. in 8. Tom. I. pp. 624. Tom. II. pp. 434. eidem fere cauſſae originem ſuam debet, qua Henr. Stephanus impulſus, *apologiam* gallicam conſcripſit. Cum enim bibliopola hagenſis conſpiceret, quod multi ephemeridum litterariarum conditores contra Franciſci Bruys *Hiſtoire des Papes depuis S. Pierre, jusqu'à* Benoît *XIII. inclusivement. A la Haye* 1732--1734. V. Tom. in 4. cui libro imprimendo ſumtus fecerat, inſurgerent, illique omnem plane fidem abrogare ſuſtinerent, vindictae cupiditate, vt ipſe in praefatione fatetur, (v. *Avis du Libraire*) accenſus, librum praelo denuo ſubiecit, & in vulgus edidit. Sed redeamus ex hoc diuerticulo ad verſionem HERODOTI latinam. Quamuis Henricus Stephanus, ſe omnem adhibuiſſe operam exiſtimauerit, vt emaculatior Laur. Vallae *verſio* in lucem prodiret, & quae in ſua editione praeſtiterit, multis verbis, in praefatione narraret, recentiorum tamen criticorum animaduerſionem, neutiquam effugere potuit. Jacobus ſane Gronouius, illum conuiciis homine litterato, & politiorum ſtudiorum exculto, admodum indignis, in ſuis in HERODOTVM *notis & Obſeruationibus*, adortus eſt, & inter alia, hiſce, quae paſſim occurrunt, encomiis ornauit. H. Stephanus *Faber prauitatis, infami violentia praeditus, vltra fidem puerilis & imperitus, faſtidio fatuo plenus, naſutus, monſtroſe audax, cuius dicta pro abſurdis reiicienda*, & qui ſunt reliqui floſculi, quibus omnis fere *Obſeruationum* pagina repleta fuit. Conf. *Acta eruditorum* lipſienſ. Anni 1716. p. 198. Inuectus eſt etiam in Henric. Stephanum, Stephanus Berglerus in *Animaduerſione in nouam editionem* HERODOTI a Cl. Gronouio *curatam*, in *Act. eruditor.* lipſ. eiusd. anni p. 378. In eo potiſſimum, laudem quamdam promeruit H. Stephanus, quod verſus graecos in HERODOTO, & in primis in libro *de vita* Homeri, crebro occurrentes, quos Conradus Heresbachius, e graeco

Digitized by Google

graeco conuertere non ausus fuerat, vel ipse latinis versibus expressit, vel ab aliis expressos, *versioni* suae inseruit. Accesserunt *versioni* latinae 1. *excerpta ex* Suida, Cicerone, & Xenophonte, de HERODOTO & CTESIA *testimonia*, latine conuersa. 2. *Excerpta ex* CTESIAE *scriptis*, quae apud Photium, Demetrium Phalereum, Plutarchum Athenaeum, graece leguntur, latine reddita. 3. *Index latinus, in* HERODOTVM & CTESIAM. 4. *Icones quarumdam memorabilium structurarum*, quibus describendis Theodorus Beza, operam nauasse, in *praefatione* dicitur. Ponunt illae pontem, arcem, hortum, & turrim Babylonis, ipsamque vrbem ob oculos. De editionibus huius *versionis*, repetitis, vid. Joan. Albert. Fabricii *Bibliotheca graec.* L. II. Cap. XVIIII. p. 699 sqq. Niceron *Memoires* l. cit. p. 296.

CLXIIX.

ΗΡΟΔΟΤΟΥ τοῦ Ἁλικαρνασσέως ἱστορίης ἀπόδεξις, ἢ, ἱστοριῶν λόγοι Θ, ἐπιγεγραμμένοι Μοῦσαι. HERODOTI *Halicarnassei* Historia, siue Historiarum Libri IX, qui inscribuntur Musae. Ex vetustis exemplaribus recogniti. CTESIAE quaedam. *Anno M. D. LXX.* (1570). *Excudebat Henricus Stephanus.* in fol. pp. 362. & 20.

Dicauit Henricus Stephanus hanc editionem graecam, charactere litterarum nitido exscriptam, *generoso & potenti domino* Jacobo a Broullart, Lagnii *comiti*, Lisii *domino*. Subdidit epistolae dedicatoriae *Jonismos*, in HERODOTO occurrentes intellectu difficillimos, quos cum *gallicismis* collatos, faciliores reddidit. In praefatione *ad lectorem* cunctationis adfert moraeque excusationem, simulque exponit, qua potis-

Digitized by Google

tiſſimum ex parte haec ſua editio, reliquis, quae antea prodierant, graecis editionibus praeſtantior dici queat. Adiecit illi nimirum quinque *epigrammata graeca*; quae equitans, ſe luſiſſe ſcribit. Illa ſequuntur *excerpta* ex Joachimi Camerarii *prooemio*, quo is, HERODOTVM, *Baſileae anno* 1541. & 1557. *ex officina beruagiana* in fol. graece editum ornauerat. Iis ſubiunxit, HERODOTI *vocabula ionica*, *illi cum* Homero *communia; nec non alia, collecta &* latine *reddita, partim a* Joachimo Camerario, *partim ab* Henrico Stephano ipſo: *littera* C. Camerarium, H. Stephanum *indicat, a quo & addita fuerunt, aliquibus* Camerarii *interpretationibus exempla.* Praeter Homeri *vitam* graecam, *excerpta* quoque graeca e CTESIAE ſcriptis, a Photio, Plutarcho, Demetrio Phalereo & Athenaeo collecta, heic locum inuenerunt. Scribit quidem Joan. Alb. Fabricius *Biblioth. gr.* L. II. Cap. XX. p. 700. H. Stephani *verſionem latinam*, anno 1566. editam, huic editioni graecae, ad calcem iunctam eſſe, ſed in noſtro exemplari, illius rei, nullum exſtat veſtigium. *Adnotationes*, quae in *praefatione ad Lectorem*, in HERODOTVM ſe eſſe ſcripturum receperat Stephanus, nunquam in lucem editae fuerunt. Euulgati fuerunt anno 1592. ab H. Stephano; ΗΡΟΔΟΤΟΤ Ἁλικαρνασσέος ἱστορίων λόγοι Θ' ἐπιγραφόμενοι Μοῦσαι τοῦ αὐτοῦ ἐξήγησις περὶ τῆς Ὁμήρου βιοτῆς. HERODOTI halicarnaſſei *hiſtoriarum libri IX. nouem Muſarum nominibus inſcripti: eiusdem narratio de vita* Homeri: *Cum* Vallae *interpret.* latina *hiſtoriarum* HERODOTI, *ab* Henr. Stephano *recognita. Item cum iconibus ſtructurarum ab* HERODOTO *deſcriptarum.* CTESIAE *quaedam de reb.* Perſ. & Ind. *Editio ſecunda. Excudebat* Henr. Stephanus *Anno M. D. XCII.* (1592) in fol. pp. 732. exceptis praemiſſ. & indic. pp. 67. & 4. iconib. quae editio, inter Stephaniahas, optima cenſetur. Deſcribitur illa a Joan. Albert. Fabricio l. cit. in *Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dresden Tom. I. p. 194. & omnium optime in *Nachrichten von*

Digitized by Google

von einer hallischen *Bibliothek* Tom. IIX. p. 168 sqq. Fallitur autem Fabricius, cum huic editioni *Apologiam pro* HERODOTO latinam, additam esse scribit, quam Henricus Stephanus, ob causas, quarum indicium, in epistola dedicatoria ad Ge. Lud. Huttenum, Otton. a Grunrad, & Volr. a Plessen, Electoris Friderici IIII. palatini Consiliarios, factum esse conspeximus, omisit. Omnium prima HERODOTI editio graeca est, quae hoc prodiit titulo, & inter bibliothecarum cimelia referri solet: ΗΡΟΔΟΤΟΥ λόγοι ἐννέα, εἴπερ ἐπικαλοῦνται Μοῦσαι. HERODOTI *libri nouem, quibus Musarum indita sunt nomina*

Μουσῶν ὀνόματα.	*Musarum nomina.*
Κλειώ.	*Clio.*
Ἐυτέρπη.	*Euterpe.*
Θάλεια.	*Thalia.*
Μελπομένη.	*Melpomene.*
Τερψιχόρη.	*Terpsichore.*
Ἐρατώ.	*Erato.*
Πολύμνια.	*Polymnia.*
Οὐρανία.	*Urania.*
Καλλιόπη.	*Calliope.*

Aldus. in fol. folior. 140. In fine illius haec leguntur verba: Ἐνετίησι, παρ' Ἀλδῳ τῷ Ρωμαίῳ ἔτι (ἔτει) χιλιοστῷ πεντακοσιοστῷ δευτέρῳ Μαιμακτηριῶνος τεσσαρεσκαιδεκάτῃ φθίνοντος, ὑμμήνγε ἄνευ προνομίου. Venetiis *in domo* Aldi *mense Septembri MDII.* (1502) *& cum priuilegio vt in caeteris.* vid. Michaelis Maittaire *Annal. typogr.* Tom. II. p. 156. die *Nachrichten von einer* hallischen *Bibliothek* l. cit. p. 164 sqq. Ad illam expressa est vtraque, quam memorauimus, editio *heruagiana.* Optima & adcuratissima nostra aetate censetur editio, quae hoc ornata titulo, in lucem exiit: ΗΡΟΔΟΤΟΥ Ἁλικαρνασσέος Ἱστορίων λόγοι Θ ἐπιγραφόμενοι Μοῦσαι. HERODOTI Halicarnassei *Historiarum Libri IX. Musarum nominibus inscripti* Gr. *&* Lat. *cum Interpretatione* Laurentii Vallae. *Ex MS. Membrana* Medicea, *post*

Aldi

Digitized by Google

Aldi Manutii, Joach. Camerarii, Henr. Stephani, Goth. Jungermanni, Th. Gale *in edendo operas non tantum adiutis locis, vbi ab viris doctis sentiebatur corruptela, sed etiam* Graecismo *per singulas fere paginas remollito Industria* Jacobi Gronouii, *cuius accedunt notae* τοῦ αὐτοῦ Ἐξήγησις περὶ τοῦ Ὁμήρου βιοτῆς. *Eiusdem Narratio de vita* Homeri Gr. Lat. *Interprete* Conr. Heresbachio. *Accedunt Excerpta ex* Xenophonte, Strabone, Dinone, Heraclide, Cymaeo, Clearcho, Agathocle, Cherete, Plutarcho, Nymphodoro, *de* Persicis, Aegyptiis, *&* Indicis, *item de Incremento* Nili *ex* Plutarcho, Theophylacto Simocata, Athenaeo, Diod. Siculo, Aristide, Dione, Heliodoro, *& praesertim* Ctesia *&c.* Lugduni Batauorum, *Apud* Samuelem Luchtmans 1715. in fol. pp. 1000. exceptis praefationibus & indicibus folior. 38. Cum editor Jacobus Gronouius, critico, eoque alto supercilio, in *notis & obseruationibus in nouem libros* HERODOTI, quae p. 791. inchoantur & ad p. 1000. vsque excurrunt, in omnes, qui ante illum, in edendo HERODOTO, operam & industriam suam posuerant, insigni animi acerbitate, & effraeni conuiciorum petulantia inuectus fuerit, duo potissimum viri, ferocem illius impetum, scriptis editis reprimere studuerunt. Alter Ludolphus Küsterus in *examine critico, editionis nouissimae* HERODOTI gronouianae, quod a Joanne Clerico insertum fuit Tomo V. de la *Bibliotheque ancienne & moderne* p. 383 sqq. alter Stephanus Berglerus in *Animaduersione in nouam editionem* HERODOTI *a Cl.* Gronouio *curatam*, quae legitur in *Actis eruditor.* lipsienf. ann. 1716. p. 377 sqq. & 417 sqq. Conf. de editione gronouiana *Acta eruditor.* l. cit. p. 193 sqq. die *Nachrichten von einer* hallischen *Biblioth.* l. cit. p. 174 sqq. vbi & aliae editiones & versiones HERODOTI recensentur. In Joan. Alb. Fabricii *Biblioth. graec.* l. cit. p. 702. interpres teutonicus Hieronymus Boner, *oberster Mayster* siue *Schulthays zu* Colmar minus recte *Boemerus* adpellatur. Versio il-

Digitized by Google

lius describitur in *Nachrichten von einer* hallischen *Biblioth.* l. cit. p. 176 sqq. & in *Merkwürdigkeiten der königl. Bibliothek zu* Dresd. l. cit. Inter hetruscas versiones, principem obtinet locum, quae hoc insignita titulo, in lucem exiit: ERODOTO Alicarnasseo, *Padre della* greca *istoria, dell' imprese de' Greci e de' Barbari, con la vita d'*Omero, *nuovamente nella nostra lingua tradotto dal Sigr.* Giulio Cesare Becelli, *Gentiluomo* Veronese; *la vita dell' Autore descritta per* Tommaso Porcacchi; *con le postille, e con due Tavole copiosissime, l'una de' nomi delle città e de' luoghi antichi ridotti a' moderni, e l'altra delle cose notabili; la Cronologia di* Tommaso Gale, *con dieci Tavole di Geografia antica. A. S. A. R. il sereniſſimo R. Infante D.* Carolo di Borbone, *Duca di* Parma, *e* Piacenza, *e Gran Principe di* Toscana. *Parte Prima. E questo è il secondo Anello della Collana istorica* greca. *Con Privilegio. In* Verona *appresso* Dionigo Ramanzini *M. D. CC. XXXIII.* (1733) in 4. form. mai. pp. 424. except. pp. 6. prioribus. *Parte seconda* pp. 244. & 134.

HERODOTVS, quem alii, cum Henrico Valesio ad Ammianum Marcellinum L. XXI. Cap. VI. p. 273. edit *parisiens.* 1681. in fol. ERODOTVM, adpellant, Lyxi, qui ab aliis, & forte rectius Xylus nominatur, & Drius filius, ab Halicarnasso, Cariae oppido, vbi natus est, *halicarnasseus*, siue *halicarnassensis* dicitur, floruitque Olympiade in primis XXCIIII. quo tempore suam scripsisse memoratur *historiam*. Qui thurium illum, cum Suida, Strabone, Plutarcho, aliisque nominant, ad coloniam respiciunt, cui, in Italiae oppidum, quod Thurium dictum, deducendae praefectus fuit. Priusquam *historiae* scribendae admoueret manus, φιλιστορίας caussa, multa & longinqua itinera suscepit. In Aegypto sane, se plurima audiuisse memorat, a sacerdotibus Vulcani, quibus historiae cura iis temporibus relicta erat. Cum Archia quodam in insula

Digitized by Google

insula Samo, de rebus Graecorum se colloquutum fuisse testatur L. III. Cap. 55. & in Phoenicen se commigrasse scribit L. II. c. 44. vt de Tyriorum rebus veritatem exploraret. *Pater historiae* vocatur a Cicerone Libr. I. *de legibus* c. 1. & primus post Mosen historicus est, a quo antiquissima terrarum orbis imperia descripta habemus. Nam lydium, assyrium, medicum, persicum, aegyptium, ionicum, atticum, laconicum, corinthium regnum, singulorumque fata & conuersiones, nouem libris complexus est, quibus a totidem musis, nomina antiquitas imposuit. Lingua in iis vtitur ionica, quam in Samo insula didicerat, & dictionem simplicem, planam & propriam adhibet, quam Dionysius halicarnasseus in *epistol.* ad Cn. Pompeium p. 130. ac in primis Lucianus *de scribenda historia* Tom. II. *Oper.* p. 1 sqq. edit. Amstelodam. 1743. in 4. form. mai. & in *Aetione* Tom. I. p. 831 sqq. iure ac merito laudauerunt. Etiamsi autem HERODOTVS, quae ab aliis tradita acceperat, bona fide retulit, peracerba tamen censura exceptus, & κακοηθείας a Plutarcho, & fabulositatis a nonnullis recentioribus insimulatus est. Sed HERODOTI caussam strenue defenderunt, praeter Henricum Stephanum, Joachimus Camerarius in *defensione* HERODOTI *contra* Plutarchum, in edit. Gronouii p. 710 sqq. & Bernardus de Montfaucon in *Verité de l'histoire de* Judith, *Paris* 1690. in 12. qui HERODOTVM ipsum, non omnia, pro exploratis venditasse ostendunt, eumque boni historici partes impleuisse censent. Libellum *de vita* Homeri, dialecto conscriptum ionica, ab HERODOTO profectum esse, Tanaquil Faber *de poetis graecis* p. 5. Gerard. Joan. Vossius *de historicis graecis* L. I. Cap. III. p. 16. Stephanus Berglerus in *praefat.* in Homerum, aliique negant, quorum rationes Joan. Albert. Fabricius in *Biblioth. graec.* l. cit. p. 254 sqq. expendit, & suam ita interponit sententiam, vt eorum fauere partibus videatur, qui illum HERODOTO haud indignum iudicant. Conf. Jaques George de

Digitized by Google

Chaufepié *Nouveau Dictionaire historique & critique* Tom. II. litt. H. p. 102 sqq.

CLXVIIII.

ΘΟΥΚΥΔΙΔΟΥ τοῦ Ολόρου περὶ τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου βιβλία ὀκτώ. THVCYDIDIS *Olori filii* de bello Peloponnesiaco libri octo. Iidem latine, ex interpretatione Laurentii Vallae, ab Henrico Stephano recognita. Cic. *de Orat. Lib. II.* Post Herodotum THVCYDIDES omnes dicendi artificio (mea sententia) facile vincit: qui ita est creber rerum frequentia, vt verborum prope numerum sententiarum numero consequatur: ita porro verbis est aptus & pressus, vt nescias vtrum res oratione an verba sententiis illustrentur. *Idem in Orat.* THVCYDIDES de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellicum. *Anno M. D. LXIIII.* (1564). *Excudebat Henricus Stephanus, illustris viri Huldrichi Fuggeri typographus.* in fol. pp. 297. & 216. exceptis praemissis & indicibus, pp. 43.

Editionem oppido nitidam & raram, sacram esse voluit Henricus Stephanus, Joachimo Camerario. In *epistolae* dedicatoriae fine, *carmen* legitur graecum, a Stephano in THVCYDIDEM, inter equitandum, compositum. *Scripta iam erat epistola*, ait, *quum versuum quorumdam recordatus sum, quos a me nuper inter equitandum lusos in hunc authorem, mittendos ad te, tuumque de illis iudicium expectandum censui. Quod si meam istam equestrem (vt ita loquar) musam alteri meae pedestri praeferendam iudicaueris, superioribus petitionibus*

nibus hanc nouam addam, vt tu, qui & φιλιππότατος & ἱππικώτατος haberis, ad deligendum mihi bucephalum *quempiam ominem illam tuam conferas solertiam, vt ego inuectus equo* μεγάλῳ μεγαλείους μεγαλωστὶ *pangam versus. Interim hos accipe,* ἐπὶ ποτηρίου ἱππαρίου ἀκαλλιθοεμβωδομυοσοτιχυπτατάντους. In *praefatione* multis verbis exposuit, quid in hac editione praestiterit. Textum nimirum THVCYDIDIS graecum, cum codicibus variis, contulit, variantes lectiones in margine adposuit, multaque scholia, a diuersis viris, diuerso, vt videtur, tempore conscripta illi addidit. Laurentii praeterea Vallae *versionem* latinam, ab innumeris mendis, & hallucinationibus purgauit, & textui graeco subiecit. In auxilium nonnunquam vocare constituerat Claudii de Seyssel, Ludouici XII. regis Galliae a Request. Magistri, eiusdemque ad omnes fere christianos Principes Oratoris, laudensis Administratoris, Massiliae Praesulis, Taurinorum Archiepiscopi, *Histoire de* THVCYDIDE, *de la guerre qui fut entre les* Peloponnesiens *&* Atheniens, *traduite du* Grec. *Paris.* 1527. & 1559. in fol. sed illum, plurimis in locis, immane quantum! a THVCYDIDIS verbis abetrasse deprehendit, cuius rei specimen, ex libro IIX. in *praefatione* protulit. *Praefationem* excipiunt Μαρκελλίνου περὶ τοῦ ΘΟΥΚΥΔΙΔΟΥ βίου, καὶ τῆς ἰδέας αὐτοῦ, ἐκ τῆς ὅλης ξυγγραφῆς παρεκβολή; Anonymi *vita* THVCYDIDIS graeca, & ea, quae apud Suidam, Aphthonium, Dionysium halicarnassaeum, Hermogenem, & Demetrium, de THVCYDIDIS vita, scriptis, & stilo graece leguntur. In fine *versionis* latinae, occurrit *index verum variarum, in octo* THVCYDIDIS *libris*, cuius numeri paginas, textus graeci indicant. Repetita fuit editio ab Henrico Stephano anno 1588. Discrimen quod inter editionem vtramque intercedit, expositum fuit in *Merkwürdigkeiten der königl. Bibliothek zu* Dresden Tom. II. p. 26 sqq. Omnium prima & rarissima THVCYDIDIS editio graeca est, quae Venetiis *in domo* Aldi *Anno MDII.* (1502) *men-*

Digitized by Google

se Maio, in fol. excusa fuit, vid. Michaelis Maittaire *Annal. typogr.* Tom. II. p. 156. Joan. Alberti Fabricii *Bibliotheca gr.* L. II. Cap. XXV. p. 875. die *Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dresden l. cit. p. 25. Recentissima, splendidissima, & optima editio, natales suos Belgio debet, & hoc ornata titulo, in lucem exiit: THVCYDIDIS *de Bello* Peloponnesiaco *Libri octo*, *cum Adnotationibus integris* Henrici Stephani, *& Johannis Hudsoni. Recensuit, & notas suas addidit* Josephus Wasse. *Editionem curauit, suasque Animaduersiones adiecit* Carolus Andreas Dukerus. *Cum variis Dissertationibus, MSCtorum Collationibus, & Indicibus nouis locupletissimis.* Amstelaedami *apud* R. *&* J. Wetstenios, *&* Gul. Smith 1731. in fol. form. maior. Tom. II. Recensio vid. in *Actis eruditor.* lipsiens. Anni 1732. p. 1 sqq. Conf. die *Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dresden l. cit. p. 27 sqq. Varias THVCYDIDIS editiones & versiones, recensuit Jo. Alb. Fabricius l. cit.

THVCYDIDES athenienſis, Olori, seu potius, vt a Marcellino rhetore antiquo, THVCYDIDIS biographo adpellatur, Oroli filius, anno secundo Olympiadis LXXVII. natus fuit. Ab Herodoto, cum is historiam, a se compositam, in solemni Graeciae conventu recitaret, ad scribendam similiter historiam excitatus est, magnique ingenii prodidit indicium, cum Herodotum audiens lacrimas funderet, quibus inclarescendi desiderium, praesentibus ciuibus significauit, Anaxagora philosopho, & Antiphonte rhetore, praeceptoribus vsus est. In bellum profectus, ducis munus obtinuit, Amphipolinque vrbem, praesidio tuendam accepit. Illa omissa punitus exilio, atque Athenis excedere coactus est, & in vrbem Aeginam, deinde in Thraciae oppidum Scapteſulam ſ. vt graece adpellatur Σκάπτην ὕλην se contulit, vbi *historiam* conscripsit. Vid. de expeditionibus eius bellicis Joan. Burchardi & Friderici Ottonis Menckeniorum *Patris*

&

Digitized by Google

& Filii Bibliotheca virorum militia aeque ac scriptis illustrium, Lipsi. 1734. in 8. p. 454 sqq. Inde post viginti annos Oenobii Archontis decreto reuocatus, hostium fraude, vt Pausanias testis est, interemtus & Athenis sepultus traditur. Illius *historia* a Xerxis excessu e Graecia, ad annum vsque XXI. belli sic dicti peloponnesiaci deducta, LXX. annorum spatium complectitur, & in octo libros diuisa est, e quibus atticae dictionis elegantia elucet. Et quamquam nonnulla vocabula obsoleta occurrunt, quae ad archaismum proxime accedunt, & obscuram difficilemque reddunt orationem; THVCYDIDIS tamen laudi ea non derogant, qui in scribenda *historia*, omissis fabulis, veritatem consectatus est, & eximiae prudentiae laudem merito obtinuit. De vltimo *historiarum* libro controuersia est; qui stilum a reliquis septem libris diuersum in eo obseruant, a THVCYDIDE illum profectum negant, & vel illius filiae, vel Xenophonti, vel denique Theopompo tribuunt. Sed Plutarchus περὶ ἀδολεσχίας Tom. II. *Operum* edit. H. Stephani p. 911. & Marcellinus in *vita* THVCYDIDIS, eumdem a THVCYDIDE, cum morbo adfectus esset, animoque iam langueret, conscriptum fuisse contendunt. Conf. Jo. Alb. Fabricii *Bibliotb. gr.* l. cit. p. 869. In attico dicendi genere primas tenet partes, & propterea Κατὼν τοῦ Ἀττικισμοῦ adpellatur. Hinc dicendi genus Demosthenes in *orationibus* expressit, atque in *historia* Sallustius imitatus est. Quid? quod Cicerone teste in *Oratore* Cap. VIII. non modo inter Oratores, sed etiam inter Historicos inuenti sunt, qui *thucydidios* se profiterentur. Conf. Joachim. Camerarius *de* THVCYDIDE *eiusque historia*, quae commentatio adiicitur eius *Conuersis ex historia* THVCYDIDIS *in sermonem latinum, Viteb.* 1565. in 8. Georg. Acacii Enenckel *Vita* THVCYDIDIS *ex* Marcellino, Suida, Aphthonio, Plutarcho *&* ipsius *historia breuiter congesta*, quae praemittitur THVCYDIDIS *historiae de bello* peloponnesiaco a G. A. Enenckel in

Digitized by Google

sermonem latinum conuersae *Argentorat.* 1614. in 8. Henr. Dodwel *Annales* thucydidei *quibus praemittitur Adparatus cum vitae* THVCYDIDIS *synopsi chronologica*, in calce THVCYDIDIS, *Amstelod.* 1731. in fol. René Rapin *Comparaison de* THVCYDIDE *& de* Tite Live, in *Oeuvres du* P. René Rapin Tom. I. p. 160 sqq. edit. *de la Haye* 1725. in 12. Anonymi *Lettre touchant* THVCYDIDE, in *Journal litteraire* Tom. IIII. p. 429 sqq.

CLXX.

ΞΕΝΟΦΩΝΤΟΣ ἅπαντα τὰ σωζόμενα βιβλία. XENOPHONTIS omnia quae extant opera. Multorum veterum exemplarium ope (quorum bonam partem bibliotheca viri illustris Huldrici Fuggeri suppeditauit) a multis mendorum sordibus ita purgata, vt longe maiore cum fructu legi multoque facilius quam antea intelligi possint. Epistolorum XENOPHONTIS fragmenta quaedam haec editio praeter alias habet. In XENOPHONTEM Annotationes Henrici Stephani, quibus partim varias lectiones examinare, partim locis aliquot obscuris lucem afferre, partim mendosos quosdam (in quibus veterum codicum auxilio destitutus fuit) suae integritati restituere conatur. Indicem copiosissimum cum latina interpretatione innumeris in locis emendata habebis. *An. M. D. LXI.* (1561). *Excudebat Henricus Stephanus, illustris viri Huldrici Fuggeri typographus.* in fol. pp. 587. 42. & 428. si praemissa & indicem folior. 25. exceperis.

Initium

Digitized by Google

Initium in hac editione, quae in *Catalog. libror. rar.* Samuel. Engel P. I. p. 166. & in Daniel. Salthenii p. 61. *omnium variſſima & praeſtantiſſima* adpellatur, faciunt Henrici Stephani *in* XENOPHONTEM *prolegomena*, in quibus de XENOPHONTIS vita, elogiis, quibus a variis ſcriptoribus ornatus fuit, ſcriptis, ſtilo, & vtilitate differit. Illis ſubiecit Diogenis laertii, & Suidae *vitam* XENOPHONTIS graecam, *Elogium* XENOPHONTIS a Chione graece conſcriptum, & Chriſtodori *poetae* Thebani *epigramma* graecum. In textu XENOPHONTIS graeco excudendo potiſſimum quidem editionem *aldinam* anno 1525. in fol. euulgatam ſequutus eſt, ſed alias etiam editiones, & codices, virorumque doctiſſimorum Adnotationes in auxilium vocauit, & hac ratione effecit, vt XENOPHON, reliquis editionibus emaculatior in lucem prodire potuerit. Qua ratione id, ab illo exequutum fuerit, in *epiſtola, adnotationibus* graeco textui ſubiectis, praemiſſa exponit. In fine textus graeci nonnulla leguntur XENOPHONTIS *fragmenta*, ex Stobaeo, & Clemente alexandrino deſcripta. *Adnotationibus* ſubiunxit *vocabula quaedam* ποιητικώτερα, *quaedam etiam omnino* ποιητικὰ, *partim* XENOPHONTI *peculiaria, partim illi cum aliis antiquis proſae ſcriptoribus* (*ac praeſertim* Herodoto *&* Thucydide) *communia.*

Verſio latina, quae ſecundam editionis partem conſtituit, eiusmodi praefixum habet titulum: XENOPHONTIS *ſapientiſſimi & fortiſſimi viri, quae extant opera. Quorum interpretationem a diuerſis editam* Henricus Stephanus *partim ipſe recognouit, partim per alios recognoſcendam curauit, in iis potiſſimum locis in quibus minus tolerabilis eſſe videbatur. His praefixa eſt eiusdem* Henrici Stephani *oratio, de coniungendis cum* Marte *muſis, exemplo* XENOPHONTIS. *Huius editionis margini appoſiti ſunt numeri, qui* graecam *paginam* latinae *reſpondentem indicant, vt index* (*qui paulo ſuperioribus accuratior extremo operi adiectus eſt*)

ad vtranque editionem lectori vſui eſſe poſſit. Librorum XENOPHONTIS *ſeries. De Paedia* Cyri *Libri VIII.* Franciſco Philelpho *interprete P. I. De Expedit.* Cyri *Min. Libr. VII.* Rom. Amaſaeo *interpr. P. 104. De rebus geſtis* Graecorum *Libr. VII.* Bilib. Pirckhemero *interpr. P. 188.* De Ageſilai *laudibus Lib. I.* Franc. Philelpho *interpr. P. 277. De Rep. & Leg.* Lac. *Lib. I.* Franc. Philelpho *interpr. P. 288. De Rep. & Leg.* Ath. *Lib. I.* Sebaſt. Caſtalione *interpr. P. 295. Apologia pro* Socr. *Lib. I.* Leonardo Aretino *interpr. P. 299. De Fact. & Dict.* Socr. *Mem. Lib. IIII.* Beſſarione *interpr. P. 302. Oeconomicus, Lib. I.* Lodoico Strebaeo *interpr. P. 349. Conuiuium, Lib. I.* Joan. Ribitto *interpr. P. 371.* Hieron, *ſiue Tyrannicus, Lib. I.* Deſid. Eraſmo *interpr. P. 384. De vectigalibus, Lib. I.* Joan. Ribitto *interpr. P. 393. De re equeſtri Lib. I.* Joach. Camerario *interpr. P. 398. De Magiſtri Equitum Off. Lib. I.* Joann. Ribitto *interpr. P. 407. De Venatione Lib. I.* Omnib. Leoniceno *interpr. P. 416. Epiſtolarum Fragmenta* Conrado Geſnero *interpr. P. 427. Annotationes, ad quas ſaepe in huius voluminis marginibus lector remittitur, ſeorſum vna cum aliis quibusdam edere ſtatuimus: interea vero his noſtris laboribus frui eum voluimus.* Antecedit verſiones *epiſtola* Stephani ad Joach. Camerarium, & eiusdem *Oratio de coniungendis cum* Marte *Muſis, exemplo* XENOPHONTIS, cui Chionis *philoſophi*, Matridis *filii*, *epiſtola ad* Matridem, ſeu *elogium* quod ſupra memorauimus, e graeco conuerſum, comes adhaeret. In fine voluminis, praeter *fragmenta* graeca latino ſermone expreſſa, occurrit *index hiſtoriarum, aliarumque rerum memorabilium, quae in hiſce* XENOPHONTIS *libris occurrunt. Annotationes* Henrici Stephani, quae heic deſiderantur, *editioni* acceſſiſſe *ſecundae*, quae anno 1581. ab H. Stephano euulgata fuit in fol. refert Joann. Albert. Fabricius in *Bibliotb. graec.* L. III. Cap. IIII. p. 78. Auctor der *Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dresden Tom. I. p. 478. Primus qui

XENO-

Digitized by Google

XENOPHONTIS *opera* graece edidit, fuit sine dubio Euphrosynus Boninus, qui illa cum *epistola* dedicatoria ad Laurentium Saluiatum Florentiae *ex aedibus* Philippi Juntae *anno 1516.* in fol. in lucem prodire iussit, vid. die *Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dresden l. cit. p. 476 sqq. vbi & aliae *editiones*, & *versiones* describuntur. Optima nostra aetate censetur editio, quam Eduardus Wells, cum versione Joan. Leunclauii latina V. Voluminibus. nitidissime expressis in 8. form. maioris cum republica litteraria communicauit hoc titulo: ΞΕΝΟΦΩΝΤΟΣ τὰ σωζόμενα. XENOPHONTIS *Opera quae extant Omnia; Vita cum Chronologia* Xenophontea Cl. Dodwelli, *Et quatuor Tabulis Geographicis. Oxonii e Theatro Sheldoniano, MDCCIII.* (1703). Volumen I. quod Κύρου Παιδείαν complectitur pp. 564. excepta titulo, epistola dedicatoria ad Henricum Aldrich *Aedis* Christi *in Academia* oxoniensi *Decanum, & Cleri prouinciae* cantuariensis *in inferiori domo synodaliter conuocati Prolocutorem*, & praefatione. In Volumine II. inueniuntur Κύρου Ἀναβάσεως ἱστοριῶν βιβλία ζ'. pp. 468. In III. Vol. pp. 88. & 515. exstant Henr. Dodwelli *Chronologia* xenophontea, & Ἑλληνικῶν ἱστοριῶν βιβλία ζ. In IIII. Vol. pp. 286. & 139. locum inuenerunt Σωκράτους βίος ἐκ τοῦ Σουίδα; ΞΕΝΟΦΩΝΤΟΣ ἀπομνημονευμάτων βιβλία Δ'. τοῦ αὐτοῦ Σωκράτους ἀπολογία; Λόγος Οἰκονομικός, cui *accesserе Fragmenta Oeconomicorum* Ciceronis. Volumen V. pp. 283. & 182. faciunt λόγος εἰς Ἀγησίλαον βασιλέα, Λακεδαιμονίων Πολιτεία. Ἀθηναίων πολιτεία. Συμπόσιον. Ἱέρων ἢ Τυραννικός. Πόροι ἢ περὶ πορισμῶν. Λόγος περὶ Ἱππικῆς. Ἱππαρχικός. Κυνηγετικός. Cui *Accesserunt Testimonia aliquot de* XENOPHONTE *ex Scriptoribus antiquis excerpta* pp. 29. *Imperatorum* perficorum *ad* XENOPHONTIS *Historiam spectantium series chronologica, iuxta calculum* Cl. Dodwelli pp. 3. *Index Rerum & Verborum in scriptis* xenophonteis *praecipue memorabilium* pp. 45. Cuilibet praeterea volumini, *variae lectiones*, & *adnotatiun-*

Digitized by Google

tiunculae quaedam adiiciuntur. Conf. de editione nitidiſſima, quae in noſtris regionibus rareſcere iam coepit Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. gr.* l. cit. p. 79. die *Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dresden l. cit. p. 481. *Acta eruditor.* lipſienſ. anni 1705. p. 310 ſqq.

Thucydidem lepore attico & orationis leuitate ſuperare videtur XENOPHON, Grylli filius, philoſophus, hiſtoricus, &, dux militum clariſſimus, qui, Athenis, e tribu aegeide, Olympiade LXXXII. natus, quinto ante Chriſtum ſeculo floruit, & rebus praeclare geſtis, ſcriptisque libris vtiliſſimis, qui illum diffuſa admodum, variaque diuerſarum rerum ſcientia, inſtructum fuiſſe teſtantur, inſignem nominis famam adeptus eſt. In Socratis diſciplinam admiſſus, eximios in philoſophia progreſſus fecit, & filii propemodum loco, a Socrate habitus eſt. Ex vmbra in lucem prodiit, & Cyro iuniori ſe iunxit, comitem, cui, in bello aduerſus fratrem Artaxerxen adfuit, conf. Jo. Busch. & Frideric. Ottonis Menckeniorum *Bibliotheca viror. militia aeque ac ſcriptis illuſtrium* p. 471 ſqq. Ageſilaum lacedaemoniorum Regem, doctrinae praeceptis imbuit, & amore eum ſibi penitus deuinxit. Ab Athenienſibus autem in exilium miſſus, dum in Scillanthio, dum in Lepraeo, & denique Corinthi ſenectutem exegit, nactusque otium, *hiſtorias* compoſuit, ad quas ſcribendas Iſocrates eum idoneum iudicauerat. Tandem anno aetatis XC. vt Lucianus in Μακροβίοις Tom. III. *Operum* p. 229. auctor eſt, fatis conceſſit. Propter inadfectatum orationis nitorem, qui cum eximia quadam iucunditate coniunctus eſt, ab aliis vt Diogenes Laertius in *vita* eius L. II. Segm. 57. p. 114. edit. Marc. Meibomii, teſtatur, ἀττικὴ Μοῦσα, ab aliis, vt Suidas Tom. II. p. 645. edit. Ludolph. Küſteri refert, μέλιττα Ἀττική nominatus eſt. Nec defuerunt, qui, cum Cicerone in Bruto Cap. XVIIII. & Quintiliano in *Inſtitut. orator.* L. X. Cap. I. p.

Digitized by Google

I. p. 886. edit. Petr. Burmanni, *illius ore Musas loquutas* fuisse, dicerent. Vnus, teste Photio, Cod. CCLXXVIIII. col. 1590. edit. *rothomagens.* 1653. Helladius inuentus est, qui XENOPHONTEM Ἀττικισμοῦ νομοθέτην haberi posse, distertis verbis negauit. Vid. de XENOPHONTE praeter scriptores, quos iam nominauimus *Narratio de vita* XENOPHONTIS, *ex diuersis scriptoribus collecta*, quae *Operum* XENOPHONTIS editioni, cum Joannis Leunclauii *interpretatione, Basileae per Thom. Guarinum* 1569. in fol. editae, praemittitur. Thom. Hutchinson *Dissertatio I. in qua de Vita* XENOPHONTIS, *de scriptis eius* &c. *agitur*, quae legitur initio *librum IIX. de* Cyri *institutione*, ab illo *Oxonii e theatro sheldoniano* 1727. in 4. graece & latine euulgatorum. Jo. Henr. Wackeri *Leben des* XENOPHONS, *nebst einer ausführlichen Nachricht von dem Inhalte seiner Schriften*, quam XENOPHONTIS libello *de republica* Athenienſium in sermonem teutonicum conuerso, & *Dresdae & Lipſ.* 1744. in 8. in lucem emisso praefixit.

CLXXI.

XENOFONTE della vita di Ciro Re de' Persi. Tradotto per *Messer* LODOVICO DOMENICHI. *Con Priuilegio. In Vinegia appresso Gabriel Giolito de' Ferrari M. D. LVIII.* (1558). in 8. folior. 159.

I sette libri di XENOPHONTE della Impresa di Ciro minore. Tradotti per *Messer* LODOVICO DOMENICHI. Con la Tavola delle cose che è' piu necessarie. *Con Privilegio. In Vinegia appresso Gabriel Giolito de' Ferrari M. D. LVIII.* (1558). in 8. folior. 154. excepto indice folior. 6.

L'Opere

Digitized by Google

L'Opere morali di XENOPHONTE. Tradotte per *Messer* LODOVICO DOMENICHI. *Con Privilegio. ibid. per eumd. eod.* folior. 163. si index folior. 4. non numerat. fuerit.

I fatti de i Greci di XÉNOPHONTE. Tradotto per *Messer* LODOVICO DOMENICHI. *Con Privilegio. In Vinegia appresso Gabriel Giolito de' Ferrari M. D. LVIII.* 1558. in 8. folior. 163.

LVDOVICVS DOMINICVS, siue DOMENICHI, placentinus, Iureconsultus, philologus, & poeta, vrbem maxime florentinam scriptis suis, & in primis veterum auctorum versionibus hetruscis, medio seculi XVI. tempore illustrauit. *Operum* XENOPHONTIS *versiones*, quarum exhibemus titulos, in Italorum sic dicta *Collana istorica de' Scrittori* Greci, *annulum* constituunt *quartum*, & in librorum rariorum censum veniunt. vid. Nicol. Franc. Haym *Notizia de' libri rari, nella lingua* italiana p. 3.

Prima pars inscripta est nomine Lucae Antonii Cuppani de Monte Falcone, Ducis florentini exercituum ducis. Scripta est *epistola* dedicatoria die IIX. Julii an. 1548. id quod librum iam antea editum esse docet, nisi forte haec nostra editio, nouo tantum titulo instructa fuerit. In fine enim illius, sub Typographi insignibus, haec leguntur verba: *In* Vinegia *appresso* Gabriel Giolito de' Ferrari *M. D. XLIX.* (1549). Praeter *indicem* rerum memorabilium, versionis auctor primae parti addidit *Vitam* XENOPHONTIS, ex latino Raphaelis volaterrani, in hetruscam linguam translatam.

Partem secundam iam anno 1547. ab auctore in lucem emissam esse, praeter Nicol. Fr. Haym l. cit. *epistolae* dedicatoriae *allo illustre & valoroso Signor Conte* Collaltino *di* Collalto, subscriptio Florentiae d. VIIII. Octobr.

Digitized by Google

Octobr. 1547. facta, testis esse videtur. Accessit & huic parti *Tavola delle cose piu notabili.*

Tertiam partem primum ab Auctore eodem anno 1547. esse euulgatam, intelligimus ex *epistola* dedicatoria ad Ducem florentinum Cosmum de Medicis, exaratam d. XXV. Jun. 1547. Complectitur haec pars *versionem* librorum XENOPHONTIS *de republica, & legibus* Lacedaemoniorum; *orationis in laudem* Lacedaemoniorum *regis* Agesilai; *de dictis & factis* Socratis *memorabilibus; Apologiae* Socratis; Hieronis *s. Tyranuici; Symposii*, quibus *tabulam rerum memorabilium* subiecit.

Partem quartam anno 1548. compositam, *epistola* instruxit versionis auctor ad Alamannum Saluiati, quae die V. April. scripta est. Illi, sicuti reliquis, finis *indice rerum* imponitur.

Reliqua XENOPHONTIS *opuscula*, a LVDOVICO DOMINICO, quod nos quidem sciamus, non conuersa fuerunt. Laudat illius versiones Girolamo Ghilini, in *Teatro d'huomini letterati* Tom. I. p. 149. illasque multa diligentia & sollertia confectas esse pronunciat. *On loue dans toutes ses traductions la beauté du Stile de* DOMENICHI, ait Adr. Baillet in *Jugemens des Savans* Tom. II. P. III. p. 568. cui effato addidit Bernardus de la Monnoye: *on doit présumer que le* DOMENICHI *ne se sera pas réglé, sur un si méchant modele* (qualem Poggii Bracciolini, florentini versionem latinam *Cyropaediae* esse dixerat, quam Jacobus Poggius Bracciolinus, florentinus, hetrusca lingua expressit, & edidit in *Firenze per i Giunti* 1521. in 8. & *in Venezia* 1524. in 8. Miramur, id quod ὡς ἐν παρέδῳ hic addere licebit, quod doctissimus Italorum Marchio Scipio Maffei in *Traduttori* italiani *o sia Notizia de volgarizzamenti d'Antichi Scrittori* latini *e* greci *che sono in luce* p. 76. versionem Jacobi Poggii, a versione Jacobi Bracciolini crediderit diuersam,

Digitized by Google

sam, quandoquidem Jacobus Poggius & Jacobus Bracciolinus vnus idemque homo est; *& qu'en ayant un meilleur à suivre, j'entens la traduction de* Philelphe *il l' aura préférablement suivie. Le* DOMENICHI *mourut l'an 1574. Il ne savoit pas de* Grec. Praeter LVDOVICVM DOMINICVM, & Jacobum Poggium, *operibus* quibusdam XENOPHONTIS, in sermonem hetruscum conuertendis operam dederunt Euangelista Hortensius & Franciscus di Soldo Strozzi. Ille dedit librum *del modo di cavalcare* an. 1580. in 8. vid. Maffei l. cit. hic autem euulgauit *Le guerre de'* Greci *scritte da* SENOFONTE *nelle quali si continua l'Istoria di* Tucidide, *tradotto dal* Greco *nell'* Italiano. *In Venezia* 1550. in 4. vid Nicol. Franc. Haym l. cit. Omnium autem optimus XENOPHONTIS existimatur interpres, Marcus Antonius Gandini, quem in *lexico eruditorum* frustra quaesieris. Hic edidit *L'Opere di* SENOFONTE *tradotte dal* Greco, *con alcune Annotazioni necessarie per l'intelligenza di tutta l'Opera. In Venezia presso Pietro Dusinelli* 1588. in 4. vid. Nicol. Franc. Haym l. cit. vbi ait: *E'una traduzione bellissima, di tutto quanto ha scritto* SENOFONTE *ed è molto stimata da i Dotti. Tutto il libro contiene pagini 750.* Illam praeterea admodum esse raram, addito asteriſco indicauit. Cum versiones hetruscae Scriptorum graecorum, quae sic dictam *catenam* graecam constituunt, *Veronae* recuderentur, haec etiam Gandini versio anno 1735. in 4. repetita fuit. Vid. *Nova litteraria* lipsiens. an. 1735. p. 478.

CLXXII.

Digitized by Google

CLXXII.

DIODORVS *Siculus. Denis Rosæ &c. venundantur in vico Sanctæ Jacobi sub signo diui Martini* in 4.

Non ipsi conspeximus hanc editionem, sed Anonymus quidam casellensis, in librorum historia versatissimus, illam nobis per litteras, amice scriptas, cognitam reddidit, simulque adnotauit, illam circa initium seculi XVI. exscriptam *Parisiis* esse, quamuis nullum temporis indicium illi additum fuerit. Facile id amico nostro largimur, cum ex Mich. Maittaire *Annal. typographicor.* Tom. II. patet, quod Dionysius Rose, nonsolum cum Badio ascensio societatem inierit, sed etiam Henrico Stephano se adiunxerit in arte typographica socium, vid. p. 74. & 87. Refert autem illa editio, POGGII BRACCIOLINI *versionem* latinam *librorum sex*, vel potius *quinque priorum*, quos POGGIVS ob causſam, nescimus quam, & haud satis adcurate, in *sex libros* distinxit. Praemittitur ei POGGII Florentini *ad* Nicolaum V. *Pontif. Max. epistola* dedicatoria. POGGIVM autem patroni sui gratiam adsentatiunculis quibusdam esse aucuparum, nemo facile dixerit, qui illum in Nicolai V. Antecessores inuectum esse conspexerit, & in hac *epistola* haecce legerit verba: *quamquam vite mee institutio ea semper fuerit: vt pluris virtutem quam pecuniam fecerim; tamen nimium aliquando (si verum loqui licet) nostri pontifices in erigendis ornandisque doctorum virorum ingeniis dormitarunt. Quidam bonarum artium inscitia; quidam ita pecuniae addicti: vt plus apud eos ambitionis & quaestus quam virtutis aut litterarum ratio valeret.* Huius *versionis* editio sine dubio omnium prima est, quae Venetiis *anno 1470. per* Andream Jacobi Katharensem, Andrea Vendramino *Duce fortunatissimo, prid. Kal. Februar.* in fol. excusa dicitur a Michaele Maittaire in *Annal. typogr.* Tom. I. p. 361. a

Digitized by Google

Nicerono in *Memoires* Tom. VIIII. p. 159. a Joan. Alb. Fabricio in *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. XV. p. 901. ab Auctore der *Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dresden Tom. II. p. 403. Cum Vincentius Obſopaeus in praefatione *librorum* DIODORI ſiculi, qui hodie exſtant *poſteriorum*, ab alio potiſſimum quam POGGIO *verſionem* concinnatam eſſe exiſtimaret, & ſcriberet: *neque enim veriſimile eſt adeo ſpurciloquum & virulentum Sycophantam & vitiligatorem quicquam* Graecitatis *calluiſſe, qui ne* latinam *quidem linguam, cuius ſibi videbatur peritiſſimus, recte calluit:* & recentioribus temporibus Codex reperiretur in Anglia mſ. qui *epiſtolam* dedicatoriam, ipſis illis verbis, quae exemplaria ſub POGGII nomine vulgata referunt, eo tamen diſcrimine conceptam ob oculos poneret, vt initio haec verba legantur: *Epiſtola ad D. Papam* Paullum *de ſex libris* DIODORI Siculi *fabulando more gentilium: tum* &c. nonnulli viri docti & in primis Brianus Twynus in *Antiquitat. Academ.* oxonienſ. L. III. p. 371. & Guilielmus Burtonus in *Hiſtoria* graecae *linguae* ap. Henr. Aug. Groſchuffium in *nova libror. rar. Collectione* Faſcic. IIII. p. 698. in eam adducti fuerunt ſententiam, vt POGGIVM plagiariorum more, alterius ſibi tribuiſſe laborem exiſtimarent. Illius autem *verſionis* verum fuiſſe contendunt auctorem Joannem Phream, Anglum, balliolenſis Collegii Socium, cum codici anglico, recentiore manu verba addita eſſent, Paullus *propter translationem ſibi dedicatam*, Phream *epiſcopatu* Badoniae *donauerat, quem cum accepiſſet, ſuperuixit menſem vnum, & abiit* Romae, *nondum conſecratus.* Idem fere teſtatur, qui eumdem codicem viderat, Joannes Lelandus in *Commentar. de Scriptorib.* britannic. P. II. Cap. DLXXVI. p. 467. vbi de Joanne Phrea prodidit: *Scripſit epiſtolas elegantiſſimas & Carmina. Legi eius verſus perfluenteis, in quibus* Bacchus *expoſtulat cum capro, vitem arrodente, dedicatos vero* Joanni Tipetoto, *Mecaenati ſuo; cui & conſecrauit libel-*

Digitized by Google

libellum Synesii *de laude Caluitii interpretatum, vt quidam affirmant, maiori* latine *cum gratia, quam* graece *a* Synesio *scriptum. Transtulit in* Latinum DIODORI Siculi *Bibliothecam* graecam: *quod opus* Itali POGGIO *vaniſſime attribuunt* florentino. *Vidi ego exemplar, quod & archetypum fuiſſe certe puto, in cuius primi foliі margine haec recentiori manu ſcripta reperi:* Paullus Romanus Pontifex, propter translationem ſibi dedicatam Fream, epiſcopatu &c. —*Hactenus ex libelli margine. Sunt, qui putent competitorem aliquem praeſenti veneno, clam dato*, Phream *e medio ſuſtuliſſe.* Conf. Anton. a Wood *Hiſtoria vniuerſitat.* oxonienſ. L. II. p. 76. P. Baile *Dictionaire hiſtorique & critique* Tom. III. p. 2286. Gerard. Jo. Voſſii *de Hiſtoric. latin.* L. III. Cap. VIIII. p. 571. Joan. Albert. Fabricii *Bibliothec. graec.* L. III. Cap. XXXI. p. 773. Eiusd. *Bibliothec. med. & infim. Latinit.* L. VIIII. p. 333. & L. XV. p. 901 ſqq. Niceron *Memoires* l. cit. PROPOGGIO tamen haec facere videntur: 1) iam aliis auctorum graecorum v. c. Xenophontis *Cyropaediae, dialogi* lucianei *de aſino aureo*, verſionibus latinis inclaruerat. 2) Scriptores POGGIO coaeui v. c. Jacobus Philippus Foreſtus bergomenſis, Raphael Maffeus volaterranus, Hugolinus Verinus, Paullus Jouius &c. vno quaſi conſenſu *verſionem* ei tribuerunt. 3) extra omnem dubitationem poſitum eſt, DIODORVM latino ſermone verti coeptum eſſe, ſub Nicolao V. Pontifice, cuius rei teſtis eſt luculentus Mangetus, in *vita* Nicolai V. quam ediderunt *Socii palatini* mediolanenſes in *Corpore Scriptor. rer.* italicar. Tom. III. P. II. p. 927. 4) Codex in Bibliotheca medicea inuenitur, cui *dedicatio* ad Nicolaum V. praemiſſa eſt, & tandem 5) ipſa *dedicatio*, Nicolai V. in litteras virosque litteratos omnes propenſiſſimi, ita exprimit, deſcribitque indolem, vt fruſtra alium, cui magis conueniat, quaeras. Quae cum ita ſint, Antonii a Wood omnino nobis perplacet ſententia, qui verbis, ab Anonymo recen-

Digitized by Google

tiore, codici anglico adscriptis, quibus versio Joanni Phreae vindicatur, parum tribuere videtur. Plura, quae Joan. Baptist. Recanati, atque alii viri Itali doctissimi, pro defendendo POGGIO, protulerunt argumenta, vid. in POGGII *vita*, ipsius *historiae* florentinae *Venetiis* 1715. in 4. form. mai. editae praemissa, & in Ludou. Antonii Muratorii *Scriptor. rer.* italic. Tom. XX. Cap. XI. col. 175. in *Giornale de letterati d'*Italia Tom. VIIII. p. 174 sqq. & 454 sqq. Conf. Alb. Henr. de Sallengre *Memoires sur les Ouvrages du* POGGE, in *Memoires de litterature* Tom. I. p. 48.

Scriptores, qui res ad POGGIVM pertinentes, exposuerunt, adduximus Tom. I. *Adparat. litter.* p. 687 sqq.

CLXXIII.

ΔΙΟΔΩΡΟΥ τοῦ Σικελιώτου Βιβλιοθήκης ἱστορικῆς βίβλοι πεντεκαίδεκα ἐκ τῶν τεσσαράκοντα. DIODORI *Siculi* Bibliothecae historicae libri quindecim de quadraginta. Decem ex his quindecim nunquam prius fuerunt editi. *Anno M. D. LIX* (1559). *Excudebat Henricus Stephanus illustris viri Huldrici Fuggeri typographus.* in fol. pp. 847. exceptis fol. 6. priōribus.

Inter historicos graecos, quos Henricus Stephanus, patre Roberto mortuo, ex sua officina, in lucem prodire iussit, omnium primus fuit DIODORVS siculus, quare euenit, vt characterum, vsu nondum detritorum, nitore conspicuus, reliquis editionibus auctorum graecorum stephanianis, is facile praeripiat palmam. Primus etiam fuit Henricus Stephanus, qui libros quin-

Digitized by Google

quinque priores, & XI. ad XV. ex codice claromontano, cum viris doctis communicauit. Libri enim XVII. ad XX. iam, ante illum, a Vincentio Obsopaeo, *Basileae* 1539. in 4. editi fuerant. Inscripsit librum patroni sui Huldrici Fuggeri nomine, & *epistolae* nuncupatoriae, breuem *Tractatum de* DIODORO, *& scriptis eius* subiecit, in quo, inter alia, DIODORVM aduersus Ludouicum Viuem defendit, qui illum, propter fabulosas, quas prioribus libris adtulit antiquitates, nugari pronunciauerat, & Plinium vituperauerat, quod primum esse DIODORVM, apud Graecos, scripserit, qui nugari desiisset. Addidit Henricus, praeterea Stephanus, editioni suae *fragmenta* quaedam, *ex libris* DIODORI *perditis*, cum *versione* a se confecta, illisque *supplementum Libri XVII.* ex Arriano & Curtio desumtum subnexuit. Paucae *adnotationes* Henrici Stephani in fine conspicuae, non adeo magni sunt momenti, quod ipse Stephanus non diffiteri videtur, cum lectores precatur, vt illas *tanquam extemporales, non tanquam per otium scriptas* legant. Conf. de hac editione Joan. Alb. Fabricii *Biblioth. graec.* L. III. Cap. XXXI. p. 773 sqq. die *Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dresden Tom. II. p. 401. Petri Wesseling. *praefatio* ad nouam editionem, de qua mox nonnulla dicemus. Cum Henrici Stephani editio, omni versione destituitur, & Poggii Bracciolini, Marci Hopperi, Aeneae Syluii, Angeli, siue vt ab aliis vocatur Bartholomaei Cospi, & Sebastiani Castellionis, quas de singulis DIODORI libris, singuli dederunt versiones, ita comparatae essent, vt multis in locis, si ad textum graecum collatae fuerint, earum viri critici desiderauerint fidem, ipse ille Henricus Stephanus, Laurentio Rhodomanno auctor suasorque exstitit, vt nominis famam, quam verso in latinum sermonem Memnone & Agatarchide, sibi iam parauerat, nouo, eoque luculento augeret specimine, & DIODORVM latina ciuitate donaret. Factum id est a Rhodomanno anno 1604. quo DIODORVM

Digitized by Google

graecum, ad Stephani editionem excusum, suaque *versione* ornatum, hoc titulo in lucem edidit: ΔΙΟΔΩΡΟΥ τοῦ Σικελιώτου Βιβλιοθήκης ἱστορικῆς βιβλία πεντεκαίδεκα, ἐκ τῶν τεσσαράκοντα. DIOD. Siculi *Bibliotheces historicae Libri XV. de XL. Quorum V. priores* Aegypti, Asiae, Africae, Graeciae, *Insularum & Europae antiquitates continent: Reliqui X. res a* Persis, Graecis, Macedonibus, *& caeteris orbis terrarum populis, ab expeditione inde* Xerxis, *in* Graeciam *usque ad successorum* Alexandri Magni *in* Phrygia *praelium, & Antigoni caedem, gestas exponunt. His accesserunt Eclogae seu Fragmenta, ex libris quibusdam Auctoris, qui desiderantur. Omnia cum interpretatione* Latina; *summis rerum capitibus in margine, ac temporum annotatione illustrata. Cui adiecta Chronologia duplex: Archontum* Atticorum, *& Magistratuum* Rom. *ad Mundi, Olympiadum & Vrbis C. annos, succincta rerum quolibet anno gestarum indicatione, supputatorum. Index praeterea tergeminus; & Phraseologia ex quinque libris mythologicis; ac Notae tandem in Contextum* graecum. *Studio & labore* Laurentii Rhodomanni Cherusci. Hanouiae *typis* Wechelianis *apud* Claudium Marnium *& haeredes* Joannis Aubrii *M. DC. IIII. Cum Priuilegio S. Caes. Maiest. ad decennium.* p. 361. & 1013. exceptis praemissis & indicibus pp. 107. vid. de illa editione Joan. Alb. Fabricii *Biblioth. graec.* l. cit. p. 774 sqq. die *Merkwürdigkeiten der königl. Bibliothek zu* Dresden l. cit. p. 402. Carol. Henric. Langii *vita* Laurentii Rhodomanni Cap. III. §. XXXIIII. p. 371 sqq. Cum autem praestans haec editio, a multis iam annis, inter libros rarissimos, cuius rei testem habemus Jo. Vogtium in *Catalog. libr. rarior.* p. 237. & *Catalogum Biblioth.* Daniel. Salthenii p. 62. sibi vindicaret locum, & ob enorme pretium, quo plerumque vendi solebat, pauci inter viros doctos, in suis eam adseruarent bibliothecis, nonnulli viri docti, inter quos Josephus Wasse, Franc. Dionysius Camusatus, Terrasonus, eminent, spem nouae editio-

Digitized by Google

editionis fecerant. Quia vero laudabilibus eorum conatibus, vel mors, vel alius casus interueniebat, huic tandem negotio se adcinxit Petrus Wesselingius, & nouam DIODORI editionem, diu multumque efflagitatam, II. Tomis in fol. form. mai. hoc titulo euulgauit: ΔΙΟΔΩΡΟΥ τοῦ Σικελιώτου Βιβλιοθήκης ἱστορικῆς τὰ σωζόμενα. DIODORI Siculi *Bibliothecae historicae libri qui supersunt, Interprete* Laurentio Rhodomano *ad fidem MSS. recensuit* Petrus Wesselingius, *atque* Henr. Stephani, Laurent. Rhodomani, Fuluii Vrsini, Henr. Valesii, Jacobi Palmerii, *& suas Adnotationes, cum indicibus locupletissimis, adiecit.* Amstelodami *Sumptibus* Jacobi Wetstenii *M. D. CCXLVI.* (1746.) Tom. I. pp. 731. exceptis praemissis & Addendis pp. 49. Tom. II. pp. 666. exceptis 4. paginis prioribus, & indicibus pp. 112. Omnia retinuit vir doctissimus, quae H. Stephanus, & Laurentius Rhodomannus ex DIODORI reliquiis, cum publico communicauerant, quibus *excerpta* ab Hadriano Valesio, & Fuluio Vrsino in lucem prolata, nec non *Fragmenta*, quae passim conquiri poterant, adiunxit. Textum DIODORI graecum ad codicum fidem recensuit, & quae DIODORO, ex veterum schedarum iudicio esse non putauit, e textu eliminauit, illisque locum inter *variantes lectiones* dedit, & cauſſam, cur alia omnino maluerit, diligenter expoſuit. *Verſionem* Rhodomanni latinam, non omiſit, illam tamen variis in locis, vbi is DIODORI verba non ſatis adſequutus videbatur, mutauit, neque virorum doctiſſimorum *adnotationes* neglexit, illisque ineditas Joſephi Scaligeri, Is. Voſſii, Cl. Salmaſii, & Fuluii Vrſini *Coniecturas* addidit, nihilque praetermiſit, quod ſpei, quam viri docti, de illo conceperant, reſpondere poterat.

DIODORVS hiſtoriarum Scriptor, ex Argyrio Siciliae oppido, originem genusque duxit, & cognomine *ſiculus* dictus eſt. Incidit illius aetas, in Julii Caeſaris & Auguſti tempora, quibus regnantibus floruit

ingenio, & ad annum vsque XXXVI. post Caesaris mortem, vixit, quo fasti Romanorum, culpa Pontificum deprauati, Augusti imperatoris iussu restituti, emendatique fuerunt. In adornanda *historia*, quam *bibliothecam* vocat, singulari fide versatus est, atque adhibitis veterum Scriptorum monumentis, collectisque in itinere subsidiis, integros triginta annos, perficiendo poliendoque operi impendit. Laudantur propter ea DIODORI scripta, a Plinio in *praefat. Histor. natural.* ab Athenaeo in *Libris Dipnosophist.* passim, & ab Eusebio Libr. I. *Praeparat. euangel.* p. 18. edit. *colonienf.* 1688. in fol. aliisque recentioribus, qui illorum fidem magni faciunt, & in commemorandis rebus sequi haud dubitant. Diuersarum gentium historiam, ab vltima inde aetate repetiit, & ad Olympiadem vsque CLXXX. deductam, XL. libris complexus est. Sed ex omnibus, non nisi XV. libri, quinque scilicet priores, cum iis, qui sequuntur, ad vicesimum vsque supersunt.

CLXXIII.

ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ τοῦ Ἁλικαρνασσέως Ρωμαϊκῆς Ἀρχαιολογίας Βιβλία δέκα. DIONYSII *Halicarnassei* antiquitatum romanarum Libri X. Ex Bibliotheca regia Βασιλεῖ τ' ἀγαθῷ κραταιῷ τ' ἀνυχμητῇ *Lutetiae. Ex Officina Rob. Stephani, Typographi regii, typis regiis M. D. XLVI.* (1546). *Ex priuilegio Regis.* in fol. pp. 539.

DIONYSIVS Alexandri filius, a patria, Cariae vrbe, *halicarnassensis* dictus, historicus, rhetor, & criticus suae aetatis grauissimus, Augusti Imperatoris tempora, viuendo adtigit. Nam finitis ciuilibus bellis, relicta Halicarnasso, in Italiam commigrauit & XLII. annis integris Romae versatus est, vt latinae linguae facul-

facultatem sibi pararet, & scriptorum veterum monumenta, quae ad historiam diligenter adcurateque scribendam, necessaria esse videbantur, conquireret. In argumento historico, bona fide, maxima industria, singularique iudicio versatus est & attico sermonis genere, historiam romanam ἀρχαιολογίας ῥωμαικῆς nomine insignitam ab V. C. ad annum vsque Olympiadis CXXIIX. tertium, *XX. libris* conscripsit. Ex illis autem *undecim* tantummodo hodie supersunt, quos omnium primus graece euulgauit Robertus Stephanus, adeo quidem nitide, siue typorum characteres vere regios, siue chartam latissimam purissimamque spectaueris, vt nihil pulcrius, nihilque splendidius in eo genere effingi queat. Sine omni praefatione bibliothecarum cimelion rarissimum in lucem exiit, & in fine haec pauca tantummodo verba adscripta refert: *Excudebat* Robertus Stephanus *Typographus Regius* Lutetiae Parisiorum *An. M. D. XLVII. Cal. April.* Conf. Joan. Alb. Fabricii *Bibliothec. graec.* L. III. Cap. XXXI. p. 781. die *Merkwürdigk. der königl. Biblioth. zu* Dresden Tom. II. p. 151. Primus qui DIONYSII libros superstites Paulli II. Pontificis iussu latino sermone expressit, fuit Lapus Biragus Castilionaeus, homo florentinus, quod opus Paullo II. nuncupatum, impressum prima vice Taruisii *per* Bernardinum Celerium de Luere *Anno Chr. nat. M. CCCC. LXXX.* (1480.) *Bissexto Kl. Martias*, Joanne Mocenigo Venetorum *Duce inclyto*, in fol. in lucem exiit, & postea aliquoties repetitum fuit. Cum autem haec versio, de qua eminentissimi Principis A. M. QVIRINI *Adpendix ad* Michael. Canensii *Vitam* Paulli II. euolui poterit §. XXIIII. p. 273 sqq. minime virorum doctorum suffragio comprobaretur, & Lapus Biragus, vt Gerard. Joan. Vossius *de Historic. latinis* L. III. Cap. X. p. 737. Petrus Daniel Huetius *de claris interpretib.* L. II. p. 164. Adrian. Baillet in *Jugemens des Savans* Tom. II. P. III. p. 290. aliique adfirmant auctorem suum, non satis feliciter, imo

Digitized by Google

saepe parum latine expressérit, aliam & meliorem dederunt Sigismundus Gelenius & Aemylius Portus. Illam addidit innumerabilibus in locis castigatam Fridericus Sylburgius suae editioni, quae hoc prodiit titulo: ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ Ἁλικαρνασσέως τὰ ἐυρισκόμενα, ἰσοεικά τε καὶ ἐητόρικα, συγγράμματα. DIONYSII Halicarnassei *Scripta quae exstant omnia, & historica & rhetorica. E veterum librorum auctoritate, doctorumque hominum animadversionibus, quamplurimis in locis emendata & interpolata; cum* latina *versione ad* Graeci *exemplaris fidem denuo sic collata & conformata ut plerisque in locis sit plane nova. Addita fragmenta quaedam, cum* Glareani *chronologia, & duplici appendice. Additae etiam notae, quibus de vtriusque textus vel emendatione vel explanatione agitur. Adiecti praeterea duo locupletissimi rerum & verborum indices; alter,* Graecus; *alter* Latinus. *Opera & studio* Friderici Sylburgii, veterensis. Francofurdi *Apud heredes* Andreae Wecheli, *MDLXXXVI.* (1586). *Cum S. Caes. Maiestatis privilegio ad sexennium*, in fol. pp. 280. 94. 792. & 169. exceptis praemiss. foliis. 14. Repetita fuit haec editio, *Lipsi.* 1691. in fol. Aemylii vero Porti versione vsus est, in editione recentissima splendidissimaque Joannes Hudson Bibliothecae bodleianae praefectus. Praefixit suae editioni talem titulum: ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ τοῦ Ἁλικαρνασσέως τὰ σωζόμενα, DIONYSII Halicarnassei *Opera omnia* graece *&* latine *scil. cum versione latina* Aemilii Porti *emendata, Notis observationibusque variorum & variis lectionibus Codicum* vaticanorum; *Accedunt Excerpta de legationibus*, graece, *cum versione*, Henr. Stephani, *& variorum Notis;* Peirescíana, *cum* Henr. Valesii *interpretatione, & Observationibus* Henr. Dodwelli, *Dissertatio de aetate* DIONYSII, *ac tabulae chronologicae* Dionysianae. *Opera & studio* Jo. Hudsoni. Oxoniae *e Theatro* Sheldoniano 1704. II. Tom. in fol. Recensio vid. in *Actis eruditor.* lipsi. anni 1704. p. 529 sqq. De vtraque editione *sylburgiana*, &

& *budſoniana*, vid. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. graec.* l. cit. Canonem chronologicum DIONYSII halicarnaſſei (*Chronologie de* DENYS *d'*Halicarnaſſe) compoſuit Mr. Boivin *l'Aîné*, qui legitur in *Memoires de litterature tirez des Regitres de l'Academie Royale des Inſcriptions & belles lettres* Tom. IIII. p. 17 ſqq. edit. *Amſterd. aux depens de la Compagnie* 1719. in 12.

CLXXV.

ΔΙΟΝΤΣΙΟΥ τοῦ Ἁλικαρνασσέως περὶ συνθέσεως Ὀνομάτων πρὸς Ρουφον. Τοῦ αὐτοῦ τῆς ῥητορικῆς τέχνης κεφάλαιά τινα, πρὸς ἐγκρότητην. Τοῦ αὐτοῦ περὶτῶν Θουκυδίδου ἰδιωμάτων, πρὸς Αμμαῖον. DIONYSII *Halicarnaſſei* de compoſitione, ſeu orationis partium apta inter ſe collocatione, ad Rufum. Item quo genere dicendi ſit vſus Thucydides ad Ammaeum. Βασιλεῖ τ' ἀγαθῷ κρατερῷ τ' αἰχμητῇ. *Lutetiae, Ex officina Rob. Stephani, Typographi Regii, typis Regiis M. D. XLVII.* (1547). *Ex priuilegio regis* in fol. pp. 128. exceptis 3. pp. poſterioribus.

Haec collectiuncula, libris DIONYSII hiſtoricis, a Roberto Stephano editis, in omnibus ſimilis eſt. Illi, Robertus Stephanus, eiusmodi coronidem adpoſuit: *Excudebat* Robertus Stephanus *Typographus regius.* Lutetiae Pariſiorum, *An. M. D. XLVII. Cal. April.*

Primus in collectione eſt περὶ συνθέσεως ὀνομάτων libellus ad Rufum Melitium, ſiue Minucium conſcriptus. Primus, qui illum graece euulgauerat, fuit Aldus Manucius, qui Collectioni *veterum Rhetorum graecorum*, *Venet.* 1508. in fol. editae illum inſeruit.

Alias

Alias editiones recenſet Jo. Alb. Fabricius l. cit. quem tamen fugere videtur, quod & ab Roberto Stephano editio fuerit curata. Poſt Samuel. Birkouium & Andr. Schottum, in illo, e ſermone graeco, in latinum conuertendo ſuam poſuit operam Jacobus Vpton etonenſis, A. M. cuius editio hoc ornata titulo: ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ Ἁλικαρνασσέως περὶ συνθέσεως ὀνομάτων. DIONYSII Halicarnaſſei *de Structura Orationis liber: Ex recenſione* Jacobi Vpton Etonenſis, A. M. *Qui & veterem interpretationem emendauit, ſuasque adiecit animaduerſiones, cum notis integris* Friderici Sylburgii veterenſis: *ſelectisque aliorum. His acceſſerunt* Simonis Bircouii Poloni *exempla* latina: *Cum duobus indicibus locupletiſſimis, &* Graeco *&* Latino Londini, *Impenſis* Sam. Smith. Benj. Walford, & Tho. Newborough *in Caemeterio* D. Pauli *MDCCII.* (1702.) in 8. form. mai. pp. 257. & 40. exceptis praefationib. & indicibus folior. 23. in lucem exiit, & poſtea a Joanne Hudſon, in ſecundum *Operum* DIONYSII halicarnaſſei Tomum relata fuit. Vid. *Acta eruditor.* lipſienſ. an. 1703. p. 44 ſqq.

Secundum inter ſcripta DIONYSII rhetorica, occupat locum Τέχνη, ſiue *Ars rhetorica.* Et haec primum ab Aldo, cum *Rhetoribus graecis* euulgata fuit. Noſtra ſine dubio editio eſt, quam Joan. Alb. Fabricius l. cit. *pariſienſem H. Stephani* adpellat. Quod nos enim ſciamus, nunquam Henricus Stephanus, operibus DIONYSII ſuam impendit operam. Scripſit DIONYSIVS τέχνην ad Echecratem, illamque capitibus XII. diſtinxit. Inter omnia DIONYSII ſcripta, illam, plurimis mendis laborare, oſtendit Joannes Hudſon. Verſio latina, quae in editione hudſoniana comparet, non vnius hominis labor eſt, ſed a M. Antimacho ferrarienſi, Capita quatuor priora, a Guilielm. Gratio, brugenſi Cap. V. VI. VIIII. X. & XI. ab Andrea Schotto VII. IIX. & XII. latina ciuita-

te

Digitized by Google

te donata fuerunt, quae Hudſonus omnia paſſim emendauit, & graeca ad mſs. varios caſtigauit.

Tertium opuſculum *περὶ τῶν Θουκυδίδου ἰδιωτισμῶν*, DIONYSIVS ad Ammaeum perſcripſit. Primam quidem illius eſſe editionem *aldinam*, *an.* 1508. exiſtimare videtur Jo. Alb. Fabricius l. cit. p. 786. ſed iam antea ab Aldo, euulgata fuit haec *epiſtola*, cum Thucydide, *Venet.* 1502. in fol. & a Junta *Florent.* 1506. in fol. Hoc etiam loco, iterum, apud Fabricium, pro *Henrico Stephano*, Robertum Stephanum legendum eſſe cenſemus. Verſionem latinam, qua vtimur, concinnauit Matthias Martinez de Waucquier, middelburgicus, qui ſeculo XVII. Antuerpiae in Officina plantiniana Correctorem egit.

Libellus quarto loco poſitus *περὶ τῶν Ἀττικῶν ῥητόρων ὑπομνηματισμοὶ πρὸς Ἀμμαῖον*, non integer ad noſtra tempora peruenit. Robertus Stephanus illa tantummodo euulgauit, quae de Lyſia & Iſocrate DIONYSIVS commentatus eſt. Aldus Manucius primus fuiſſe dicitur, qui hanc particulam graece cum Lyſiae & Iſocratis *orationibus* euulgauit. De Matthiae Martinez & Andreae Schotti verſione latina vid. Joan. Alb. Fabricii *Biblioth.* graec. l. cit. p. 785. vbi etiam reliquorum *opuſculorum*, quae a diuerſis viris reperta, & editionibus *Operum* DIONYSII recentioribus addita fuere, mentio facta conſpicitur.

Addidit hiſce *opuſculis* DIONYSII *rhetoricis*, Robertus Stephanus, nonnullas *emendationes* ad varios codices expreſſas. Conf. de DIONYSIO, praeter ſcriptores iam nominatos Mr. Bellanger Doctoris ſorbonnici, *Préface hiſtorique & critique ſur* DENYS *d'* Halicarnaſſe, *le tems où il vivoit, ſon Caractére, ſon ſtile, & les editions de ſes Ecrits*, quam praemiſit verſioni gallicae *antiquitatum* DIONYSII romanarum hoc titulo editae: *Les Antiquités* Romaines *de* DENYS *d'* Halicarnaſſe, *traduites en* François, *avec des Notes*

Digitized by Google

tes historiques, & geographiques, chronologiques & critiques par Mr. * * *. *A* Paris *chez* Philippe Nicolas Lottin 1723. II. Tom. in 4.

CLXXVI.

Τῶν ΔΙΩΝΟΣ Ρωμαικῶν ἱστοριῶν εἰκοσίτεσσαρα Βιβλία. DIONIS Romanarum historiarum libri XXIII. a XXXVI. ad LVIII. vsque. Ex Bibliotheca regia. Βασιλεῖ τ' ἀγαθῷ κραταιῷ τ' ἀσχμητῃ. *Lutetiae ex Officina Roberti Stephani, Typographi Regii; typis regiis. M. D. XLVIII.* (1548). *Ex Priuilegio Regis.* in fol. pp. 498. si priores pp. 7. non numeratae fuerint.

In editionis splendidissimae & rarissimae, versione latina destitutae, fine, haec leguntur: *Excudebat* Robertus Stephanus *Typographus regius*, Lutetiae Parisiorum *Anno M. D. XLVIII. Prid. Cal. Febr.* Titulum sequitur Roberti Stephani ad Lectorem epistolion, in quo paucis verbis exponit, quae illius sint in DIONE edendo merita. Queritur quod vnum tantummodo codicem, eumque valde mendosum, & praeterea adcuratam ac diligentem castigationem desiderantem, nancisci potuerit, qui, vt Stephano quidem visum fuit, a *fragmento libri* XXXV. initium duxit, quod liber XXXVI. capite truncatus excepit. Ea autem religione, hoc codice, quem Antonius Pagi in *Critic. Annal.* Baronii ad Ann. Chr. I. num. I. Tom. I. p. 2. edit. *Colon. Allobrog.* 1705. in fol. hodie in Bibliotheca regia Galliae exstare scribit, vsus fuit, vt nonsolum locos mutilos & imperfectos, intactos reliquerit, sed locos etiam adeo depraua tos, vt nulla iam rectae ac integrae lectionis vestigia supererent, non modo non correxerit, sed ne corrigere quidem, vt ipse

Digitized by Google

ipse ait, ausus fuerit. Vt autem eiusmodi locis, de quibus plane desperatum non esset, medelam aliquam adferret, ad calcem libri, *castigationes* locorum aliquot reiecit, quos adhibita coniectura, similiumue locorum collatione, emendatum iri sperauit. Vsus ad id in primis Nicolai Leoniceni versione, hetrusca, quae in *Venezia per Nicolò d'Aristotele* 1523. prima vice in 4. impressa fuerat, cum Leonicenum alio, & in nonnullis locis integriore & castigatiore codice, vsum fuisse e versionis verbis intelligeret. Istas vero *castigationes*, quae p. 474. inchoantur, maxima ex parte, ab Henrico, Roberti filio, Stephano profectas esse, ipse Henr. Stephanus indicare videtur, in *praefatione* suae editionis, quam mox describemus, hisce verbis: *Historicus ille longe celeberrimus* DIO CASSIVS —— *quum ad suos aedes, vel potius suam officinam reuersus, meum & ad secundam editionem auxilium imploraſſet, ac sibi spem eius factam videret, sibi magnopere gratulari de illo postliminii iure coepit* —— *Verum etiam secundam simulque postremam suis vulneribus manum a me adhiberi postulauit* —— *Meam ego illi operam libenter quidem, sed timide tamen, initio sum pollicitus. Timebam enim ne praeter ea medicamenta quae* Parisiis *partim a patre meo*, partim a me, *& aliquot post annis a* Guil. Xylandro *interprete adhibita eius vulneribus fuissent, valde pauca inueniri a me possent: ad grauia praesertim vulnera quod attinet. Sed cum adnotationes* Xylandri, *quas interpretationi suae subiunxit, in manus sumpsissem, & saepe quidem illas* parisienses *laudari* —— *infinitis in locis* —— *in quos emendationem nostram adferens, dicit*, Robertus Stephanus recte hoc castigauit: *vel*, hoc vidit, *vel* animaduertit, *vel* docuit, *vel* notauit, *aut etiam* Roberto adsentior ita legenti, *vel*, ita lego cum Roberto. *At vbi adnotationem suam velut nostro sigillo obsignans, ei subiungit* Steph. —— *& commendari ab eo animaduertissem ac viderem, superesse tamen* &c. In fine *castigationum* occurrit τῶν ἄλλων γεωφώνων σφαλμάτων

των ἐπανορθώσεις, quae non typothetarum, ſed coditis, quem in ſua excudenda editione ſequutus eſt Robertus Stephanus, ob oculos ponit errores, quos ideo adiecit, ne illis lectores remorarentur. Ceterum illa editio, in fine mutilata duobus eſſe libris, primo adſpectu videri poterit, cum LIIX. tantummodo libros exhibet, recentiores autem, libros complectuntur LX. Sed integra omnino eſt editio, liberque LVII. & LIIX. ex duobus libris, qui recentioribus editionibus, ſeorſum numerantur, ille quidem e libro LVII. & LIIX. hic vero ex LVIIII. & LX. conflatus eſt. Conf. de hac editione Joan. Alb. Fabricii *Bibliotheca graec.* L. IIII. Cap. X. p. 325. vbi cauſſam, ob quam neſcimus, illam editionem *Paris. ſiue Diuione* 1548. in fol. prodiiſſe ſcribit, die *Merkwürdigkeiten der königl. Bibliothek zu* Dresden Tom. II. p. 291 ſqq. Quale pretium illi ſtatuerit, & qua ratione, eo fuerit vſus vir celeberr. Hermannus Samuel Reimarus, ex *Praefat.* eius editioni praemiſſ. §. 2 ſqq. adparet. In *Adparatu ad* DIONEM, quem idem Reimarus Tom. II. addidit; Roberti Stephani *praefatio, & caſtigationes* integrae, locum inuenerunt p. 1377 ſqq.

CASSIVS ſiue COCCEIANVS DIO Patre Aproniano Ciliciae & Dalmatiae, ſub Traiano & Hadriano, Praefecto, Niceae in Bithynia natus, ſub Commodo, Pertinace, & Alexandro Seuero Imperatoribus, honores geſſit, & ſenator Romanus, poſtea Strategus ſiue Praetor factus, bis ad conſulatum euectus fuit, & rem publicam cum laude adminiſtrauit. Poſt conſulatum ſecundum, ab Alexandro Seuero Imperatore honorifice dimiſſus fuit, propterea quod ex pedibus laborabat, neque prouinciam, cui erat praefectus, obire poterat. Ita vero conceſſit in patriam, & reliquum vitae ſpatium, a negotiis remotus tranſegit, ac ſeptuagenario maior, naturae debitum reddidit. Somnio ad ſcribendam hiſtoriam, ſe excitatum fuiſſe fatetur, qua de cauſſa, ſuis ſcriptis perennitatem promit-

Digitized by Google

mittit. *Historiam* maxima ex parte Capuae; quorsum a negotiis libet vacuusque secedere solebat, magno studio composuit. Materiam scribendae historiae, per decem annos collegerat, cui pertractandae, alios duodecim annos, postmodum impendit, & multa tradidit, quae neque in Tacito, neque in Suetonio inueniuntur. *Octoginta libris historiam* romanam ab Aeneae aduentu in Italiam, ad imperium Alexandri Seueri, continuo narrationis filo perexuit, stiloque facili, & ad rationem dicendi atticam composito, vsus est. Ex istis autem libris, *viginti* modo & *quinque*, qui a rebus, quas Lucullus gessit, initium ducunt, & in morte Claudii Imperatoris desinunt, ad manus nostras peruenerunt. Reliqui cum parte XXXV. amissi sunt. Plurimas *historiae* conciones, insertas legimus, quae prudentiae ciuili mirifice inseruiunt, & narrationem exornant. *Legis regiae* memoriam DIO fere vnus conseruauit, qua re factum est, vt illius auctoritate nitantur, qui eiusmodi lege ius imperandi summum Augusto imperatori a S. P. Q. R. traditum fuisse confirmant.

Historiam CASSII DIONIS, & rerum ad eum pertinentium praeter alios, omnium optime exposuerunt Nicol. Carminius Falco in *prolegomenis* editionis, de qua mox dicemus & Hermann. Samuel Reimarus in *Commentario de vita & scriptis* CASSII DIONIS in *Adparatu ad* DIONEM Tom. II. *Oper.* DIONIS p. 1533 sqq.

Digitized by Google

CLXXVII.

Τῶν ΔΙΩΝΟΣ τοῦ ΚΑΣΣΙΟΥ Ρωμαικῶν Ἱστοριῶν βιβλία πέντε καὶ εἴκοσι. DIONIS CASSII Romanarum Hiſtoriarum Libri XXV. Ex Guilielmi Xylandri interpretatione.

Henr. Steph. de DIONIS Hiſt.

Scripſerunt alii florentis tempora Romae,
Et graue ſit quonam tempore paſſa iugum.
Hiſtorias alias iſti conferte DIONIS,
Riui, illae, ſed fons iſta DIONIS erit.

Excudebat Henr. Stephanus Anno M. D. XCI. (1591) in fol. pp. 792. exceptis praemiſſ. & indice pp. 32.

Officinae Stephanianae ſenium, haec editio DIONIS prodere videtur, cum editionibus hiſtoricorum graecorum, quos deſcripſimus, & characterum & chartae nitore multo inferior eſt. Cauſſa huius rei etiam forte eſſe poterit, quod Gallia relicta, illam Stephanus *Geneuae* ediderit. Textui graeco, e regione adpoſita eſt Guil. Xylandri *verſio* latina, quae ſeorſum antea lucem viderat hoc titulo: DIONIS CASSII Nicaei romanae *hiſtoriae libri* (*tot enim hodie extant*) *XXV. nimirum a XXXVI. ad LXI. quibus exponuntur rès geſtae a bello* Cretico *vſque ad mortem* Claudii *Caeſaris, quae eſt hiſtoria annorum circiter CXX. nunc primum ſumma fide diligentiaque de* Graecis Latini *facti*, Guilielmo Xylandro auguſtano *interprete. His acceſſerunt eiuſdem Annotationes, in quibus Autoris huius quamplurima aut reſtituuntur corrupta, aut explicantur obſcura loca. Additum eſt* Ioannis Xiphilini *e* DIONE *compendium*, Guli. Blanco Albienſi *interprete, quae verſio ab eodem* Xylandro *diligenter eſt vbi oportuit caſtigata. Iidem libri* DIONIS *ac* Xiphilini

philini *seorsim* graece *quoque eduntur accurate ab eodem emendati: adhaec verum & verborum copiosissimus index. Cum Caes. Mai. gratia & priuilegio ad decennium.* Basileae *apud* Ioannem Oporinum in fol. pp. 676. excep. praefat. & indice. Anni indicium volumini quidem non additum fuit, sed ille 1557. praefationi subscriptus, opus, si non eodem, proxime sequente tamen anno, euulgatum esse, testari videtur. Istius *versionis*, exstat editio *Lugduni* repetita, *apud Guil. Rouillium sub Scuto veneto* 1559. in 8. Ornauit editionem graeco-latinam Henricus Stephanus *epistola* dedicatoria ad Christianum IIII. Daniae regem. In praefatione *ad lectorem, lectionis* DIONIS *studiosum*, nonnulla loca DIONIS adtulit corrupta, & quomodo per coniecturam, medica illis adhiberi poterit manus, ostendit. Si textum DIONIS graecum euoluimus, quem ad patris sui editionem, non alio codice in auxilium vocato, expressisse videtur, istae, quidem *coniecturae*, in illo non inueniuntur; alia autem loca plura, ab illo mutata, & emendata esse, collatio cum editione Roberti Stephani, paullo adcuratior instituta, satis & abunde demonstrat. Receperat quidem Henr. Stephanus, se emendationum suarum rationem redditurum, in *Adnotationibus*, quas meditabatur, sed nihil ex illis lucem vnquam vidit. Refert Dominicus de Colonia, in *Histoire litteraire de* Lyon Tom. II. p. 760. quod Lugduni adseruetur DION *tout semé de notes marginales écrites de la main d'* Henri Etienne. Praeter *indicem eorum, quae in* DIONIS *historia visa sunt memorabilia*, latinum, huic editioni nihil amplius accessit. Vid. Io. Alb. Fabricii *Biblioth. graec.* L. IIII. Cap. X. p. 326. *die Merkwürdigkeiten der koenigl. Bibliothek zu* Dresden Tom. II. p. 292. Herman. Samuel. Reimari *praefat.* Tom. I. §. 5. *Adparatus in* DIONEM Tom. II. p. 1542. vbi & de aliis editionibus, & versionibus differitur. Nostra aetate duo viri, nouae editioni DIONIS adornandae, vno fere eodemque

tempore, suam impenderunt operam, quorum alter nonsolum exspectationi, quam de suis lucubrationibus fecerat, satis feciſſe, ſed ipſam ſuperaſſe videtur exſpectationem; alter vero tam infelici ſucceſſu opus perfecit, vt monti in fabula parturienti, non abſimilis a viris doctis exiſtimetur.

Prior eſt, quem iam nominauimus, Vir doctiſſimus, Hermannus Samuel Reimarus, qui editionem ſplendidam II. Tom. in fol. in lucem prodire iuſſit. Primus hoc titulo conſpicuus ΤΩΝ ΔΙΩΝΟΣ τοῦ ΚΑΣΣΙΟΥ τοῦ ΚΟΚΚΗΙΑΝΟΥ · Ρωμαϊκῶν ἱστοριῶν τὰ σωζόμενα. CASSII DIONIS COCCEIANI *Hiſtoriae* Romanae *quae ſuperſunt Volumen I. quod complectitur Fragmenta librorum I — XXXV. Cum Annotationibus maxime* Henrici Valeſii. *Libros XXXVI — LIV. integros. Cum Annotationibus* Ioannis Alberti Fabricii *ac paucis aliorum.* Graeca *ex Codicibus MSS. & Fragmentis ſuppleuit emendauit* Latinam *verſionem* Xylandro-Leunclauianam *limauit Varias Lectiones Notas Doctorum & ſuas cum Apparatu & indicibus adiecit* Hermannus Samuel Reimarus. *Opus eminentiſſimo ac reuerendiſſimo* ANGELO MARIAE Cardinali QVIRINO Brixiae *Epiſcopo & Bibliothecario* Vaticano *ob ſumma in illud merita inſcriptum.* Hamburgi *Sumtibus* Chriſtiani Heroldi CIↃ IↃ CCL. (1750) pp. 767. abſoluitur, ſi dedicationem ad eminentiſſ. QVIRINVM & praefationem ad lectorem pp. XXX. excepteris. Inueniuntur in hoc Tomo 1) *Fragmenta* DIONIS, *ex variis auctoribus collecta ab* Henrico Valeſio, *poſt Excerpta* peireſciana p. 770-778. 2) *Fragmenta* DIONIS *ex Collectaneis* Conſtantini Porphyrogennetae *editis a* Valeſio p. 568 ſqq. 3) DIONIS *librorum, qui ſuperſunt XXXV. Fragmentum.* 4) DIONIS *hiſtoriae* romanae *L. XXXVI. ad LIIII.* Haec omnia virorum doctiſſimorum *notis* illuſtrantur, textui graeco, & *verſioni* latinae, e regione poſitae, cum *variantibus lectionibus*, ſubiectis. Inſigne

gne praeter ea huic Tomo decus conciliant, eminentissimi QVIRINI, & Ioannis Alberti Fabricii imagines, aere expressae. Tomo II. qui a p. 769. inchoatur, & ad p. 1708. excurrit, talis praefigitur titulus Τῶν ΔΙΩΝΟΣ τοῦ ΚΑΣΣΙΟΥ τοῦ ΚΟΚΚΗΙΑΝΟΥ ῥωμαικῶν ἱστοριῶν τὰ σωζόμενα. CASSII DIONIS COCCEIANI *Historiae* Romanae, *quae supersunt Volumen II. Quod complectitur Libros* DIONIS *LV —LX. passim mutilos & breuiatos Cum Annotationibus* Ioannis Alberti Fabricii *& nonnullis aliorum. Libros item* DIONIS *LXI—LXXX. ex Compendio* Io. Xiphilini *Cum Annotationibus* Hermanni Samuelis Reimari, *qui & vbiuis Fragmenta reperta suis locis inseruit varias lectiones & Annotationes subiecit versionem castigauit Apparatum Annotationum & emendationum cum indice* graeco *&* latino *adiunxit. Opus eminentissimo ac reuerendissimo* ANGELO MARIAE Cardinali QVIRINO Brixiae Episcopo *&* Bibliothecario Vaticano *ob summa in illud merita inscriptum. Hamburgi Sumtibus Christiani Heroldi* CIↃ DCC LII. (1752). Complectitur iste Tomus effigie editoris ornatus, 1) praefatiunculam *ad Lectorem*, 2) DIONIS *Historiae* rom. L. LV—LX. 3) L. LXI—LXXX. *ex Epitome* Ioannis Xiphilini, *insertis vbique Fragmentis integris* DIONIS, *quae reperiri potuerunt.* 4) *Apparatum ad* CASSIVM DIONEM in quo inueniuntur a) Roberti Stephani *Praefatio & Castigationes ad* DIONEM. b) Eiusdem *ad* Xiphilinum *variae lectiones.* c) Guil. Xylandri *praefatio & Annotationes in* DIONEM. d) Eiusdem *in* Xiphilinum *Annotationes.* e) Frideric. Sylburgii *in* Xiphilinum *Notationes.* f) Henr. Stephani *in* DIONEM *praefatio.* g) Eiusdem *Emendationes in* Xiphilinum. h) Eiusdem *Emendationum in* Xiphilinum *spicilegium.* i) Ioannis Leunclauii *Notae in* DIONEM *&* Xiphilinum. k) Fulvii Vrsini *Notae in* DIONIS *fragmenta.* l) Iacobi Palmerii *Exercitationes ad* DIONEM. m) Lamberti Bos *Animadversiones ad quaedam loca* DIONIS. n) Petri

Digitized by Google

tri Weſſelingii *epiſtola ad nonnulla loca* DIONIS. o) Ioannis Iacobi Reiſkii *Animaduerſiones in* DIONEM. p) *Spicilegium fragmentorum* DIONIS, *& locorum apud veteres, vbi* DIO *aut dicta eius laudantur.* q) DIO *de ſe, & ſua hiſtoria.* r) *De vita & ſcriptis* DIONIS *Commentarius.* s) *Eminentiſſimi* Cardinalis QVIRINI *Epiſtola de Codicis* vaticani *ratione, & Vrſini ac* Falconis *ex eo editis fragmentis.* t) *Illuſtriſſimi Marchionis* Scipionis Maffei *epiſtola, de* DIONIS *editione* falconiana. u) *Index* graecus *vocabulorum & locutionum* DIONIS. v) *Index* latinus *rerum omnium.* w) *Addenda & emendanda.* Quid porro a doctiſſimo editore praeſtitum fuerit, quibus codicibus, aliisque ſubſidiis vſus fuerit, quaue ratione auctorem ſuum emendauerit, atque illuſtrauerit, ſilentio heic praeterimus, lectoresque noſtros ad *ephemerides* eruditorum noſtra aetate praeſtantiores ablegamus, quae egregium opus, certatim, maximis, iisque meritis extulerunt laudibus. Celeberrimi Ioan. Albert. Fabricii in DIONEM merita Ioann. Chriſtianus Wolfius diuerſis litteris ad Maturinum Veyſſiere la Croze ſcriptis expoſuit. Vid. *Theſauri epiſtolici* lacroziani Tom. III. p. 184. 186. 222. 224. 232. 269 ſqq.

Poſterior CASSII DIONIS editor eſt Nicolaus Carminius Falco, Metropolita eccleſiae S. Seuerinae in Brutiis vlterioribus, in regno neapolitano. Is iam anno 1724. ediderat: ΚΑΣΣΙΟΥ ΔΙΩΝΟΣ Ρωμαϊκῆς ἱστορίας τὰ τελευταῖα βιβλία τρία ἐυρισκόμενα καὶ ἀποκαθιερώμενα. CASSII DIONIS romanae *hiſtoriae vltimi libri tres reperti reſtitutique ſtudio ac labore* Nic. Carminii Falconis *Presbyteri, in vtroque iure & in ſacra theologia Doctoris & Protonotarii Apoſtolici, Romae, in typographia Chracas prope S. Marcum in via curſus, ex authoritate Superiorum*, in 4. Nihil autem fere hic liber continet, quam *fragmenta*, quae iam anno 1529. a Fuluio Vrſino, *Baſileae per Ioann. Hervagium*

Digitized by Google

gium in 4. edita fuerant, & omne Falconis, in euulgandis hisce fragmentis meritum eo redit, vt codicem, qui olim Fuluii Vrsini erat, nunc vero in Vaticana bibliotheca adseruatur, denuo cum Fuluii Vrsini editione contulerit, & nonnullis in locis emendaverit, atque suppleuerit. Vid. Herm. Sam. Reimari *Epistola ad Eminentiss. & Rev. D. D.* ANGELVM MARIAM *tituli* S. Marci Cardinalem QVIRINVM, Brixiae *Episcopum, & Bibliothecarium* vaticanum *cet qua occasione edendi* DIONIS CASSII *ad* Nic. Carminii Falconis *l. V. & S. Theol. Doct. & Proton. Ap. editionem trium vltimorum* DIONIS *librorum, ex antiquissimo codice restitutorum, Animaduersiones nonnullas summi viri iudicio submittit: Hamburgi apud Io. Carol. Bohnium* 1746. in 4. pp. 51. Respondit ad hanc *epistolam*, duabus *epistolis* eminentissimus QVIRINVS, vna Brixiae d. 23. Aug. 1746. in 4. pp. 35. altera Brixiae d. 14. Decembr. 1746. in 4. edita. In posteriore non solum specimen litterarum codicis vaticani, aere exprimendum curauit, sed etiam luculenti probauit speciminibus, nullum fere inter Fuluii Vrsini, & Falconis editionem intercedere discrimen. Illam epistolam integram inseruit Herm. Samuel Reimarus *Adparatui ad* DIONEM p. 1545. sqq. Ex eo autem tempore, istius Falconis temeritas eo processit, vt anno 1728. reipublicae litterariae imponere auderet, & libros CASSII DIONIS perditos, a se repertos esse diceret, quos in lucem emittere animo constitutum haberet. Incredibile dictu est, quam auide promissa haec Falconis editio, a viris doctis exspectata fuerit. Cum vero anno 1747. primum Tomum, hoc titulo in vulgus emitteret: ΚΤΙΝ. ΚΑΣΣΙΟΥ ΔΙΩΝΟΣ ΚΟΚΚΗΙΑΝΟΥ Ῥωμαϊκῆς ἱστορίας ἐκ τῶν αὐτοῦ ἀπολογίαι βιβλίων τόμος πρῶτος. Q. CASSII DIONIS COCCEIANI romanae *historiae Tomus primus, continens priores, libros XXI. ab V. C. vsque ad V. C. annum DCX. post euersam* Carthaginem *&* Corinthum. *Nunc primum detectos, restitutos, concinnatosque, & noua fere*

Digitized by Google

versione, & perpetuis suis variarumque notis auctus studio & labore Nicol. Carminii Falconii, *Metropolitanae Ecclesiae* S. Severinae *in* Brutiis *ulterioribus in regno* neapolitano, *qui ipsum Smo. Dno. Nro* Benedicto XIV. *Pontifici O. M. D. D. D, Neapoli, apud Josephum de Bonis publicum typographum, superiorum permissu*, in fol. pp. 306. illum doctorum impostorum augere numerum, viri critici illico animaduerterunt. Centonem enim quemdam ex Plutarcho, Dionysio halicarnassensi & Zonara, ipsis illorum verbis inter se iunctis, consarcinauit, & pro libris CASSII DIONIS, iniuria temporum perditis, venditare sustinuit. Conf. de hac editione, quam *prolegomena*, in quibus de DIONIS vita, scriptis, & excerptis, insigni sollertia & studio agitur, aliqua ex parte commendabilem reddunt, Marchionis Scipionis Maffei *Tre lettere, la prima, sopra il primo Tomo di* DIONE *novamente venuto in luce: la seconda, sopra le nuove scoperte d' Ercolano: la terza, sopra il principio della grand' Iscrizione poco fa scavata nel* Piacentino. *in Verona 1748. nella Stamperia del Seminario* in 4. pp. 44. Primam inter illas *epistolam, al M. R. Padre* Girolamo Lagomarsini *della Compagnia di* Gesu, Firenze, scriptam Veronae d. IIII. Nouemb. 1748. inseruit Herm. Sam. Reimarus, *Adparatui ad* DIONEM p. 1549. sqq. qui etiam ipse, editionem falconianam sub Censuram vocauit in *Praefat.* Tom. I. §. 12. 13. 14. & *not. l.* ad *Fragm. I.* p. 1. sqq.

CXXIIX.

Digitized by Google

CLXXIIX.

Ἐκ τῶν Δίωνος Ἐκλογαὶ ΙΟΑΝΝΟΥ τοῦ ΞΙΦΙΛΙΝΟΥ. E Dione excerptae Historiae ab ΙΟΑΝΝΕ ΧΙΡΗΙLΙΝΟ. Ex interpretatione Guilielmi Blanci, a Guilielmo Xylandro recognita. Henrici Stephani in ΙΟΑΝΝΕΜ ΧΙΡΗΙLΙΝΥΜ post duos egregios messores spicilegium. *Excudebat Henricus Stephanus Anno M. D. XCII.* in fol. pp. 376. si folia quatuor priora, Spicilegium, & index folior. II. except. fuerint.

Jacturam, quam amissis Cassii Dionis libris, res litteraria accepit, aliqua ex parte resarcire putauit ΙΟΑΝΝΕΣ ΧΙΡΗΙLΙΝVS, Trapezuntius, Joannis Xiphilini Patriarchae constantinopolitani, vt ipse p. 71. edit. nostr. refert, fratris filius, qui seculo XI. sub Michaele Duca vixit, & *Epitomen* Cassii Dionis concinnauit, qua historiam romanam a Pompeio M. ad Alexandrum vsque Seuerum complexus est. Illa autem re, parum gratiae, apud posteros iniit, quod temporum rationes turbauit, neque eas, vt a Dione factum erat, ad Consules retulit. Sunt qui res multas ad ciuilem prudentiam vtiles, a ΧΙΡΗΙLΙΝΟ omissas memorant, atque imprudenter id factum arbitrantur, quod secus, ac Dio instituerat, singulis Imperatoribus, singula τεύχματα tribuerit. Debetur Roberto Stephano haec gloria, quod omnium primus fuerit, qui ΧΙΡΗΙLΙΝΙ *epitomen* graecam, ex sua officina, hoc titulo ornatam: Ἐκ τῶν Δίωνος τοῦ Νικαίου ῥωμαϊκῶν ἱστοριῶν ἀπὸ Πομπηΐου Μάγνου μέχρις Ἀλεξάνδρου τοῦ Μαμαίας ἐπιτομὴ ΙΟΑΝΝΟΥ τοῦ ΞΙΦΙΛΙΝΟΥ. Dionis Nicaei *rerum* romanarum *a* Pompeio Magno, *ad* Alexandrum Mamaeae; *Epitome, authore* ΙΟΑΝΝΕ ΧΙΡΗΙLΙΝΟ. *Ex Bibliotheca regia Lutetiae ex officina Roberti Stephani Typographi regii, regiis typis*

Digitized by Google

1551. in 4. pp. 357. except. 4. pp. *variar. lection.* in lucem prodire iussit. Eodem anno latina XIPHILINI versio, hoc titulo lucem adspexit: Dionis Nicaei *rerum* romanarum, *a* Pompeio Magno, *ad* Alexandrum Mamaeae *filium*, *Epitome*, IOANNE XIPHILINO *authore*, *&* Guilielmo Blanco, Albiensi *interprete*, *ad* Georgium Armeniacum, *Cardinalem Ampliss. Lutetiae 1551. cum priuilegio regis* in 4. pp. 280. praeter praefat. & indicem. Quamuis haec editio absque typographi nomine euulgata fuerit, sine dubio tamen ex officina Roberti Stephani, cuius Oliuam in fronte gerit, in lucem prodiit. Vidit Michael Maittaire, vt in *Annal. typogr.* Tom. III. p. 602. not. (a) refert, exemplaria, quae Georgii Armeniaci Cardinalis, cui interpres suam versionem nuncupauit, arma gentilitia praetulerunt. Inuenerat Guilielm. Blancus, albiensis, quem eumdem esse censemus, qui in *lexico eruditorum* bis Tom. I. col. 1118. & col. 1123. memoratur. XIPHILINI codicem graecum, cum Romae in aedibus Georgii Armeniaci R. E. Cardinalis versaretur, & illum in latinum conuertere sermonem coeperat. Cum hoc negotium, suffragio patroni sui comprobari animaduerteret, cum Iacobo Cardinali Sabellio in rus seceſſit opusque eo perduxit, vt dedicationem Romae anno 1550. VII. Kal. Mart. scribere posset. Eadem postea versio, a Guil. Xylandro recognita, & passim castigata, cum illius Dione latino *Basil.* 1557. vt supra adnotauimus, in fol. edita & ab Henrico Stephano, editioni, cuius titulum adscripsimus, & quidem textui graeco, e regione adposita fuit. Praecedit H. Stephani editionem *epistola* dedicatoria ad Iustum Reuberum *Iureconsultum*, *electoralis* Palatinatus *Cancellarium*, & *praefatio ad lectorem*, in qua rationem reddit, cur illam *epitomen*, *eclogarum* titulo inscripserit. XIPHILINVM enim ἐκλέγεσθαι potius, quam ἐπιτέμνειν, *excerpta* magis quam *Epitomen* dedisse contendit. Effugisse autem Henrici Stephani notitiam videtur, quod ipse XIPHILINVS p. 71. edit.

Digitized by Google

edit. H. Steph. se *ex multis* Dionis *libris epitomen* composuisse (τὴν ἐπιτομὴν ταύτην τῶν πολλῶν βιβλίων τοῦ Δίωνος συνταττόμενος) scripserit. Sine omni commentario XIPHILINVM, initio, in lucem edere, Stephanus constitutum animo habuerat, inprimis cum a Guilielm. Xylandro & Friderico Sylburgio, nihil relictum esse conspiceret, quod vberiore explicatione indigeret. Cum autem *grammatolectes typographicus* vnicam superesse chartam diceret, eamque nihilominus ternionis loco esse oportere adfirmaret, nisi aliquid adderetur, se tandem adduci passus est Stephanus, vt quaedam in XIPHILINVM adnotaret, & non seruati decori typographici notam effugeret. Ita vero comparatae sunt *adnotationes* istae, vt in ea Stephanus, quae prima occurrunt, e libro XXXV. excerpta, plus quam in caetera consulto praestitisse videatur. Replent *Adnotationes*, sub *Spicilegii*, post Xylandri, & Sylburgii Adnotationum & emendationum messem, titulo, septem folia. Finis volumini imponitur, *indice eorum, quae excerpsit* XIPHILINVS *e libris* Dionis, *qui non extant*, latino. Vid. de hac, & aliis editionibus atque versionibus Io. Alb. Fabricii *Bibliotheca graeca* L. IIII. Cap. X. p. 326 sqq. *die Merkwürdigkeiten der koenigl. Biblioth. zu* Dresden Tom. II. p. 293 sqq. Herm. Sam. Reimari *Praefatio* Tom. I. §. 5. 6. & 7. *Adparatus ad* Dionem Tom. II. p. 1544. De recentissima XIPHILINI editione, iam diximus, cum cel. Reimari Cassium Dionem describeremus.

CLXXVIIII.

Nicodemi Frischlini ARISTOPHANES *veteris Comoediae Princeps: Poeta longe facetissimus & eloquentissimus:* Repurgatus a mendis, & imitatione Plauti atque Terentii interpretatus, ita vt fere carmen carmini, numerus numero, pes pedi, modus

dus modo, Latinismus Graecismo respondeat. Opus Diuo Rudolpho Caesari sacrum. *Cum Gratia & priuilegio Caesariae Maiestatis. Francofurti ad Moenum excudebat Ioannes Spies M. D. LXXXVI.* (1586) in 8. folior. 368. si praemissa fol. 8. exceperis.

Prima haec libri editio est, quem titulo haud satis adcurate adscripto, rarum esse pronunciauit Cl. David Clement in *Bibliotheque historique & critique des livres, qui sont difficiles à trouver* Tom. II. p. 83. Repetitae exstant editiones *Francof.* 1597. & 1625. in 8. Adiecta etiam fuit Nicodemi Frischlini *versio* editioni, quae *Lugd. Batau.* 1625. & *Amstelodami* 1670. in 12. euulgata fuit. *Epistolae* dedicatoriae *ad Imperatorem* Rudolphum II. inseruit particulam Thomas Crenius *Dissertat. de singularibus Scriptorum Lugd. Bat.* 1705. in 8. p. 29 sqq. *Epistolam* dedicatoriam sequuntur, varia *epigrammata* graeca & latina, a Frider. Sylburgio, Franc. Modio, Lambert. Ludolph. Pithopoeo, Matth. Badero, Sal. Frenzelio, & Io. Guil. Rosbachio, in Frischlini, & ARISTOPHANIS ab illo editi, laudem composita. Haec excipiunt 1) *Vita* ARISTOPHANIS, *a* Nicodemo Frischlino *conscripta.* 2) *Compendium* eius, *comparationis, qua* Plutarchus ARISTOPHANEM *cum* Menandro *contulit.* 3) *Defensio* ARISTOPHANIS *contra* Plutarchi *criminationes.* 4) *De veteri comoedia, eiusque partibus Commentatio.* Cuilibet *comoediae*, noua praemittitur *dedicatio, argumentum dramatis*, & *occasio*, qua ARISTOPHANES permotus, illud conscripsit.

Plutus dicatus est Adamo a Dietrichstain, *Baroni in* Holenburg *&c. hereditario* Carinthiae *Ducatus Piscernae, S. Caesareae Maiestati a consiliis secretioribus, & aulae imperialis supremo Magistro.*

Equites consecrati sunt D. Ferdinando Hofmanno, *Baroni in* Gruenenphyl *&* Strechau, *magno & hereditario*

Digitized by Google

dicterio Curiae magistro in Styria, *Archimarschalco* Austriae *&* Styriae, *Consistorii imperialis Praesidi, & Capitaneo* neostadiensi.

Nubes in fronte gerunt nomina Joannis Cobenzelii, *administratoris cathedralis ecclesiae in* Myllstatt *S. C. M. & Archid.* Austriae Carolo, *a secretioribus consiliis, inferiorisque* Austriae *Praesidis iudiciarii*, & Joannis Achillis Ilsingii *S. C. M. consiliarii.*

Ranae dicatae sunt Sigismundo Viheuſero *S. C. M. a consiliis intimis, & imp.* Rom. *Procancellario.*

Aobarnenses denique Andreae Ernstembergio, & Petro Obernburgio *LL. Licentiatis, S. C. M. a consiliis secretioribus.* Reinerus Reinesius L. III. *variar. lection. Altenburg.* 1640. in 4. p. 416. versionem meliorem, Frischlini conuersione fieri potuisse negat. Insigni etiam elogio eius ARISTOPHANEM ornavit Georgius Burckhardus in *epistola ad* Frischlinum, Tubingae 1574. scripta, quae legitur in *philologicarum epistolarum centuria, ex bibliotheca* Melchior. Heiminsfeldii Goldasti *Francof.* 1610. in 8. editarum p. 276. sqq. Conf. Caroli Henrici Langii Frischlinus *vita, fama, scriptis, ac vitae exitu memorabilis, Lipsi & Brunsuig.* 1727. in 4, Cap. III. §. IIII. not. o) p. 95. Io. Alb. Fabricii *Bibliotb. graec.* L. II. Cap. XXI. p. 708. & 720.

ARISTOPHANES Philippi cuiusdam s. Philippidae filius, *Comicorum Princeps* & *linguae* atticae *delicium* nominatur. De patria illius nihil certum exploratumque habemus, etiamsi pro ciue athenienſi is se gesſit & atticae ciuitatis iure gauisus est. Ingenio maxime valuit, floruitque seculo ante Chr. nat. V. & corruptos Athenienſium mores, dictione aculeata, in theatro perstringere, & Socratem praeter ius fasque exagirare solitus est. Veteris *comoediae* sine dubio *princeps* exstitit, & Eupolidi Cratinoque omnium iudicio praelatus est. E multis *comoediis*, quas compositas, ab illo legimus, *undecim* hac nostra aetate superſunt,

persunt, quarum argumentum Io. Albert. Fabricius l. cit. recenset simulque singularum editiones refert, inter quas, praecipuum locum obtinet, quae anno huius seculi X. Amstelodami cum scholiis graecis lucem adspexit, & hunc praefert titulum: ARISTOPHANIS *Comoediae vndecim* graece *&* latine, *ex Codd. mss. emendatae. Cum scholiis antiquis, inter quae scholia in* Lysistratam *ex Cod.* Vossiano *nunc primum in lucem prodeunt. Accedunt notae Virorum doctorum in omnes comoedias; inter quas nunc primum eduntur* Isaaci Casauboni *in* equites; *Illustriss.* Ezech. Spanhemii *in tres priores; &* Richardi Bentleii *in duas priores comoedias Observationes. Collegit & recensuit, notasque in nouem comoedias, & quatuor indices in fine adiecit* Ludolphus Kusterus *I. V. D. Excusum Amstelodami sumptibus Thomae Fritsch, Bibliop. Lipsiensis A. MDCCX.* in fol. pp. XXIIX. 580. & 324. except. epistol. dedicator. praefat. & indicibus folior. 35. Vid. *Acta eruditor.* lipsiens. an. 1710. p. 97 sqq. Jean de Clerc *Bibliotheque choisie* Tom. XVIIII. Articl. VI. p. 263 sqq. Conf. de ARISTOPHANE praeter duorum Anonymorum, Thomae Magistri, & Nicodemi Frischlini *vitas*, quae variis editionibus, & inter alias etiam Küsteri editioni praemittuntur, Ioan. Gottfr. Hauptmanni *Programma de* ARISTOPHANE *atque illius Comoediis. Gerae* 1743. in 4.

Scriptores, qui in exponenda Nicodemi Frischlini *vita*, haud inanem posuerunt operam, nominauimus Tom. I. *Adpar. litter.* p. 238 sqq.

CLXXX.

ΘΕΟΦΡΑΣΤΟΥ Χαρακτῆρες. Cum interpretatione latina per Bilibaldum Pirckeymherum iam recens aedita. in 8. fol. 23.

Editionem satis esse raram, e Conradi Rittershusii, Melchioris Adami, Jos. Simleri, Michaelis Maittaire, Jo.

Digitized by Google

Jo. Alb. Fabricii, Niceroni, aliorumque, qui vitam Bilibaldi Pirckheymeri descripserunt, silentio conijcimus. Prodiit, vt verba in fine adiecta testantur, Norembergae *per* Jo. Petreium *Anno M. D. XXVII.* (1527). Dicauit illam Pirckeymherus *suo* Alberto Dürero. In *epistola* dedicatoria, inter alia haec scribit: *lepidum hunc libellum, a lepido quondam amico mihi donatum, tibi, mi lepidissime* Alberte, *dono dare constitui, nonsolum ob amicitiam nostram mutuam, sed quoniam pingendi arte admodum praecellis, cerneres etiam quam affabre senex ille & sapiens* THEOPHRASTVS *humanas affectiones depingere nouisset. — Accepi illum dono olim* graecum *a doctissimo & amicissimo principe a* Johanne Francisco Pico Mirandulae *Comite & Domino* Concordiae: *nunc autem tibi quoque amicissimo &* graecum *pariter dedico &* latinum, *vt studiosi habeant, quo se in vtraque lingua valeant oblectare. Tametsi plerisque in locis scriptoris incuria, aut etiam cura, non parum fuerit corruptus, restitui tamen illum, quantum licuit, donec emendatius aliquando prodierit exemplar. Proinde etsi eum stylo elegantiori vertere potuissem, nolui tamen longius a* graeca *discedere phrasi, etiamsi eam ob caussam obscurior nonnunquam videri possit: sed mox, vt* Graeca *cum* latinis *fuerint collata, omnia reddentur clariora. Tametsi in dictionibus quibusdam transferendis, nec mihi ipsi satisfacere potuerim. Quod quidem non tam culpa propria quam* latinae *linguae accidit penuria. Quo pacto enim* ἐρεσχελίαν, λογοποιίαν, μικρολογίαν *ac* περιεργίαν *aliter vertere potuissem? Nec ignoro, quaedam esse, quae coniectore potius, quam interprete indigeant. Verum vnicuique liberum erit iudicare, aut singula pro libito vertere. Tu vero, mi* Alberte, *benigne graphicam hanc* THEOPHRASTI *picturam accipe, & si illam penicillo imitari nequis, mente saltem diligenter reuolue: nam praeterquam quod non parum proderit, abunde risum praebebit, ac multum oblectare poterit* &c. Epistolion, quod Joannes Franc. Picus Mirandulae Comes, Bilibaldo

Digitized by Google

baldo Pirckheimero scripsit, cum illi THEOPHRASTVM mitteret graecum, legitur in Bilib. Pirckheimeri *Operibus* a Melchior. Goldasto Haiminsfeldio, *Francof.* 1610. in fol. editis, p. 212. Cum id paullo sit brevius, in lectorum gratiam hoc adiicimus:

Magnifico Domino Bilibaldo Pirckheimero Norimbergensi, *amico & viri fratri.*

Salue. En Tibi THEOPHRASTI *characteres exscriptos* graece. *Relue iam debitum ex tua ephemeride. Si castigatius volumen forte desideraris, culpabis librarium, dabisque simul veniam mihi nunc in* Italiae *crebris magnisque tumultibus occupatissimo, cui per assiduas molestiarum moles, non licuit libellum per se percurrere, ne, dum ad exemplar perpendendo conferret. Vale,* Mirandulae *die VIII. Septemb. 1515.*

In iisdem Bilib. Pirckheimeri *Operibus*, exstat etiam *praefatio*, & latina *characterum expositio* p. 214 sqq. Nostrae editioni textus THEOPHRASTI praemittitur graecus. Non vero omnes, quos THEOPHRASTVS conscripsisse dicitur *characteres*, in hac editione reperiuntur, sed quindecim tantum modo priores.

De THEOPHRASTO, eresio, vid. Diogenes Laertius *Vitar. philosophor.* L. V. Segm. XXXVI. p. 288. edit. Marc. Meibomii, Joannis Meursii THEOPHRASTVS, siue *de libris* THEOPHRASTI, *qui iniuria temporis interciderunt, liber singularis, Lugd. Bat.* 1640. in 12. & in Jacob. Gronouii *Thesauro Antiquitat.* graecar. Tom. X. col. 621. sqq. Christophor. Augusti Heumanni *Lebensbeschreibung des* THEOPHRASTI *und von dessen Characteribus ethicis*, in *Actis Philosophor.* P. XVII. p. 661 sqq. P. C. Passerat *parallele de* THEOPHRASTE *&* de la Bruyere, in *Mercure de* France 1732. Janv. p. 78 sqq. Joan. Alb. Fabricii *Bibliotheca graeca* L. III. Cap. VIIII. p. 234 sqq. vbi, in primis p. 239. varias *characterum* editiones attulit. Optima hodie censetur, quamuis raro extra

Angliam

Digitized by Google

Angliam inueniatur, editio, quae hoc prodiit titulo: ΘΕΟΦΡΑΣΤΟΥ Χαρακτῆρες Ἠθικοί. THEOPHRASTI *Characteres ethici.* Graece & Latine. *Cum notis & emendationibus* Isaaci Casauboni *& aliorum. Accedunt* Jacobi Duporti *Praelectiones iam primum editae.* Graeca *cum vetustissimis MSS. collata recensuit, & notas adiecit* Petrus Needham, *S. T. B. Coll. Diu.* Joh. Cantab. *Socius. Cantabrigiae Typis academicis Impensis Cornelii Crownfield, celeberrimae academiae Typographi* 1712. in 8. mai, pp. 113. & 474. si praemissa, & indicem exceperis. Illius editionis textus, bis *Lipsiae,* anno 1726. & 1751. in 8. repetitus fuit, cui Fridericus Gotthilf Freytag, pater meus, *dissertatiunculam* praemisit, vbi *de* THEOPHRASTO eiusque *characteribus* exposuit. E versionibus, praeter notissimam illam gallicam, quam Joannes de la Bruyere conscripsit, ad manus nobis est anglica, hoc titulo insignita: *The moral Characters of* THEOPHRASTVS. *Translated from the* Greek, *with notes. So which is prefix'd A Critical Essay on characteristic-writings. By* Henry Gally *M. A. Lecturer of St.* Paul's *Covent-Garden, and Rector of* Wanden *in* Buckinghamshire.

Respicere exemplar vitae morumque iubebo
Doctum imitatorem, & viuas hinc ducere voces.
Hor. *in art. poet.*

London printed for John Hooke, at the Flower de-luce over-against St. Dunstan's Church in Fleet-Street, 1725. in 8. mai. pp. 290. si dedicationem, praefationem, & indicem omiseris. Teutonica, quam cum praefatione, & obseruationibus variis in lucem emisit M. Godofred. Ephraim Müller tit. *Spiegel menschlicher Sitten aus dem* griechischen *des* THEOPHRASTS:

Inspicere tanquam in speculum, in vitas omnium
Iubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi.
Terentius *Adelph. III. 4.*

Dresden vnd Leipzig bey Friedrich Heckel vnd Compagnie 1737. in 8. form. mai. pp. 64.

Digitized by Google

CXXCI.

ΜΙΧΑΗΛΟΥ ΑΠΟΣΤΟΛΙΟΥ Παροιμιαι. Centuriae XXI. Prouerbiorum. Ex optimis Auctoribus Graecis collectae a MICHAELE APOSTOLIO, *Byzantino*. Cum V. C. Petri Pantini Tiletani, verſione & notis ipſius ac aliorum doctorum, quibus adagia illuſtrantur & ſuis auctoribus aſſignantur. Cum indicibus locupletibus. Item Patriarchae Georgii Cyprii Prouerbia. *Lugduni Batauorum, apud Joannem & Danielem Elſevier MDCLIII.* (1653) in 4. pp. 387. ſi praemiſſa & indicem exceperis.

Non aliam ob cauſſam, titulum adſcripſimus libri, quem ipſi poſſidemus, quam, vt ſuam illi ſententiam, cum veritate minus congruere intelligant, qui cum Joanne Alberto Fabricio in *Biblioth. graec.* L. IIII. Cap. VIIII. p. 285. Auctore *der Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dreſden Tom. II. p. 132. aliisque iſtius libri inueniri exemplaria negant, quae annum 1653. prae ſe ferunt. Reliqua enim exemplaria annum 1619. ob oculos ponunt. Conf. Gottl. Stolles *Hiſtorie der Gelahrheit, Jen.* 1736. in 4. p. 102. Gaſimir. Oudini *Commentar. de ſcriptor. & ſcriptis eccleſiaſtic.* Tom. III. col. 2514. *Theſaurus bibliothecalis* Tom. II. p. 102. Cl. Dauid Clement *Bibliotheque hiſtorique & critique des livres qui ſont difficiles à trouver* Tom. I. p. 432. ſqq.

CXXCII.

FRANCISCI PORTI Cretenſis, Commentarii in PINDARI Olympia, Pythia, Nemea, Iſthmia. *Apud Joannem Syluium M. D. LXXXIII.* (1583) in 4. pp. 163. ſi titulus & epiſtola dedicator. non fuerit numerata.

Joan-

Digitized by Google

Joannes Syluius officinam ſuam typographicam, conſtitutam habuit *Geneuae*, Librum in rarioribus eſſe collocandum, verba docere videntur, quae leguntur in *Merkwürdigkeiten der königl. Bibliotb. zu* Dreſden Tom. II. p. 469. Poſt patris FRANCISCI PORTI, cretenſis mortem, illum commentarium in lucem emiſit Aemilius filius, & *illuſtriſſimis ac benigniſſimis celeberrimae reip.* bernenſis *Dominis* dicauit. Commentario praemittitur PINDARI *vita* & Iſaaci Hortiboni (Caſauboni) *in* FRANCISCI PORTI, cretenſis, Commentarios in PINDARVM *poſt eius obitum editos epigramma* graecum. Nonſolum Eraſmo Schmidio, ſed etiam Richardo Weſt & Roberto Welſted, qui ſplendidam PINDARI editionem, *Oxoniae e Theatro Sheldoniano* an. 1697. in fol. in lucem emiſerunt, iſti commentarii incogniti fuiſſe videntur. *Adnotationes in* VI. *odas priores olympias* manuſcriptas, in bibliotheca adſeruari regia dreſdenſi, teſtantur *die Merkwürdigkeiten der königl. Bibliotb. zu* Dresden l. cit. p. 465.

Omnia quae ad PINDARVM, varias eius editiones, verſiones, & commentarios ſpectant, plurimis expoſuit verbis Jo. Alb. Fabricius *Bibliothec.* graec. L. II. Cap. XV. p. 551. ſqq. quibuſcum conf. merentur, quae Thomas Magiſter, FRANC. PORTVS, Benedictus Aretius, Michael Neander, Eraſmus Schmidius Nicolaus Sudorius, & Joannes Benedictus, in ſuis PINDARI editionibus, & commentariis, *de vita* PINDARI tradiderunt.

FRANCISCVS PORTVS cretenſis, graecae linguae in Italia inſtaurator, Ferrariae primum, & poſtea Geneuae linguam graecam docuit, & editis in graecos ſcriptores commentariis & Obſeruationibus, immortalitatem nominis adeptus eſt. Diem obiit ſupremum anno 1581. aetatis anno LXX. Vid. Joſ. Simleri *Bibliotb.* p. 206.

Digitized by Google

CXXCIII.

PLAVTVS diligenter recognitus, per PHILIPPVM BEROALDVM. in fol. folior. 255.

Praemisit PHILIPPVS BEROALDVS, bononiensis, *ad Clarissim. discipulum* Ladislaum vartimbergensem *epistolam.* Partem illius exhibuit Michael Maittaire in *Annal. typogr.* Tom. II. p. 164. not. (c). Nos vero lectoribus nostris non iniucundum fore arbitramur, vbi illam heic adposuerimus integram.

*Sicut boni venatoris est in saltu venatico feras indaganter ex latibulis excitare, ita industrii professoris est in silua litteraria solerter mendas excutere, & sicut nulli venatori culpae fuit non omnes feras coepisse, ita nulli professori dandum vitio est non omnes mendas excussisse. cum non cuncta sed plurima repurgasse habunde sit satis. nam maculae haud parum multae iam pridem insederunt inueterarunt*que *in voluminibus compluſculis, quae deleri non queunt, sunt*que *ineluctabiles.* Valerius Probus *primae notae grammaticus exemplaria antiquorum emendare atque adnotare Auorum saeculo curauit, soli huic nec vlli praeterea grammatices parti deditus. Ego quadamtenus* Probum *emulatus scriptores classicos emaculare & pro virili parte mendis repurgare contendo. Quod cum in pleriſque aliis iam pridem, tum nuper in* PLAVTO *feci, cuius cum fabulas hoc est latinae linguae delicias enarrarem, operam dedi & quidem operosam, vt ab Impressore nostro* Benedicto *formatus veniret in manus studiosorum emaculatior sinceriorque, quam antebac aliubi sit formis excusus. Hanc autem nouissimam recognitionem* Plautinam, *vt sub tuo nomine publicarem, tibique nominatim hac epistola dedicarem mi* Ladislae Vartibergensis *hortamenta non pauca inuitarunt. & illa cumprimis, quod in contubernio meo degis causa studiorum politioris*que *literaturae, quod mihi es factus, vt vulgo dicitur, compater, quod* Plautinae *elegantiae studiosum te cognoui.*

Ad

Digitized by Google

Ad haec familia Vartimbergenſis *non minus honorata inter proceres* Boemiae *quam fapigerata multis abhinc annis a me colitur diligiturque, ex qua frater tuus* Joannes *Scholaſticorum elegantiſſimus ad capiendum ingenii cultum iampridem huc conceſſerat, fueratque noſtrae ſectae aſſectator frequens & vigilax. qui mihi germana quaſi quadam beniuolentia & religioſa neceſſitudine eſt copulatus. quem amabiliſſimum comiſſimum liberaliſſimum non minus municipes mei, quam alienigenae experti ſunt. Tu vero mi* Ladislae *vadis per fraterna veſtigia. agisque ſcholaſticum munificum ac amabilem. Tu probus, modeſtus, officioſus. atque ingenua ſimplicitate ſincerus. Tu, quod boni diſcipuli ſpecimen eſt, praeceptorem amas & colis. Daſque operam vt Dolatorio noſtro leuigatus expolitusque in patriam ad genitales terras poſt peracta litteratoria ſtipendia poſſis cum laude remigrare. Cape itaque hilaro vultu hoc quicquid eſt munuſculi, &* PLAVTVM *mea caſtigatione minus in ſincerum relege translege perlege continenter hoc delectolum tuum. Hoc enchiridion, nullus dies praetereat ſine* Plautina *lectione non teſtudineo non formicino gradu ſed militari & pleno diſcurre per* Plautinos *campos, ſi cupis optatam metam contingere. Si vis eſſe tum in ſermone quotidiano tum in epiſtolis formandis elegantior venuſtiorque. Scito hominem inſulſum fore ac inuenuſtum, qui neque ſale neque lepore* Plautino *conditus extiterit. Vale & Doctorem eundemque compatrem tuum mutuo dilige.*

Fieri non potuit, quin labeculae quaedam, minutulique errores, per incuriam miniſtri excuſoris irreperent. Talia praeſtare nec volo, nec debeo, nec poſſum.

Cum in *Amphitryone* & *Aulularia* quaedam deſunt, a duobus viris doctis iſtae lacunae ſuppletae fuerunt. Leguntur iſta ſupplementa in noſtra editione, in fine *Truculenti*. Fridericus Taubmanus illa ſuae editioni adiecit, & quidem primum ab Anonymo compoſitum p. 1271-1277. edit. 1605. in 4. ſecundum quod Antonium

tonium Vrceum Codrum, lepidi ingenii virum, auctorem habet p. 1280-1283. Vitus quidam Werlerus, ob hoc supplementum, tale in Codri honorem scripsit epigramma:

Ad PLAVTVM

Ante erat informis tota haec tua, PLAVTE, *fabella*
Non secus ac miris corpora secta modis,
Nam capiti finem cariosa absumpserat aetas,
Neu posset longa posteritate frui.
Haud tulit hoc Codrus: Codrus *doctissimus ille*
Mox facili amissas carmine reddit opes,
Ac lacerata boni passim monimenta Poetae
Legit, & effigiem iussit habere suam.

Inuenitur illud in editione *Aululariae*, quae hoc prodiit titulo, litterarum charactere gothico exscripta: PLAVTI *lepidissimi poetae*, Aululariа, *ab* Antonio Codro Vrceo, *vtriusque linguae doctissimo, pristinae formae diligenter restituta; illius enim finis antea desiderabatur.* Lipsiae *per* Melchior. Lotter. 1513. in fol. Vid. Matanasiana *ou Memoires litteraires historiques & critiques du Docteur* Matanasius Tom. II. *à la Haye* 1740. in 8. p. 331. Conf. etiam de hoc Codri supplemento, versuum CXXII. Eminentissimi A. M. Cardin. Bibliothecarii QVIRINI *Specimen variae litteraturae, quae in vrbe* Brixia *eiusque ditione paullo post typographiae incunabula florebat* P. I. p. 45. sqq. In fine noſtri codicis, haec adscripta a Typographo leguntur verba: *Impressum* Bononiae *per* Benedictum Hectoris *Bibliopolam Impressoremque Diligentissimum. Recognitum repastinatumque a*' PHILIPPO BEROALDO *Curiose ac Vigilanter. Anno Salutis M. D. tertio* (1503) *Cal. Decemb.* Admodum raram esse editionem, ex eo coniicimus, quod a nullo eorum, qui indices editionum PLAVTI composuerunt, illa memorata fuerit. Mentionem illius fecerunt Michael Maittaire l. cit. & Niceron in *Memoires* Tom. XXV. p. 387. Omnium princeps *Comoediarum* PLAVTI XX. editio est, quam Georgius Merula alexandrinus

Digitized by Google

ſtatielenſis, vir, ſeculo XV. ad finem vergente, inter humanarum litterarum Profeſſores magni nominis, *Venetiis* 1472. in fol. emulgauit. Eius in fine haec legi verba: Plautinae *Comoediae XX.* Georgio Alexandrino *emendatore; de cuius eruditione & diligentia iudicent legentes. Impreſſae opera & impendio* Joannis de Colonia Agrippinenſi *atque* Vindelini de Spira. Venetiis *MCCCCLXXII.* Nicolao Throno *Principe iucundiſſimo & duce felicisſimo*, teſtatur Mich. Maittaire in *Annal. typogr.* Tom. I. p. 314. Vid. de Georgii Merulae in PLAVTVM meritis, eminentiſſimi QVIRINI *Specimen variae litteraturae* brixienſis, P. I. p. 1. ſqq. vbi & aliae editiones PLAVTI vetuſtae, inſigni cura atque ſollertia deſcribuntur. Legi praeterea de PLAVTO, eius comoedis, earumque editionibus, & virorum doctorum, in illas commentariis, merentur Jo. Philippi Parei *Diſſertat. de vita & ſcriptis* M. ACCII PLAVTI, quae praemiſſa eſt PLAVTO, a Petro Danetio Preſbytero conſtantienſi, *in vſum Delphini, Pariſ.* 1679. II. Tom. in 4 edito. Joachimi Camerarii *Diſſertatio de Fabulis* plautinis eidem editioni, *in vſum Delphini* praemittitur, & Frideric. Taubmanni editioni *Viteberg.* 1612. in 4. adiicitur. Caſp. Sagittarii *Commentatio de vita, ſcriptis, editionibus, interpretibus, lectione, atque imitatione*, PLAVTI, Terentii, Ciceronis, *Altenb.* 1671. in 8. Jo. Alb. Fabricii *Bibliotheca latina* Tom. I. Libr. I. Cap. I. p. 1. ſqq. Tom. II. p. 1. ſqq. Jo. Nicol. Funccii *Tractatus de adoleſcentia linguae latinae, Marburg. Cattor.* 1723. in 4. Cap. III. §. I ſqq. p. 106. ſqq. Gottfr. Ephr. Mulleri *hiſtoriſch-critiſche Einleitung zu nöthiger Kenntniß und nützlichem Gebrauche der alten lateiniſchen Schriftſteller.* P. II. Cap. I. p. 1. ſqq. Adrien Baillet *Jugemens des Savans* Tom. III. P. I. p. 18. ſqq. *die Merkwürdigkeiten der königl. Bibliothek zu* Dreſden Tom. I. p. 90. ſqq. 103. ſqq. 120. 127. ſqq.

De PHILIPPO BEROALDO, ſeniore, bononienſi vid. quae ſupra Tom. I. p. 255. ſqq. Tom. II. p. 889. diximus.

Digitized by Google

CXXCIIII.

Liber de re ruſtica M. CATONIS Lib. I. M. TERENTII VARRONIS Lib. III. L. IVNII MODERATI COLVMELLAE Lib. XII. Eiusdem de arboribus liber ſeparatus ab aliis, quare autem id factum fuerit; oſtenditur in epiſtola ad lectorem. PALLADII Libr. XIIII. De duobus dierum generibus: ſimulque de vmbris, & horis, quae apud PALLADIVM, in alia epiſtola ad lectorem. Georgii Alexandrini enarrationes priſcarum dictionum, quae in his libris CATONIS: VARRONIS: COLVMELLAE. *Aldus. Hos libros Pontificis etiam Leonis decreto, nequis alius vſquam locorum impune imprimat, cautum eſt.* in 8. form. mai. folior. 368. ſi folia 32. priora non fuerint numerata.

Quamuis *Scriptores rei ruſticae*, reliquis auctorum editionibus, quae ex aldina officina prodierunt, paullo ſint frequentiores; haec tamen editio, inter eos quoque libros referri debet, qui non ſemper bibliophilis ſe offerre ſolent. Praemittitur Leonis X. *privilegium, datum* Romae *apud ſanctum* Petrum, *ſub annulo Piſcatoris. Die XXVIII. Nouembris M. D. XIII. Pont. primo anno.* Subſcripſit illi nomen Petrus Bembus. Jucundus veronenſis in *praefatione* ad Leonem X. ſe libros *de re ruſtica*, ſumma ſua in illos beneuolentia, cum antiquis contuliſſe exemplaribus, adcurateque emendaſſe, ait, adhibito tamen iudicio amicorum, & doctorum hominum. Aldus Manucius duplicem *praefationem* praemiſit. In priore rationem reddit, cur alius COLVMELLAE librorum ordo, in hac editione, quam in aliis, adhibitus ſit editionibus, id quod Jucundi diligentia factum eſſe ſcribit. In poſteriore de duobus dierum generibus, ſcilicet de diebus

Digitized by Google

diebus, qui in XXIIII. & de illis, qui in XII. partes diuiduntur, nec non de horis, quae apud PALLADIVM occurrunt, potissimum agit. Post hasce *praefationes*, collocatus conspicitur *erratorum typographicorum catalogus*. Haec autem omnia 9. foliis absoluuntur. Jam nouus & quidem talis sequitur titulus: *Libri de re rustica* M. CATONIS *Lib. I.* M. TERENTII VARRONIS *Lib. III.* L. IVNII MODERATI COLVMELLAE *Lib. XIII.* PALLADII *Lib. XIIII.* Aldus. *Hos Libros etiam, Pontificum* Alexandri, Iulii, *ac* Leonis *demum decretis, nequis alius vsquam locorum impune imprimat, cautum est.* Primo loco, se offert lectorum oculis, Georgii (Merulae) alexandrini, *ad* Petrum Priolum M. *filium* venetum epistolion, quo illi *enarrationes* suas *breuissimas*, priscarum vocum, quae in *scriptoribus rei rusticae* inueniuntur, consecrat. *Enarrationes* istas sequitur, eiusdem Merulae, *ad* Bernardum Justinianum, *Equitem* & *senatorem facundissimum praefatio*, quae ex editione *Scriptor. rei rusticae iensonianā* 1472. & *bononiensi* 1494. transcripta fuit, & ad CATONEM & VARRONEM pertinet. Excipit illam *Capitum*, in quae libri *de re rustica* diuiduntur, *index*. Haec omnia folia 25. complent. In fine codicis haec leguntur verba: Venetiis *in aedibus* Aldi *&* Andreae *soceri Mense Maio M. D. XIIII.* (1514). Prima sine dubio editio est, quae ex officina aldina prodiit, eam enim quae in *Catalogo Bibliothecae* hulsianae Tom. III. p. 282. num. 4072. anno 1513. in 8. prodiisse memoratur, errori obnoxiam esse credimus, in quem *Catalogi* compilator, forte *priuilegii* subscriptione anno 1513. facta, inductus fuit. Reperita editio *veneta aldina* fuit, *Venetiis* anno 1533. in 8, vid. *die Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dresden Tom. II. p. 76.

Conf. de *Scriptoribus rei rusticae* & diuersis eorum editionibus, Joan. Alb. Fabricii *Biblioth. lat.* L. I. Cap. II. p. 18. sqq. Cap. VII. p. 80. sqq. L. II. Cap. VII. p. 342. sqq. L. III. Cap. IIII. p. 533. sqq.

Digitized by Google

Tom. II. p. 20. ſqq. p. 471. ſqq. Tom. III. p. 64. ſqq. Gottfr. Ephraim Müllers *hiſtoriſch critiſche Einleitung zu nötbiger Kenntniß und nützlichen Gebrauche der alten lateiniſchen Schriftſteller* P. II. Cap. II. p. 39. ſqq. *Prolegomena* editioni *lipſienſi* nitidae, mox memorandae, praemiſſa, *die Merkwürdigkeiten der königl. Bibliotb. zu* Dreſden l. cit. p. 73. ſqq.

CXXCV.

Libri de re ruſtica M. CATONIS Lib. I. M. TERENTII VARRONIS Lib. III. L. IVNII MODERATI COLVMELLAE Lib. XII. Eiusdem de arboribus liber ſeparatus ab aliis. PALLADII Lib. XIIII. De duobus dierum generibus, ſimulque de vmbris & horis, quae apud PALLADIVM. Index omnium fere rerum, quae in his libris ſcitu dignae leguntur. Index graecarum dictionum. Enarrationes priſcarum vocum per ordinem litterarum digeſtas. *Baſileae ex officina Joan. Heruag. Anno M. D. XXXV.* (1535) in 8. form. mai. folior. 295. ſi praemiſſa folior. 52. exceperis.

Ad *aldinam*, haec editio expreſſa eſt. *Priuilegium* tamen Leonis X. Jucundi veronenſis, & prior, quam memorauimus, Aldi *praefatio* omiſſa fuit. *Enarrationes priſcarum vocum, quae in Scriptoribus rei ruſticae reperiuntur*, adlatae quidem, ſed per ordinem alphabeti diſpoſitae, Georgii autem Merulae, Alexandrini Statilei, *praefationes* abiectae fuerunt. De nouo huic editioni acceſſit, *rerum fere omnium, quae ſcitu dignae, in ruſticis ſcriptoribus leguntur, index ſane copioſus*, & graecarum *dictionum index*. Conf. Michael Maittaire *Annal. typogr.* Tom. II. p. 824.

Omnium

Digitized by Google

Omnium optima & splendidissima, nostra aetate censetur editio, quae *Lipsiae* 1735. II. Tom. in 4. form. mai. euulgata fuit. Tom. I. eiusmodi praefixus est titulus: *Scriptores rei rusticae veteres* latini, CATO, VARRO, COLVMELLA, PALLADIVS, *quibus nunc accedit* VEGETIVS *de Mulo-medicina &* GARGILII MARTIALIS *fragmentum cum editionibus prope omnibus & Mss. pluribus collati Adiectae notae virorum clariss. integrae tum editae, tum ineditae, & Lexicon rei rusticae curante* Jo. Matthia Gesnero, *Eloqu. & Poes. P. P.* Goetting. *Lipsiae Sumtibus Caspari Fritsch MDCCXXXV.* pp. 858. si folia 5. priora & praemissa pp. 56. non fuerint numerata. Tomus II. qui a p. 859. inchoatur & ad p. 1316. si folia exceperis 5. priora, & indicem pp. 159 vsque excurrit, talem prae se fert titulum: *Scriptores rei rusticae veteres* latini *Tomus alter in quo* PALLADIVS VEGETIVS *de Mulo-medicina* GARGILII MARTIALIS *fragmentum cum editionibus prope omnibus & Mss. pluribus collati Lexicon rei rusticae aliaque continentur curante* Jo. Matthia Gesnero *Eloqu. & Poes. P. P.* Goetting. *Lipsiae Sumtibus Caspari Fritsch MDCCXXXV.* Recensio vid. in *Actis eruditor.* lipsiens. anni 1735. p. 226. sqq.

CXXCVI.

C. CRISPI SALVSTII de coniuratione Sergii Catilinae historia, nuper ad Aldi Manutii Archetypon. quam diligentissime & emendata & impressa. in 4. folior. 27.

Praecedunt SALLVSTII librum I. *Testimonium elimati codicis per* Aldum, *ex epistola eius praeliminari* 2. *Excerptum ex libris* Petri Criniti *de historicis ac rhetoribus* latinis. 3. CRISPI SALVSTII *oratoris clarissimi vita.* Ista editio, si duo folia priora exceperis,

Digitized by Google

ris, litteris romanis exſcripta eſt. In fine illius typographus haec adpoſuit, cum ſuis inſignibus, verba: *Impreſſum* Lyptzk *per* Jacobum Thanner Herbipolitanum *Anno dni. Milleſimo quingenteſimodecimoſeptimo* (1517). Joan. Henric. Leichius in *Annal. typograph.* lipſienſ. p. 98. not. k. SALLVSTIVM *de coniuratione* Catilinae anno 1518. prodiiſſe ſcribit, quae forte haec noſtra editio eſt. Eodem anno 1517. *ex aedibus* Valentini Schumanni, teſte Leichio l. cit. prodiit C. CRISPI SALLVSTII *de bello* Iugurthino *liber, ex ſecunda recognitione ad* Aldi Manutii *archetypum* in 4.

CXXCVII.

PVBLII VERGILII Bucolica, Georgica, Aeneis cum Seruii commentariis accuratiſſime emendatis, in quibus multa quae deerant ſunt addita. Graecae dictiones, & verſus vbique reſtituti. Sequitur Probi celebris Grammatici in Bucolica & Georgica commentariolus non ante impreſſus. Ad hos Donati Fragmenta, Chriſtophori Landini & Antonii Mancinelli Commentarii. in 8. form. mai.

Editio nitida & rara, quam amicus bibliophilus caſſellenſis, cognitam nobis reddidit, haec in fine verba adſcripta habet: Venetiis *excuſſ M. D. VII.* (1507) *die vltimo Junii* Lauretani *Principis anno ſexto.* Bernardus Stagninus *Impenſam fecit.* Joannes Baptiſta Egnatius Venetus *emendauit &c.* Codex nonnullis figuris, ligno inciſis, paſſim ornatus eſt, & Michaelis Maittaire notitiam effugiſſe videtur.

CXXCVIII.

Digitized by Google

CXXCVIII.

P. VIRGILIVS MARO, Pauli Manutii Adnotationibus, in libri margine ob ſtudioſorum commodum adſcriptis, illuſtratus. *Venetiis apud Paulum Manutium, Aldi F. M. D. LVIII.* in 8. foliis. 243.

Et raritate & nitore ſe commendat editio intuentibus, quam Paullus, Aldi filius, Manucius, Torquato Bembo, Petri filio dicauit. Inter editiones VIRGILII, quae mortuo Aldo Manucio, ex officina typographica aldina, a filiis Aldi euulgatae fuerunt, haec ſine dubio *tertia* eſt. *Primam* cenſemus, quae anno 1541. in 8. formae maioris fol. 219. prodiit. *Secunda, poſt omnes omnium editiones, adcurate emendata* in 8. fol. 220. annum 1545. in fronte gerit. Vtraque deſcribitur in *Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dreſden Tom. II. p. 232. Illius, cuius adſcripſimus titulum, mentionem fecit Joan. Alb. Fabricius in *Biblioth. latin.* L. I. Cap. XII. p. 212. Priores editiones omnes epiſtolam ad Petrum Bembum, Torquati patrem, praefixam habent, in qua Aldus Manucius, Naugerii, laudibus effert operam, quam in emendando VIRGILIO collocauerat. Eſt autem VIRGILIVS omnium liber primus, qui litteris italicis, quas & *currentes* vocare ſolent typographi, ab Aldo exſcriptus fuit. Accidit id anno 1501. quo liber in 8. excuſus fuit. Vid. Jaques Bernard *Nouvelles de la republique des lettres* ann. 1704. *Mai* p. 521. Omnibus VIRGILII *Eclogis, libris georgicorum*, & *Aeneidos* in noſtra editione praemittitur *argumentum proſaicum*, cui in *Georgicorum* & *Aeneidos* libris, *poetica* acceſſerunt *argumenta*; haec ab Anonymo, illa Modeſtino Jurisconſulto auctore compoſita ſunt. Paulli Manucii *Adnotationes*, margini adpoſitae, haud adeo magni momenti eſſe videntur.

Variae

Digitized by Google

Variae VIRGILII editiones recenſentur a Jo. Alb. Fabricio in *Biblioth. latin.* Tom. I. Lib. I. Cap. XII. p. 201 ſqq. Tom. II. p. 225 ſqq. a Jo. Nicol. Funccio in *Tractat. de virili aetate latinae linguae, Marburg. Cattor.* 1727. Cap. III. §. XIIX ſqq. p. 201 ſqq. a Gottfr. Ephraim. Mullero in der *hiſtoriſch-critiſchen Einleitung zu nöthiger Kentnis vnd nützlichen Gebrauche der alten* lateiniſchen *Schriftſteller* P. III. Cap. XI. p. 169. ab eminentiſſimo A. M. Cardinale Biblioth. QVIRINO in *Adpendice ad* Michaelis Canenſii *vitam* Paulli II. §. XII. p. 191 ſqq. ab auctore der *Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dreſden Tom. I. p. 217 ſqq. 232. 237 ſqq. 241 ſqq. 250 ſqq 264. 270 ſqq. 277 ſqq. Legi praeterea poterunt praeter varias, variorum editorum, *vitas* & commentationes de rebus ad VIRGILIVM pertinentibus criticas, Michael. Barthii *vita* P. VIRGILII MARONIS, *carmine heroico conſcripta, nunc adiecta commentatiuncula mythologico-philologica, multis in locis correctior & emendatior edita a* Jo. Frider. Heckelio. *Cygneae* 1676. in 4. Adrien Baillet *Jugemens des Savans* Tom. III. P. I. p. 109 ſqq. P. Balle *Dictionaire hiſtorique & critique* Tom. IIII. p. 2825 ſqq. Franc. Marie Arrouet de Voltaire *Eſſay ſur la poeſie epique* Chap. III. in *Oeuvres* Tom. I. p. 313 ſqq. edit. *Dreſd.* 1748. in 8.

CXXCVIIII.

P. VIRGILII MARONIS Bucolica, P. RAMI *Eloquentiae & philoſophiae Profeſſoris regii* praelectionibus expoſita: quibus poetae vita praepoſita eſt. Ad Carolum Lotharingum Cardinalem. *Pariſiis apud Andream Wechelum, ſub Pegaſo, in vico Bellouaco, Anno ſalutis 1555.* in 8. folior. 82. excepta VIRGILII *vita* folior. 9.

P. VIR-

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS Georgica P. RAMI *Eloquentiae & philoſophiae Profeſſoris Regii* praelectionibus illuſtrata, Ad Carolum Lotharingum Cardinalem. *Pariſiis, apud Andream Wechelum, ſub Pegaſo, in vico Bellouaco: Anno ſalutis 1556. Cum priuilegio regis* in 8. pp. 367.

Abſit a nobis, vt libros inter raros referamus, quos ſemel, iterum, ſaepiusque in lucem editos eſſe probe nouimus. Hanc vero editionem, primam niſi fallimur, eſſe omnium cenſemus, quam RAMVS e ſuis *praelectionibus* euulgauit, quamque proinde paullo ceteris rariorem eſſe ſtatuimus. Litteris vterque liber exſcriptus eſt nitidiſſimis, & quod miramur, neque a Michaele Maittaire, neque a Joan. Alb. Fabricio, nec a Nicerono, nec ab aliis, quos propterea euoluimus, ex hac editione commemoratus fuit. *Bucolicis*, PETR. RAMVS praemiſit *vitam* VIRGILII ſatis prolixam. Ab vberiore recenſione nos abſtinemus, cum liber omnium fere teratur manibus. Quale vero huic RAMI labori pretium ſtatuendum ſit, verba lectores docere poterunt, quae leguntur in *Merkwürdigkeiten der königl. Bibliothek zu* Dreſden Tom. II. p. 301. *Vnter den Weltweiſen vnd Redнern mag* RAMVS *noch eher eine anſehnliche Stelle verdienet haben; allein in der Critic bleibt er weit zurück. Seine Anmerkungen berühren die ſchwereſten Stellen nicht, oder ſind gemein, vnd ſeinen Vorgängern abgeborget. Taubmann hat ihn in vnſern Exemplaren der* Frankfurter *Editionen in ſeinen geſchriebenen Randgloſſen mehr als einmal geſtriegelt, vnd* Henr. Stephanus *in der Vorrede ſeiner zweyten Edition* VIRGILII, *die von* RAMO *in demſelben geſuchten Syllogiſmos verlachet.*

De PETRO RAMO vid. Scriptores, quos Tom. I. p. 509 ſqq. excitauimus, cum illius *orationem initio profeſſionis anno 1551. habitam* recenſeremus.

CXXCX.

Digitized by Google

CXC.

PVBLII VIRGILII MARONIS Opuſcula cum familiari expoſitione. Culex, Dire, Aethna, Cyris, Moretum, Ortulus, Vir bonus, de ludo & ira, de liuore, de vino & Venere, de littera y, Copa, Roſe, Eſt & non, De etatibus animalium, De erumnis Herculis, de muſarum inuentis, de cantu ſyrenarum, de die feſto, de fortuna, de Orpheo, de ſeipſo, de ſpeculo, de vnda congelata, de iride, de quatuor temporibus anni, de ortu ſolis, de ſignis coeleſtibus. in 4. folior. 84.

Editionem oppido raram, litteris romanis Joannes Knoblouch *ciuis* argentinenſis *impreſſit V. Kal. Mai. Anno ſalutis criſtiane M. D. IX.* (1509) *Commentarius* Domitium Calderinum refert auctorem. In fine adiectus eſt *index vocum opuſculorum* VERGILII haud adeo luculentus. Michaeli Maittaire, aliisque haec editio *opuſculorum*, quae VIRGILIO tribuuntur, ſeorſum excuſorum, incognita fuit.

CXCI.

Elegantes variorum Virgilio-Ouidio-Centones de Opificio Mundi, Chriſto Deo, Deique Matre, SS. Franciſco & Car. Borromaeo. CIↃ. IↃC. XVII. (1617) a Raphaele Sadelero imaginibus exornati, & *venum propoſiti Monaci.* in 8. pp. 99.

Libellus nitidiſſimus, duplici ornatus eſt titulo, altero quem adſcripſimus aere expreſſo, altero a typothetis, hiſce verbis concepto: PROBAE FALCONIAE *Foeminae Clariſſ. Centones. De diua Deipara* Laure-

Digitized by Google

Lauretana. *Ouidio - Cento. ex Lib. Metamorph.* FR. POLA, Veronensi *Iurisc. Concinnante.* Eiusdem *de diuo* Francisco *Virgilio - Cento. De diuo* Carolo *Pont. Med. Virgilio - Cento* BERNARDI BRVSCHI Veron. *Can. Reg.* Lat. *Ludus in Seculi Amorem inimicum Amori diuino.* CAROLI SCRIBANII *è societate Jesu.* Primum in collectiuncula oppido rara, occupant locum PROBAE FALCONIAE *Foeminae clariss. Centones hoc est Carmen ex diuersis* Virgilii *versibus & hemistichiis consarcinatum, continens descriptionem veteris & noui Testamenti*, quod praecedit tale epigramma:

In Centones virgilianos.

Cum sese andino *iactantem* Cyprida *vate*
Vidit cum nato quae regit astra suo:
Ecquis ait nostrum dabit isto carmine natum?
Aut hoc aut nullo debet hic ore cani.
Aeneam ne suum legat illo in carmine Cypris?
Et meus in versu sordidiore fluet?
Ite agite, & vestrum Musae *reuocate* Maronem,
Vt meus hoc ipso filius ore sonet.
Dabit & Elysiis *iterum* Maro *surget ab oris,*
Et canit ad iussus, maxima virgo, tuos.

Epigramma excipit Raphaelis Sadeler *sereniss.* Boiorum *Principis Chalcographi* epistola dedicatoria, *ad* Sigismundum, Augustini *Canonicorum Praesulem*, scripta Monaci Calendis Septembr. 1617. in qua nonnulla de variis *Centonum* & graecorum & latinorum auctoribus exposuit. Sunt quidem inter viros doctos, qui *Centones* virgilianos, cum Isidoro hispalensi Cap. V. p. 51. Thoma de Simeonibus, aliisque ad VALERIAM FALCONIAM, siue, vt rectius quidem scribitur FALTONIAM PROBAM, Adelfii Procos. vxorem referunt, sed omne aliud statuendum, & auctorem FALTONIAM PROBAM, a VALERIA PROBA diuersum, ciuem hortanum esse, quae seculo IIII.

lo IIII. exeunte vixerit, & *Centones* poſt Ann. Chr. 393. compoſuerit, multis argumentis euincere contendit Juſtus Fontaninus in *Antiquitatibus* Hortae *Coloniae, Rom.* 1723. in 4. L. II. Cap. I. II. III. IIII. Conf. Laelii Biſciolae *Horar. ſubſeciuar.* Tom. I. *Ingolſtad.* 1611. in fol. L. IIII. Cap. IIII. col. 257 ſqq. vbi de *Centonum* auctoribus agitur, & a Julio hortino, iam obſeruatum eſſe dicitur, PROBAM fuiſſe hortinam. Bernardus a Montfaucon in *Diario* italico *Pariſ.* 1702. in 4. Cap. III. p. 36. refert, quod Mutinae in monaſterio S. Benedicti padolironenſis, codicem viderit ſeculo X. exaratum, qui praeter alia, PROBAE FALTONIAE *carmina* complexus fuerit, ad quorum calcem haec legerit verba: PROBA *vxor* Adelphi, *mater* Olibrii, *&* Aliepii (Alypii) *cum* Conſtantini (Conſtantii) *Imperatoris bellum aduerſus* Magnentium *conſcripſiſſet, conſcripſit & hunc librum.* Conf. Adr. Baillet *Jugemens des Savans* Tom. III. P. I. p. 389 ſqq. Andr. Chriſt. Eſchenbachii *Diſſertat. de poetis Chriſtianis ſacris* Sect. II. §. XIII. in *Diſſert. academicis*, p. 104 ſqq. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. latin.* L. I. Cap. XII. p. 230 ſqq. Tom. II. p. 304. vbi variae recenſentur editiones, inter quas haec *monacenſis* non inuenitur. Omnium prima eſt editio, quae teſte Michaele Maittaire Tom. I. p. 315. titulo: Auſonii Peonii *Poetae diſertiſſimi Epigrammatum libri.* PROBAE CENTONAE *clariſſimae feminae excerptum e* Maronis *carminibus ad teſtimonium veteris nouique Teſtamenti opuſculum.* Ouidii *Conſolatio ad* Liuiam: Calphurnii *Bucolicum carmen:* Publ. Greg. Tiferni *Hymni & alia Poemata.* Venetiis, non additō Typographi nomine, 1472. in fol. prodiit. Quae Mich. Maittaire in nota ſubiecta 4. de editione rariſſima adnotauerit, haec talia ſunt. *Sine Typographi nomine.* Ad Lectorem. O Muſarum cultor quiſquis es, Auſonii Paeonii epigrammaton libellum intuens, quanta fuerimus ſedulitate vſi in his, quae tum ad graecarum, tum ad latinarum litterarum eru-

ditionem

ditioneta solertiamque pertinent, aduertas percamur (precamur) ac Pub. Ouidii Nasonis vatis eminentissimi ad Liuiam de morte Drusi epistolam, PROBAEque FALCONIAE vatis clarissimae a Diuo Hieronymo comprobatae centonam: nec non Calphurnii Siculi poetae Bucolicum Carmen, demumque P. Gregorii Tiferni epigrammatωn libellum, vt diligenter perlegas, vehementer etiam atque etiam rogamus. Vale. B. G. (*id est Bart. Girardinus*).

In fine A natiuitate Christi ducentesimae nonagesimae quintae Olympiadis II. VII. Idus Decembres. Venetiis. Et post Bucolic. Calphurnii Anno incarn. Domin. M. CCCC. LXXII. (1472). *Ex hac ergo duplici anni designatione simul collata constat Olympiadas esse per quinquennale spatium computandas, aliter enim Computi vtriusque ratio non conueniet.* — PROBAE FALCONIAE vatis clarissimae de fidei nostrae mysteriis ex Virgilio Centones. *Tum sequitur hoc Tetrastichon, quod transscripsi, vti ibi legitur, ita sane mendose, vt sensum satis expiscari nequeam.*

Bartholomaeus Girardinus.

Δυσὶν fueram solus; *νῦν χεῖλε τέ κεφαῖ*
Artificis *χειρὶ εἰσὶ τὰ καὶ Φοιβεῖ*
Τοῦν' ἔργον cum prisca queat renouare vetustas:
Tum *Νέος* antiquis praeferet officiis.

PROBAE CENTONAE clarissimae feminae opusculum *&c. In his mira est vnius vocis varietas;* PROBAE FALCONIAE *centona,* PROBAE FALCONIAE *centones,* PROBAE CENTONAE *clarissimae feminae opusculum. Vox* Centona *vt mulieris nomen sit, crassissima est ignorantia;* Centro *&* Centones *genus est carminis ex variis fragmentis consutum;* Centona *pro* Centone, *vt puto barbariem redolet. Is error diu postea apud Typographos remansit, nam in editione* parisiensi Joann. Petit *ann.* 1509. *legitur* PROBE FALCONIE CENTONE *clarissime femine excerptum e Maronis carminibus ad testimonium veteris no-*

vique testamenti opusculum Centones. Inserti etiam fuerunt isti *Centones*, vt multas alias editiones taceamus, *Bibliothecae maximae Patrum* lugdunensi Tom. V. p. 1218 sqq.

Secundus in libello est, *de diua Deipara* lauretana *Ouidio-cento, ex libr. Metamorph.* FR. POLA veronensi *Iurisconsult. concinnante.*

Tertio loco inuenitur *de diuo* Francisco *Virgilio-Cento*, FR. POLA *Iurisc.* veronensi concinnante. FRANCISCVS POLA veronensis, poeta non incelebris natus fuit 1568. Jura docuit Patauii diemque supremum obiit anno 1624.

De BERNARDO BRVSCHO siue BRVSCO, apud omnes fere historiae litterariae scriptores altum est silentium. Gente veronensis fuit, & inclaruit initio seculi XVII. inter canonicos regulares lateranenses, & praeter hunc de diuo Carolo Borromaeo, *virgilio-centonem*, scripsit *redargutionem, de anima* Traiani, *ex inferni supplicijs liberata, Veronae* in 4. Composuit etiam *elogium gentis* Nogarolae, quod Onuphrii Panuinii opusculo, *de vrbis* Veronae *illustribus viris, Veronae* 1621. in 4. praemissum est, & *vitam* Matthaei Bossi, veronens. *Canonici regularis* lateranensis, quae Matthaei Bossi *operibus variis*, a Julio Ambrosino, eiusdem Congregationis canonico *collectis, nunc recognitis & expolitis, atque per libros in hoc vnum corpus discretis, Bononiae* 1627. in fol. praefigitur. *Elogium* BERNARDI BRVSCHI exhibuit Celsus de Rosinis in *Lyceo* lateranensi *illustrium scriptorum sacri apostolici ordinis Clericorum canonicorum regularium Saluatoris* lateranensis *elogiis, Caesenae* 1649. in fol.

CAROLI SCRIBANII inter Jesuitas nomen non incelebre est, qui multis variisque editis scriptis memoriam suam ad posteros transmisit. Bruxellis, patre placentino, matre gandauensi anno 1561. natus, initio in collegio duacensi philosophiae, & in brutellensi, rhetorices professor fuit. Postea collegiis Jesuitarum

Digitized by Google

ſuitarum Antuerpiae & Bruxellis Rector praefuit, omnisque prouinciae flandro-belgicae Praepoſitus prouincialis conſtitutus fuit. Diem obiit ſupremum anno 1629. IIX. Kal. Jul. aetatis anno LXVIII. Conf. Petri Ribadeneira *Catalogus Scriptorum religionis Societatis Jeſu. Antuerp.* 1613. in 8. p. 36. Franc. Foppens *Bibliotheca* belgica Tom. I. p. 160 ſqq. SCRIBANII *ludus in ſeculi amorem inimicum amori diuino*, carmine iambico expreſſus eſt. In decem diuiditur ſectiones, quarum argumenta haec ſunt: I. *Non eſſe ſaecula fidendum.* II. *emendationem non eſſe differendam in mortem.* III. *Perire quidquid hic magnum eſt.* IIII. *Intutam eſſe honorum & dignitatum praerogatiuam multorum exemplo.* V. *Infelici plurimum Regum magnorumque exitu purpuram ſceptraque docemur contemnere.* VI. *Diuitiarum contemptus aeternitate propoſita.* VII. *Fuga eorum quae ſeculo ſperari poſſunt, iudicio & poenis propoſitis.* IIX. *Magna fere ruinae proxima eſſe, aeternare humilia.* VIIII. *Aeternam pro breuibus poenis remunerationem manere, virginum docemur exemplo.* X. *Comparatio rerum ſeculi huius & alterius.*

Talia ſunt, quae in hac collectiuncula reperiuntur; Omnia figuris nitidiſſimis a Raphaele Sadeler, aere expreſſis, exornata ſunt. In calce praeter artificis inſignia, quae teſtudinem referunt, cum lemmate: *Sub paruo ſed meo*, haec leguntur verba: Monachii *ex formis* Annae Bergiae *viduae. Cum gratia & priuilegio ſacrae Caeſar. Maieſt. Apud* Raphaelem Sadelerum *Iconographum Ducalem venalis. Anno M. DC. XVII.*

CXCII.

QVINTI HORATII FLACCI liber carminum primus.

Johannis Honorii Crispi Cubitensis Ode dicolos tetrastrophos ad Lectorem.

Scriptorem lyricum noscere qui cupis
Plectello latiam tangere vel chelyn
Torpentes animos quo reuoces tuos
FLACCI versiculos lege.

Qui princeps lyrici carminis inclytus
Et blandam solitus tendere barbiton
Heroum cecinit gesta ope Palladis
FLACCI versiculos lege.

Qui carpsit vario carmine noxios
Clausit tartareo carcere crimina
Cui fert ecce decus lex satyre & chelys
FLACCI versiculos lege.

in 4. folior. 37.

QVINTI HORATII FLACCI liber carminum secundus folior. 15.

QVINTI HORATII FLACCI liber carminum tertius folior. 32.

QVINTI HORATII FLACCI liber carminum quartus folior. 19.

Praemittitur *libro primo de* HORATII FLACCI *metris ex* Nicolao Perotto *commentatio*. In fine *libri quarti*, haec typographi oculis se obiiciunt verba: *Impressum* Lipcz *per* Jacobum Thanner Herbipolensem *Anno salutis christiane M. CCCC. LXXXVIII.* (1498) *die septimo Julii*, adpositis typographi insignibus.

Digitized by Google

gnibus. Omnis liber characterе litterarum gothico exscriptus est. *Liber Epodon* desideratur. Illum eodem anno foorsum in lucem exiisse testatur Jo. Henric. Leichius in *Annalib. typographiae* lipsiensis p. 72. cui vero, sicuti & Michaeli Maittaire, *libri odarum quatuor* priores, incogniti fuerunt.

CXCIII.

QVINTI HORATII FLACCI de arte poetica, ad pisones. in 4. foliot. 16.

Nullum quidem editio litteris gothicis impressa, loci, anni, & typographi prodit indicium, illam tamen ex officina quadam lipsiensi, & nisi plane fallimur Jacobi Thanneri prodiisse, omnia testantur. Curauit illam M. Andreas Prepositus Delitzchensis, qui non solum hoc *Dicolon distrophon ad Lectorem* praemisit:

Dotibus egregiis quamquam natura beauit
Te licet ingenii viribus animas.
Haud tamen attinges frumentum dulce poesis
Integri vatis nec tibi nomen erit.
Presidium misere validum ni sensseris artis
Vngue tenus moris condita dona vafer.
Nimirum iuuenis calleus mediocriter artem
Mancus succedit vatibus ille malis.

Sed etiam in fine carmen elegiacum XVII. distichorum, *in Antipoetas* adiecit.

Digitized by Google

CXCIIII.

QVINTI HORATII FLACCI Opera cum commentariis. Ode quidem: Carmen Epodon & saeculare: cum docta Antonii Mancinelli: & cum familiari Jodoci Badii Ascensii explanatione. Opus autem de arte poetica cum eiusdem Ascensii commentariis: ac communi indice in fronte posito. Sermones vero & epistolae cum familiarissima eiusdem expositione & indice post calcem (vt seorsum ligari possint) collocato. *Vaeundantur Parrhisiis in vico diui Jacobi ab ipso Ascensio.* in fol. folior. 135. & 83.

Tertia haec est HORATII editio, quae cum commentariis Mancinelli & Ascensii, *ex officina ascensiana* in lucem exiit. *Prima* prodierat anno 1503. in fol. vid. Michael. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. II. p. 164. *Secunda* apud Mich. Maittaire quidem non exstat, illam tamen anno 1511. editam esse, testatur subscriptio *epistolae* Ascensii dedicatoriae, *ad* Franciscum de Rouhan lugdunens. *Archipraesulem & Galliarum primatem*, nostrae editioni praemissae: *Ex officina nostra litteraria. Rursus ad XIIII. Kalendas Octobres anni M. D. XI* (1511). Haec *tertia*, vt ex titulo allato iam patet, in duas dispescitur partes; In prioris partis fine haec leguntur verba: *Impressa sunt haec rursus* Q. HORATII FLACCI *opera* Parrhisiis *apud* Badium *Anno ab humani generis restituta salute M. D. XVI.* (1516). *ad Calen. Junias.* In secundae vero partis fine, haec lectoribus se obiiciunt: *Impressa est tertium haec* Horatiana *poesis accuratione ipsius* Ascensii *in nobilissimo* parrhisiorum *gymnasio: ad quartum Kalen. Julias. Anni huius M. D. XVI.* Vid. Michael. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. II. p. 289. vbi vero pro *gymnasio* in subscriptione, legitur *collegio.*

Quarta

Digitized by Google

Quarta & omnium optima inter aſcenſianas cenſetur editio, quae adiectis Acronis, Porphyrionis, Matthaei Bonfinis & Aldi Manucii *ſcholiis* & *commentariis* excuſa fuit anno 1519. vid. Mich. Maittaire l. cit. p. 337.

Omnia quae de HORATIO, lyricorum poetarum apud Romanos principe, dici poterant, collecta invenies, in illius vita, quae ſub C. Suetonii Tranquilli nomine circumfertur, & innumeris, HORATII & Suetonii editionibus addita exſtat. Legi praeterea merentur, praeter Antonii Mancinelli, Chriſtophori Landini, Petri Gualterii Chabotii, Cornel. Schreuelii, Joannis du Hamel, Stephani Andreae Philippe, Michaelis de Marolles, Abbatis Pellegrini, Philippi Argelati, aliorumque *vitas* HORATII, quas ſuis *operum* HORATII editionibus & verſionibus praefixerunt, Tanaquil. Fabri *chronologia* horatiana, *ſeu tempora* HORATII *per Conſules digeſta*, quae legitur in Tanaqu. Fabri *Epiſtolarum* P. II. *Salmur.* 1674. in 4. *epiſtola* XLVII. *ad Dom. D.* Pinium *minutorum placitorum quaeſtorem* p. 117 ſqq. Cum iſtam *chronologiam* Andreas Dacier in gallicum conuerteret ſermonem, variis in locis mutaret, & nonnullis additionibus auctam Tom. X. *operum* HORATII in gallicum ſermonem conuerſorum p. 413 ſqq. adiiceret, vtriuſque & Fabri & Dacierii laborem ſub examen vocauit Joannes Maſſon in libro, quem hoc euulgauit titulo: Q. HORATII FLACCI *Vita ordine chronologico ſic delineata, vt vice ſit Commentarii Hiſtorico-critici in plurima & praecipua poetae carmina: quae veris reddantur annis; noua donantur luce, a praua vindicantur interpretatione celeberrimorum Commentatorum, imprimis* Tan. Fabri, Andreae Dacieri, *&c. Studio* Joannis Maſſon *A. M. & E. A. P. Lugduni Batauorum apud Andream Dyckhuyſen* 1708. in 8. pp. 374. except. praemiſſ. & indicibus. Lucubrationes ſuas a Joannis Maſſon obiectionibus vindicare ſtu-

duit Andreas Dacierius edito libello, qui hac ratione inscribitur: *Nouveaux éclaircissemens sur les Ouvrages d'* HORACE *avec la Reponse à la Critique de* Mr. Masson. *A Paris, chez Pierre Cot.* 1708. in 12. Respondit illi Joannes Masson in *Lettre à Mr.* de Valincour *touchant les nouveaux éclaircissemens sur les Ouvrages d'* HORACE *de* Mr. Dacier, quae exstat in *Histoire critique de la République des lettres* Tom. II. p. 164 sqq. & in *Remarques de Critique contre* Mr. Dacier, quas inseruit eidem diario Tom. III. p. 3 sqq. *Comparationes inter* Pindarum *&* HORATIVM instituerunt Dauid Blondellus, & Jacobus Tollius, quae adiectae sunt Jacobi Palmerii a Grentemesnil *pro* Lucano *apologiae e scriniis* Jani Berkelii editae *Lugd. Bat.* 1704. in 8. p. 241 sqq. & 369 sqq. De eo, quod pulchrum est in HORATIO, carminibus disseritur in *Entretien sur* HORACE, quod exstat in *Histoire de l'Academie des Inscriptions & belles lettres* Tom. VI. edit. *Amsterd.* p. 330 sqq. *De philosophia* HORATII, dissertationem conscripsit Jo. Guil. Bergerus, *Vitemb.* 1704. in 4. Praefatio autem *de iurisprudentia* Q. HORATII FLACCI praemissa fuit a Joan. Georg. Estore, Hambergeri *opusculis Lipsi. & Jen.* 1740. in 8. editis. De variis *Carminum* HORATII editionibus, veteribus & recentioribus aliisque rebus ad HORATIVM pertinentibus conf. Jo. Alb. Fabricii *Bibliotheca latina* L. I. Cap. XIII. p. 310 sqq. Tom. II. p. 233 sqq. Jo. Nicol. Funccii *de virili latinae linguae aetate Tractatus* Cap. III. §. XXVIIII sqq. p. 239. sqq. Adr. Baillet *Jugemens des Savans* Tom. III. P. I. p. 218 sqq. Gottf. Ephraim Müllers *historisch-critische Einleitung zu nöthiger Kentnis und nützlichen Gebrauche der alten* lateinischen *Schriftsteller* P. III. Cap. XII. p. 365 sqq. Eminentiss. Principis ANGELI MARIAE QVIRINI *Specimen variae litteraturae* brixiensis P. I. p. 78 sqq. *Catalogus editionum* Q. HORATII FLACCI *ab anno 1476. ad annum 1739. quae in Bibliotheca* Jacobi Douglas *adseruantur, Londini* 1739.

Digitized by Google

1739. in 4. *die Merkwürdigkeiten der königl. Bibliothek* zu Dresden Tom. I. p. 515 sqq. 525 sqq. 536 sqq. 545 sqq. 559.

De Antonio Mancinello, veliterno, vid. quae Tom. I. p. 694 sqq. a nobis adnotata fuerunt.

De Jodoco Badio, ascensio, nonnulla protulimus Tom. I. p. 482.

CXCV.

VALERIVS MAX. Exempla quatuor & viginti nuper inuenta ante Caput de ominibus *Aldus.* in 8. folior. 216.

Editionis oppido nitidae & rarae aetas designatur in fine hisce verbis: Venetiis *in aedibus* Aldi *&* Andreae *Soceri mense Octobri M. D. XIIII.* (1514). Inter aldinas editiones sine dubio quarta est. Praemittitur illi 1) Aldi Ro. *ad* Joannem Ludbrancium Polonum *iuris peritum, ac* posnanienſem *Episcopum regique* Poloniae *a consiliis*, epistola ex prima editione desumta, scripta Venetiis Octobri Mense M. D. II. (1502). Excerpta ex illa dedit Mich. Maittaire in *Annal. typogr.* Tom. II. p. 156. not. (g). Quo tempore *secunda* editio prodierit, non satis constat. In Jo. Alb. Fabricii Biblioth. lat. Tom. II. p. 457. editio aldina memoratur anno 1508. euulgata, quam *secundam* esse existimaremus, nisi epistola Aldi ad Cuspinianum, quae 2) nostrae editioni praefixa est, Calendis Aprilibus anno MDIII. (1503) scripta in eam nos adduceret sententiam, iam eodem anno ex officina aldina editionem fuisse euulgatam, quod disertis etiam verbis adfirmat Abraham Torrenius in praefatione, quamuis neque apud Michaelem Maittaire, neque apud Joannem Alb. Fabricium illius rei exstet vestigium. Si igitur editio anni 1502. ab editione

Digitized by Google

tione anni 1503. diuersa est, *tertia* erit editio anni 1508. & nostra anni 1514. *quarta*. Inter illius praemissa 3) occurrit *Index capitum librorum* VALERII MAXIMI *nouem*. Mortuo Aldo Manucio, & Andrea Asulano socero, *quinta* in lucem emissa fuit editio, *ex aedibus haeredum* Aldi *& Andreae socerī, mense martio an.* 1534. in 8. vid. Mich. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. II. p. 806. Jo. Alb. Fabricii *Bibliothec. latina* Tom. II. p. 457. Abrah. Torrenii Praefatio.

Conf. de VALERIO MAXIMO & variis editionibus atque versionibus, C. Mitalerii viennensis *provinciae iuridici vita* VALERII MAXIMI *ad* Joan. Buffenantium, *in suprema* Delphinatium *curia Praesidem* scripta, quam Abraham Torrenius editioni suae *Leidae* 1726. in 4. euulgatae, anteire iussit, Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. latina* l. cit. & Tom. I. L. II. Cap. V. p. 330 sqq. Jo. Nicol. Funccii *de imminenti latinae linguae senectute Tractat. Marburg.* 1736. in 4. Cap. VIII. §. XII sqq. p. 493 sqq. Gerard. Joannis Vossii *de Historic.* latinis L. I. Cap. XXIIII. p. 111 sqq. Gottf. Ephraim Mülleri *Einleitung zu Kenntnis und Gebrauch der alten* lateinischen *Schriftsteller* P. V. Cap. IIII. p. 331 sqq. *die Merkwürdigkeiten der königl. Bibliothek zu* Dresden Tom. III. p. 114 sqq. & p. 29. die *Nachrichten von einer* hallischen *Bibliothek* Tom. IIX. p. 178 sqq. *Analecta* nostra *litteraria de libris rarior.* p. 1017 sqq. *Append. litterar.* Tom. I. p. 501 sqq.

CXCVI.

SENECE opera omnia, in fol. folior. 208.

Possidet editionem satis raram, qui illius descriptionem nobiscum beneuole communicauit I. B. Cramerus Bibliopola apud cassellenses honestissimus.

Index

Digitized by Google

Index opusculorum quae in volumine reperiuntur, in secunda tituli pagina, hisce verbis conceptus conspicitur:

L. ANNEI SENECAE *Epistolae ad* Paulum: *&* Pauli *ad* SENECAM.

L. ANNEI SENECAE Cordubensis *Epistolarum libri XXII. ad* Lucullum: *quod opus continet epistolas CXXIIII.*

L. ANNEI SENECAE *libellus de paupertate.*

L. ANNEI SENECAE *liber de moribus: in quo vitae mores eleganter enarrat.*

Vita L. ANNEI SENECAE Cordubensis.

L. ANNEI SENECAE *de formula honestae vitae vel de quattuor virtutibus cardinalibus libellus.*

L. ANNEI SENECAE *de remediis fortuitorum ad* Gallionem *libellus.*

L. ANNEI SENECAE *Declamationum libri decem. In quo quidem opere sunt quattuor & septuaginta declamationes.*

L. ANNEI SENECAE *de clementia ad* Neronem *libri duo.*

L. ANNEI SENECAE *de beneficiis ad* Eburtium liberalem *libri septem.*

L. ANNEI SENECAE *de Ira ad* Nouatum *libri tres.*

L. ANNEI SENECAE *de mundi gubernatione diuina providentia: & qualiter multa mala bonis viris accidunt. liber vnus.*

L. ANNEI SENECAE *ad* Gallionem *de vita beata liber vnus.*

L. ANNEI SENECAE *de Consolatione ad* Martiam *liber vnus.*

L. ANNEI SENECAE *de consolatione ad* Albinam *matrem suam liber 1.*

L. ANNEI SENECAE *ad* Serenum *de Tranquillitate vitae liber vnus.*

L. ANNEI SENECAE *ad* Serenum *quomodo in sapientem non cadit ira liber vnus.*

L. ANNEI

L. ANNEI SENECAE *ad* Paulinum *de brevitate vitae liber unus. cui continuatur alius liber de consolatione ad* Polybium *sine intervallo ex in curia famuli componentis. cuius initium est Nostra comparet: firma sunt.*

L. ANNEI SENECAE *ad* Liberalem *de studiis liberalibus liber unus.*

L. ANNEI SENECAE *Proverbia secundum Alphabeti ordinem.*

L. ANNEI SENECAE *Quaestionum naturalium libri septem.*

L. ANNEI SENECAE *Suasoriarum & controversiarum libri sex.*

Venetiis *impressa M. CCCC. XCII.* (1492) *die ultimo Octobris, Per* Bernardinum de Coris de Cremona. vid. Michael. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. I. p. 545. *die Merkwürdigkeiten der kœnigl. Bibliothek zu* Dresden Tom. III. p. 154. Omnis codex erroribus typographicis mirifice deformatus est, nullamque litteram initialem ob oculos ponit. Reperiuntur praeterea in illo multae lacunae verbis graecis, quae in SENECAE *operibus* passim occurrunt, calamo scriptorio inscribendis, destinatae. Cum Cramerus codicem, cum recentioribus conferret editionibus, illum multis in locis, ab iis discrepare; & cum iis locis, quae in *Analectis litterariis de libris variis.* p. 847 sqq. ex libello *de mundi gubernatione* & *epistolis ad* Lucilium *de vivendi ratione, Lipsiae anno* 1495. *per Arnoldum de Colonia* in 4. excusis, excerpsimus, adcuratissime conuenire deprehendit. Id quoque haec *operum* SENECAE collectio cum aliis editionibus vetustioribus seculo XV. impressis, commune habet, vt nonnulla in illa inueniantur *opuscula*, quae LVCIO ANNAEO SENECAE falso ac perperam tribuuntur. Ad eorum classem referimus LVC. AN. SENECAE *Epistolas ad* Paullum *Apostolum*, & huius *ad* SENECAM, de quibus vid. Lael. Bisciolae *Horarum subsecivar.*

Digitized by Google

Tom. I. L. XV. Cap. I. in quo *demonſtratur* SENECAE *&* Paulli *epiſtolas mutuo miſſas, eorum non eſſe* col. 1685 ſqq. Georg. Caſp. Kirchmaieri *Diſſert. de epiſtolis* SENECAE *ad* Paullum *hypobolimaeis Viteb.* 1694. in 4. Chr. Wilh. Loeſcheri *Diſſert. de epiſtolis* Paulli *ad* SENECAM *hypobolimaeis Viteb.* 1694. in 4. Chr. Franc. Paullini *Vnterſuchung ob der Apoſtel* Paulus *mit* SENECA *Briefe gewechſelt habe*, in der *verkürtzenden erbaulichen Luſt* P. III. *Francof.* 1697. in 8. p. 703 ſqq. & 905 ſqq. Jo. Alb. Fabricii *Codex Apocryphus Noui Teſtamenti Hamburg.* 1703. in 8. p. 280 ſqq. *Suaſoriarum & controuerſiarum libros* &c. qui Marcum Annaeum habent autorem. Libellus ad Liberalem *de ſtudiis liberalibus*, in recentioribus editionibus inter *epiſtolas* relatus, loco LXXXIIX. repoſitus fuit. Opuſcula *de moribus*, *& de quatuor virtutibus cardinalibus*; *de paupertate*, a Martino Archiepiſcopo braccarenſi, qui ſeculo poſt Chr. nat. VI. inclaruit, compoſita, & ſub eius nomine a viris doctis, quos nominat Jo. Alb. Fabricius in *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. XII. p. 117 ſqq. euulgata fuerunt. Conf. de Martino dumienſi, ſiue Braccarenſi, Philippi Labbei Tom. II. *de Scriptor. eccleſ.* p. 60 ſqq. Nicol. Antonii *Biblioth.* hiſpana *vetus* Tom. I. L. IIII. Cap. 3. p. 215 ſqq. aliique ſcriptores citati a J. A. Fabricio l. cit.

De hiſce, & aliis, quae in hac collectione exſtant, opuſculis SENECAE ſuppoſititiis vid. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. latin.* L. II. Cap. VIIII. p. 367 ſqq. Tom. II. p. 511 ſqq.

CXCVII.

Digitized by Google

CXCVII.

SENECA *cordubensis moralissimi* liber de moribus humane vite cum epistola MARSILII FICINI de officiis cuilibet necessaria.

Distichon ad Lectorem

Humane mores qui vult cognoscere vite
Corduba que docuit perlegat assidue.

in 4. folior. 6.

Opusculum, SENECAE homen mentiri, & a MARTINO Archiepiscopo, in Lusitania, braccarensi compositum esse, iam supra adnotatimus. Non cognitam editionem, litteris gothicis excusam, habuit Joan. Henric. Leichius, qui silentio illam praetermisit in *Annal. typogr.* lipsiens. Editorem MARTINI libellus nactus est, celeberrimum illum seculi sui, medicum lipsiensium Magnum Hund, parthenopolitanum, de quo alio loco dicemus. Epistolam ille praemisit *ad discretos & studiosos* Johannem & Paullum de Bretenbach, *germanos, artium liberalium scholares, suosque fautores, exaratam. datamque ex Barsa* Saxonum *in florentissimo studio* liptzensi *quinto & decimo Kalendas Maii nonogesimo nono* (1499.). Hoc sane anno, prima editio in lucem emissa fuerat, vid. Jo. Henr. Leichii l. cit. p. 74. Nostrae editioni typographus, coronidis loco, sua insignia, cum hisce verbis adposuit: *Impressum* Liptzk *per* Jacobum Thanner, hierbipolensem *anno quingentesimo secundo supra millesimum* (1502). Initio libelli *de moribus* hoc legitur distichon:

Mortem qui moriens vicisti Christe *redemtor*
Viuendi doceas, mores seruare beatos.

Edidit istum libellum recentioribus temporibus, cum alio eiusdem MARTINI opusculo, quod etiam SENECAE tribui solet, de paupertate, addito commentario

mentario Leodegarius a Quercu *Paris.* 1556. in 4. In *bibliotheca maxima patrum* lugdunensi Tom. X. exstat p. 385 sqq. vbi etiam hoc MARTINI legitur epitaphium:

Pannoniis *genitus transcendens, aequora vasta,*
Galliciae *in gremium diuinis nutibus actus,*
Confessor MARTINE, *tua hac dicatur in aula:*
Antistes cultum instituit, ritumque sacrorum,
Teque, patrone, sequens famulus MARTINVS *eodem*
Nomine, non merito, hic in Christi *pace quiesco.*

De MARSILIO FICINO, & eius *epistolis*, vid. quae Tom. I. *Adpar. litterar.* p. 405 sqq. in medium a nobis prolata fuerunt. Haec MARTINI libello subiecta *epistola*, ad Cherubinum Quarqualium scripta est.

CXCIIX.

Tragedie SENECE cum commento. in folio folior. 184.

In fine editionis rarissimae, quam cognitam nobis reddidit I. B. Cramerus, Bibliopola cassellensis, haec leguntur verba: *Habes amice lector commentaria in aureas* L. ANNEI SENECE *tragoedias tanto vitae bono: vt si diligenter eas perlegeris, nihil tibi conducibilius reperire possis ad bene viuendum: & ad rerum locorumque omni infariam cognitionem. Ibi sententiae graues ad instituendum vitae modum: hystoriarum fabularumque enarratio: fortunae varietas vrbium: montium: aquarum maris: & fluuiorum: regionum populorumque descriptio: verborum enucleatio: ordo textus ita simplex: vt quisque nouitius omnia facile percipere valeat: Itaque leges gratumque accipies: si minima prosequuti simus: vt tu maiora indipisci possis: vale. Cum priuilegio ne quis audeat hoc opus cum hoc com-*

Digitized by Google

mento imprimere, sub pena in eo contenta. Venetiis per Lazarum Issarda de Saliuiano *M. CCCC. LXXXII.* (1492) *die XII. Decembris.* Vid. Michael. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. I. p. 546. Eadem sine dubio editio est, quam Jo. Alb. Fabricius in *Bibliotheca latina* L. II. Cap. VIII. p. 376. & Tom. II. p. 526, haud satis adcurate *Venetiis* 1482. in fol. euulgatum esse prodidit. Sequitur illum Jo. Nicol. Funccius in Tract. *de imminenti* latinae *linguae senectute* Cap. III. §. L. Vtrumque autem falli ideo existimamus, quod neque Michael Maittaire, in *Annal. typogr.* neque alii, qui *tragoediarum* SENECAE editionum exhibuerunt indicem, eiusmodi editionem exstare adnotauerint. *Commentarii* auctor est Gellius Bernardinus Marmita, parmensis, qui epistolam dedicatoriam praefixit *ad eminentiss. ac human. DD.* Guielmum de rupeforti, *magnum Cancellarium* Franciae. Hac editione vsi fuerunt, vt ipsi fatentur, in suis SENECAE editionibus, Martin. Anton. Delrio, & Joan. Casp. Schroederus, cuius editio admodum splendida *notis integris* Joan. Fred. Gronouii, *& selectis* Justi Lipsii, M. Antonii Delrii, Jani Gruteri, H. Commelini, Josephi Scaligeri, Danielis *&* Nicolai Heinsiorum, Thomae Farnabii *aliorumque item obseruationibus nonnullis* Hugonis Grotii instructa, prodiit *Delphis apud Adrianum Beman* 1728. in 4.

Nondum extra omnem dubitationem positum est, quis decem *Tragoediarum*, quae sub L. ANNAEI SENECAE nomine circumferuntur, verus sit auctor. Vid. variae virorum criticorum hac de re sententiae in Jo. If. Pontani & Danielis Heinsii Dissertationibus *de Tragoediarum* SENECAE *auctoribus*, quas Jo. Casp. Schroederus editioni memoratae praemisit. Conf. Adrien Baillet *Jugemens des Savans* Tom. III. P. I. p. 298 sqq. Jo. Alb. Fabricii & Jo. Nicol. Funccii ll. citt. vbi etiam variae *Tragoediarum* editiones recensentur.

CXCIX.

Digitized by Google

CXCVIIII.

M. ANNEI LVCANI *Cordubensis, Poetae*: Pharsaliae, seu belli ciuilis libri: Sulpitiana interpretatione explanati. Jamque denuo longe accuratius reuisi.

Epigramma ad Lectorem.

Argutos quicunque optas haurire poetae
Sensus: quem clarum Corduba docta tulit:
Siluano te fonte laues: nam certus abibis.
Nec noſces libyco pro Garamante Arabas:
Nec poteris poſthac errore fatiſcere vano:
Foecundo quoties pectore prompta leges:
Quare opus hinc poſito faſtu rogo pellege lector
Nam lecto dices doctius eſſe nihil.

in 4. folior. 212.

Editionis satis infrequentis, nullam prorsus Michael Maittaire in *Annal. typographic.* fecit mentionem, a Joanne Alb. Fabricio tamen memorata fuit L. II. *Biblioth. latin.* Cap. X. p. 382. & a Jo. Nicol. Funccio in *Tractat. de imminenti latinae linguae senectute* Cap. III. §. XLIII. p. 133. In fine illius eiusmodi legimus verba: *Opera* Joannis Brüſz, *chalcographi* argentini *hoc inſigne* LVCANI pharſalicum *opus*: Jo. Sul. (Joannis Sulpicii) *interpretamentis illuſtratum, rurſus ſtudioſiſſime exactum XVI. Kal. April. Anno Salutis MCCCCCIX.* (1509).

Joannes Sulpicius, a patria Verulo, verularius dictus, cuius *commentaria* heic leguntur, exeunte seculo XV. floruit, & litteras humaniores Romae docuit. LVCANVM *cum* eius *commentario* primum prodiiſſe *Venetiis* 1493. in fol. teſtatur Franc. Oudendorpius in praefatione LVCANI *Lugduni Batau.* 1728. in 4.

editi praemissa. In fine editionis admodum rarae haec legi verba: *Exactum hoc insigne atque praeclarum opus* LVCANI *cum* Jo. Sulpitii verulani *viri doctissimi commentariis a proprio originali extractis: Nec non* Omnibonii vicentini *diligentissime emendatis.* Venetiis *impressum per* Simonem Beuilaquam Papiensem *anno salutis Christianae M. CCCC. XCIII. die vero vltimo Januarii*, testantur *die Merkwürdigkeiten der königl. Bibliothek zu* Dresden Tom. II. p. 441 sqq. vbi etiam paullo fusius illa editio describitur. Conf. Michael Maittaire *Annal. typogr.* Tom. I. p. 561. Ceterum iste Ioannes Sulpicius omnium primus fuisse dicitur, qui Comoedias agere & cantare romanam iuventutem docuerit, cum a multis seculis, eiusmodi spectacula, Roma non vidisset. Ipse id testatur in epistola, qua Raphaeli Cardinali Riario, R. E. Camerario, Vitruuii editionem, a se, curatam dedicat, vbi inter alia haec leguntur verba: *Tu enim primus Tragoediae quam nos iuuentutem excitandi gratia & agere & cantare primi hoc aeuo docuimus, nam eiusmodi actionem iam multis seculis* Roma *non viderat, in medio foro pulpitum ad quinque pedum altitudinem erectum pulcherrime exornasti: eandemque postquam in* Hadriani mole, *diuo* Innocentio *spectante est acta, rursus intra tuos penates tanquam in media Circi caua toto consessu, vmbraculis tecto admisso populo & pluribus tui ordinis spectatoribus honorifice excepisti. Tu etiam primus picturatae scenae faciem, quum* Pomponiani (Academiae, Pomponii Laeti, romanae sodales) *comoediam agerent, nostro seculo ostendisti: quare a te Theatrum nouum, tota vrbs magni votis expetiat.* &c. Vid. Claud. Franc. Menetrier *des Representations en Musique anciennes & modernes Paris* 1687. in 12. p. 155 sqq. P. Baile *Dictionaire historique & critique* Tom. IIII. p. 2677. not. A. Eminentiss. Cardinalis QVIRINI *Specimen variae litteraturae* brixiensis Tom. I. p. 122 sqq. Quantae vero haec Vitruuii editio, quae sine loci & anni indicio in lucem prodiit, & in Biblio-

Digitized by Google

Bibliotheca mazariniana olim exſtirit, ſit raritatis, litterae docere poterunt, quas Mr. du Francaſtel, Bibliothecae mazarinianae cuſtos, ad Petrum Baile, hanc ob cauſſam ſcripſit. Vid. P. Baile *Dictionaire* l. cit. Adiicitur illi editioni Sexti Julii Frontini, *viri conſularis, de aquis, quae in vrbem influunt, liber mirabilis.* Vitruuius inchoatur cum Joannis Sulpicii epiſtola *ad lectorem*, quae hiſce initium ducit verbis: Jo. Sulpitius *Lectori ſalutem Cum diuinum opus* Vitruuii &c. Omnium autem hanc editionem eſſe primam patet ex eiuſdem Sulpicii epiſtola ad Riarium memorata, vbi ait: *Collatis enim multis id genus libris, & in primis vno noſtri* Delii *manu, ſatis adcurate perſcripto, cum mihi laborem aſſumſi, vt —— redderem vnum imprimendorum archetypum adeo emendatum, vt paruus labor cuiuis alteri eiusdem rei ſtudioſo relinqueretur —— primus hoc in ſtadio curro* &c. Et paullo ante ab initio ſtatim, *cum diuinum opus*, inquit, Vitruuii *non modo ſtudioſis, ſed reliquis hominibus, ſi in exemplaria innumera diffunderetur, multum conferre poſſe animaduerterem, ceſſantibus id agere aliis vt puto, in melioribus occupatis, quod diu multumque ad publicum vſum deſideraui, ipſe tandem effeci* &c. Sine dubio editio *Romae* anno 1486. lucem vidit, cum bellum ſedente Innocentio IIX. a Romanis geſtum, cuius exitus in dedicatione, veluti res nouo commemoratur, eodem anno exſtinctum, paxque die XII. Auguſti compoſita fuit. Alliquot annis recentiorem exiſtimat editionem eminentiſſimus QVIRINVS l. cit. cum in epiſtola dedicatoria, plura per Innocentium geſta, nimirum Praetorium ſuburbanum peractum, Campus Florae, & Circus flaminius lateribus ſtrati, & poſt omnia, Gymnaſii romani magnifice exſtruendi conſilium initum indicentur, quae ſimul ſumpta poſtremos potius, quam primos pontificatus Innocentii IIX. annos deſignare videantur. Praefuit autem iſte Pontifex ſedi apoſtolicae ab anno 1484. ad annum vſque 1492. Omnium optime editionem

Digitized by Google

rariſſimam deſcripſit Joannes Polenus in libro qui hoc prodiit titulo: *Exercitationes* vitruuianae *primae, hoc eſt* Joannis Poleni *Commentarius criticus de* M. Vitruuii Pollionis *architecti X. librorum editionibus, nec non de eorumdem editoribus, atque de aliis qui* Vitruuium *quocunque modo explicarunt, aut illuſtrarunt. Additae ſunt exercitationes* vitruuianae *ſecundae, hoc eſt,* Joan. Baptiſt. Morgagni, *in* patauina *academia, rei anatomicae Profeſſoris primarii, & Praeſidis reg. Scient. Societ.* pariſin. *&* londinenſ. *ſodalis, nec non Socii Acad. Imper.* petropolit. *Epiſtola, in qua agitur de quodam* Vitruuii *loco, ad rem medicam adtinente.* M. Vitruuii Pollionis *vita deſcripta, a* Bernardino Baldo, vrbinate, *cum Annotation.* Joannis Poleni. *Anonymi ſcriptoris Compendium Architecturae* Vitruvii, *cum Annotat.* Joan. Poleni, *Patauii typis ſeminarii apud Joan. Manfrè* 1739. in 4. form. mai. Conf. de Joanne Sulpicio, praeterea, quae P. Baile, eminentiſſ. QVIRINVS, Jo. Polenus ll. citt. prodiderunt, Chriſt. Schoettgenii *Continuat. Biblioth.* fabrician. *med. & infim. Latinit.* L. XIIX. p. 604.

CC.

MARCI ANNEI LVCANI *poetae ac oratoris clariſſimi* pharſalia: cum familiari atque perlucida annotatione petri de ponte coeci brugenſis qua ſingularum lectionum ſententiae: vel minimis hiſtoriographiae ac poetices tyrunculis facile enoteſcunt. *Venundantur in vico diui Jacobi ad interſignium ſancti Martini* in 8. folior. 386.

Michael Maittaire Tom. II. *Annal. typograph.* p. 233. & 239. & Franciſcus Oudendorpius, in praefat. LVCANI, iam obſeruarunt, rariſſimam hanc editionem, ſingulari plane litterarum charactere, excuſam,

Digitized by Google

cusam, & nullis fere distinctionibus insignitam esse. Certe fatemur, non alium librum, huiusmodi mirabilibus litteris exscriptum, oculis nostris vnquam fuisse subiectum. Mich. Maittaire l. cit. *typos exiles italicos* nominat, & solum Guilielmum le Rouge illis fuisse vsum obseruat. Textus LVCANI litteris maiusculis, Petri de Ponte vero *adnotationes* litteris minoribus expressae sunt. Epistolam libro praemissam, singulari prorsus stilo exaratam, huic adponimus integram:

Petrus, de Ponte *Coecus* brugensis *perspicaci viro domino* Rogerio Balmó *inuictissimi regis* francorum *caustico in* Jesu *qui via vita & veritas est S. P. D.*

Plusculos vbinc dies aequissime rerum moderator: vbi cordubee *sraturiginis eiusce modi profluuio demersus: vix tandem nec nisi multo cum cortice nando ebullissem: ac tutem echinulos gremio gestans per orbitarium salebras erabundus discurri: animo crebrius volvens: quinam potissimum haec nostra sagenatiuncula (vbi in huius palmigeri paschatis Xeniolo) conferri posset: demum vicinis opido quam anhelantem tui vivarii nelierem piscium copia habundantis recordatio subiit: nec mora: tuis finibus aduaceos (vt vna cum tuis finionibus quos delphinas appellant educentur) cassicula nostra profudit: aenichmatisten ago: quod mihi plus quam oedipodes enotescis. Licet autem (cum ad te haec frivola* ciculis (siculis) *gerris vt aiunt maniora mittam) argutis oloribus ancar opstrepete:* Melisgenem Godrus *affari: & Apollinis in aurem sus gruuire merito censem: temeritatis tamen vicio veniam impartitum iri (quo forsan impudentior sim) expostulare ausim: quamquam enim tuae claritudinis fulgorem cbiueriis obuolutus tenebris intueri vsurpo: ipse tamen (ita mihi dii prospere faxint) nec* Marsiae *insolentem audaciam; nec* Narcisi *arrogantinsculos fastus comminiscor: quando quidem cornicum lumine prae-*

praefigi: ſexagenarioſque de pontibus abiici nepharium eſt: tu vero noſtras prope miſſelaneas lucubrationes: creta & carbone non nihil momo *perſpicacius notare potes: vtpote qui* Gordii *nodes quotidie reuincis: laberinthi inextricatus ambages reliquis ſecutientibus reſeras: nec ſecus tua atque* delphici *patris oracula: omnium auribus vulgo precioſe hauriuntur. Sed quid de* Carthagine *cyclicus?* Lycurgi *indagines:* Socratis *olympiſcita:* Platonis *phraſes:* Demoſtenis *facundiae:* Catonis *cenſa: denique &* Tullii *& omnium qui* Pallados *vbera medulius lactuerunt acrimoniae in te vno pariter recondita creduntur. Quicquid ergo penſi hoc noſtro labore exanclatum eſt: tui nominis admirandae ſublimitati totum dedicatur: hilarata manu ſuſcipias: vigilante oculo perlegas: & amico pectore ad amuſſim examines obſecro. Noſtra haec commentariola non tibi ſed neotericis minerue tyronibus duntaxat accommoda: ſuſque deque ferre potes ingenue fateor vt qui* Minoe *criticior.* argo *vigilantior:* & ſolone *moderatior: nuſquam non habearis ſed quod verum proclioſitati detrahitur. fido animi deſiderio compenſari equum eſt. non enim lucubratiunculam hanc tantum ſed & ipſum cordis penetral: & eo ſiquid amabilius eſt. totum tibi dedo. Ad Mecenatis gloriam proximus: ſi in me naſturciam ederis accedes. Veliti parmam: & arcui torquem adipiſci tua commendationis opera facile poſſis. Vale in cruce domini noſtri* ieſu Xpi. *in qua nos gloriari oportet.*

Petrus de Ponte, ſiue Ponganus, brugenſis, ab oculorum vitio *caecus* adpellatus fuit. Lutetiae Pariſiorum initio ſeculi XVI. claruit, & *in media ſeculi ſui barbarie*, vt Franciſcus Foppens in *Biblioth.* belgica Tom. II. p. 1003. adfirmat, *clarum nomen fecit.* Conf. de illo, & ſcriptis eius Joſ. Simleri *Bibliotheca* p. 564. Jo. Alb. Fabricii *Bibliotheca med. & inſim. Latinit.* L. XV. p. 805. Recenſuimus ſupra p. 841. collectionem opuſculorum poeticorum, in qua illius *carmen de abitu & reditu pacis, ad* Robertum du Gaſt

Digitized by Google

Gaſt coquerlticeae *porticus moderatorem*, ſcriptum exſtat. Titulo LVCANI, adpoſitum eſt inſigne typographicum Dionyſii de Roce, cum lemmate: ALAVANTVRE. TOVT. VIENT. APOINT. QVI. PEVT. ATENDRE. DENIS. ROCE. Cuilibet Pharſaliae libro, *argumentum* praemittitur ſulpicianum. In fine Pharſaliae, Sulpicii occurrunt verſus, quibus LVCANI opus perfectum reddere ſtuduit, nec non eiuſdem *querela de poetae opere imperfecto*. Illius in fine haec typographi leguntur verba: Parrhiſiis *elaboratum calendis aprilibus. M. D. XII.* (1512) *per* Guilelmum le rouge *eximium calcographum: expenſis vero* Dionyſii Roce *academide* parrhiſiorum *bibliopolae iurati in vico ſancti Jacobi ſub diui Martini effigie commorantis.*

Conf. de LVCANO & variis Pharſaliae editionibus, *Vitae* eius *fragmentum*, quod ex Suetonii libro *de claris poetis* deſumtum videtur; Anonymi, Pomponii Inforunati, Joan. Sulpicii verulani, Phil. Beroaldi, Michaelis Maittaire aliorumque *vitae* LVCANI quae variis editionibus praemittuntur, Jo. Alb. Fabricii *Bibliotheca latina* L. II. Cap. X. p. 378 ſqq. Tom. II. 528 ſqq. Jo. Nicol. Funccii *de imminenti latin. linguae ſenectute Tractat.* Cap. III. §. XXXIII ſqq. p. 116 ſqq. Adrien Baillet *Jugemens des Sevans* Tom. III. P. I. 276 ſqq. Fr. Mar. Arrouet de Voltaire *Eſſai ſur la poeſie epique* Chap. IIII. in *Oeuvres* Tom. I. edit. *Dreſd.* 1748. in 8. p. 321 ſqq. Eminentiſſimi Cardinalis A. M. QVIRINI *Specimen variae litteraturae* brixienſis P. I. p. 114 ſqq. *die Merkwürdigkeiten der koenigl. Bibliothek zu* Dreſden Tom. II. p. 449 ſqq. Omnium princeps & rariſſima eſt editio, quae cum epiſtola Joannis Andreae epiſcopi alerienſis ad Paullum II. Pont. max. & Pomponii Inforunati *vita* LVCANI *Romae* 1469. in fol. eaulgata fuit. In fine illius leguntur verba, quae a typographis & aliis veterum auctorum editionibus,

Digitized by Google

quas ex sua officina typographica in lucem emiserunt, addita fuerunt:

Hoc Conradus *Opus* Sweynheim *ordine miro*
Arnoldus*que simul* Pannarz *vna aede colendi*
Gentis Theotonica Romae *expediere sodales*
In domo Petri de Maximo
MCDLXIX.

Dedit editionis descriptionem adeuratam & elegantem eminentissimus QVIRINVS in *Appendice ad* Michael. Canensii *vitam* Paulli II. §. XIIII. p. 200 sqq. Conf. Mich. Maittaire *Annal. typograph.* Tom. I. p. 282. Cum Julius Caesar Scaliger *latrare interdum non canere* sibi videri diceret LVCANVM, & filius Josephus Scaliger illum adeo contemneret, vt vix ei *medium locum fortasse nec subsellia quidem in penetralibus poetices* relinquaret, multaque in carmine suo, illum protuliſſe adfirmaret, quae summam in ſcientiis mathematicis proderent ignorantiam, tres contra illum insurrexerunt viri, qui LVCANVM contra eius insultus strenue defenderunt. Edidit nimirum Franciſcus Inſulanus, *mathematicam pro* LVCANO *apologiam aduersus* Josephum Scaligerum, *carmine scriptam*, *Pariſ. apud Ioan. Richerium* 1582. in 4. in qua LVCANVM non ſolum vt ſummum poetam, ſed etiam vt praeſtantiſſimum aſtrologum & geographum miratur. Ipſe ille ſine dubio *mathematicus & poeta eſt*, in quem Joſephus Scaliger in *prolegomenis* in Manilium vehementer detonuit. Alter fuit Petrus Jacobus, hiſpanus, *acerrimi* vt ab ipſo Scaligero vocatur, *iudicii vir*, quem *felici & commoda paucorum uerſuum, in proprium locum reuocatione*, ſententiam LVCANI explanaſſe, & ſic eius loci reprehenſionem, quam in ſua Manilii *περιοδικῇ*, publicauerat, facile eluiſſe Scaliger dolet. Tertius denique eſt Jacobus Palmerius a Grentemeſnil, cuius *κρίσιν ἐπιχείρημα*, *ſiue pro* LVCANO *Apologia*, *e ſcriniis* Jani Berkelii, Abr. *fil.* cum aliis diuerſorum auctorum *ſimilis argumenti*

menti opusculis in lucem edita fuit *Lugduni Batavor.* 1704. in 8. Inseruit posteriorem *Apologiam* LVCANO suo Francisc. Oudendorpius p. 911 sqq.

CCI.

AVLI FLACCII PERSII *Poetae* Satyrarum opus, cum commentariis Joannis Britannici Brixiani, in fol. folior. 48.

In editionis litteris gothicis exscriptae, & oppido rarae fine haec legi verba: *Impressum* Venetiis *per* Bartholomeum Venetum de vagazonibbus *Regnante inclyto principe domino* Augustino Barbadico. *Anno natiu. domini M. CCCC. LXXXXII* (1492) *die XVII. Januarii*, nobis adfirmauit, cassellensium bibliopola I. B. Cramerus, iam semel iterumque nominatus. Iuvenem adhuc fuisse Joannem Britannicum, cum haec in PERSIVM *commentaria* conscriberet & in lucem ederet, verba testari videntur, quae in fine epistolae dedicatoriae, *ad Senatum populumque* brixianum leguntur: *Non dubito, quin, si* Horatii *praeceptum secutus fuissem, qui in arte poetica suadet, editionem non esse praecipitandam, sed nonum premendam in annum, plura a me & addita fuissent, & mutata. Festinantius itaque editionem maturaui, quam erat in animo, veritus, ne id mihi viuenti accideret, quod mortuo nuper accidit* Palaemo *municipi meo, viro singularis doctrinae, qui quum in Officia* Ciceronis & Valerium Maximum *non minus diserte quam sapienter quaedam scripsisset, eadem, morte praeuentus edere non potuit, quae ab iis excepta, qui gloriam alieno partam labore, & periculo in se libenter transferunt, supprimuntur, vt successu temporis ipsi pro suis edant, iniuriam profecto* Palaemi *manibus facturi maximam.* Epistolam Joannis Britannici integram, ex *brixiana* editione *per* Magistrum

strum Gabrielem Tarulsinum & Paullum *eius filiums*, anno 1481. magistratibus vrbis *magnifico* Benedicto Priolo, & *Magnifico* Honfredo Iustiniano, euulgata transscripsit, & lectorum oculis subiecit eminentiss. QVIRINVS in *specimine variae literaturae* brixiens. P. I. p. 128 sqq. Sine dubio editio *brixiana* PERSII anni 1481. omnium prima est, quae Joannis Britannici *commentarium* comitem habet. Michaelis Maittaire illa notitiam effugisse videtur, qui non vetustiorem ann. 1486. *typis Jacobi Britannici* in fol. excusam editionem *brixianam* adtulit. Quae vero ratione Joannis Britannici dedicatio, a Senatu populoque nobilissimae ciuitatis brixiensis excepta fuerit, ipse Britannicus in epistola, ad Comitem Petrum Gambarensem, *interpretationi in* Achilleida Statii, praemissa, hisce prodidit verbis: *Illiberalis esse censeo, & sordidi ingenii, sibi ipsi tantum sapere, nec ad alios (cum id semper liceat) virtutis semen transmittere. Itaque consilii mei rationem secutus, cum inter poetas, quorum editio plerumque solet esse cum obscura, tum varia, & multiplex, animaduerterem Satyris* PERSII volaterrani *hominum institutioni nihil accommodatius, vtpote qui vitii turpitudinem mira carminis acerbitate detestetur, virtutem extollat, animos hominum ad eam assequendam erigat, statui, noua commentatione eius carmen explicare: quod quidem tanta diligentia, ac studio fecimus, vt cum altero anno ipsos commentarios edidissemus, splendidissimus Senatus noster* brixianus, *cuius dignitati opus consecrauimus, tam benigne labores nostros probauerit, tamque munifice acceperit, vt industriae hactenus meae poenituerit. Scio enim me in eo opere interpretando multa quidem aperuisse, quae aetate nostra alii literarum nostrarum studiosi grauioribus forsasse studiis occupati, vel certe neglexerunt, vel, si assecuti sunt, non prodiderunt* &c. Conf. eminentiss. QVIRINI *specimen var. literatur.* brixiensis l. cit. p. 134. & p. 138. Minime autem Joannes Britannicus hominum quorundam malorum inuidiam & animaduersionem effugere

effugere potuit, qui *Commentaria in* PERSIVM & Statium, alterius viri docti labores, & Britannicum plagiarium esse contenderunt. Ipse hac de re queritur in epistola & ad Marcum Cuilem, brixianum, quam *grammaticae latinae, ad institutionem* Darii Hippolyti & Pomponii *filiorum suorum* compositae & *Brixiae per Angelum & Jacobum Britannicos fratres* anno 1493. impressae praefixit —— *semper probos*, ait, *Scriptores comitatur invidia, & iniquitas. Quid enim scelestius iis iudices, qui non ex re, sed ex ulcerato & malis vennis imbuto stomacho alienos labores aestimant? Iniquissimi omnino est animi, eorum velle industriam deprimere, qui, etsi forte minus feliciter, quam optime tamen possunt, operam dant, vt publicitus bene consultum sit. Quibus quidem incommodis, quum pleroſque scriptorum, & nostris & priscis temporibus agitatos fuisse animaduerterem, putaui ego aequiori animo fortunam quam ferendam, si & aliquando mihi in huiusmodi studiis multa exstitissent aduersa. Tam multi enim editione Commentariorum nostrorum cum in* PERSIVM, *tum in* Achilleida Papinii *offensi sunt, vt nihil vnquam mihi molestius fuerit, quam falsos eorum rumores audire, quos adeo imprudenter distulerunt, vt quum nihil, aut parum haberent, quod in illis reprehenderent, neque (vt iniqui sunt) vellent probare, non dubitauerint nefarii luscii, omni deuorato pudore, me furem appellare, & detitare de meo, nihil prorsus dedisse, vt quum ipse neque ingenium vllum, neque vllum nominis splendorem vnquam habuissent, maledicendo meum quoque, si possent, obscurarent. &c.* Vid. eminentiss. QVIRINI *Specimen variae litteraturae* brixiensis P. II. p. 10 sqq. Conf. de Joanne Britannico, qui anno 1510. in patria, vrbe brixiensi defunctus dicitur, Jo. Trithemius *de Scriptor. ecclesiastic.* cap. DCCCLXXXVIIII. p. 212. Jos. Simleri *Bibliotheca* p. 348. Christophor. Hendreich *Pandectae* brandeburg. p. 738. Girol. Ghilini *Teatro d' huomini letterati* Tom. I. p. 78. Lionardo Cozzando *Libraria* bresciana P. I. p. 155. Pierre Baile

Dictio-

Digitized by Google

Dictionaire historique & critique Tom. I. p. 663. Jo. Alb. Fabricii *Bibliotb. med. & infim. Latinit.* L. VIIII. p. 169.

CCII.

PAVLI FLACCI PERSII *Poete* satyrarum opus in 4. folior. 22.

Quo tempore editio litteris gothicis impressa prodierit in lucem, non constat, illam tamen Lipsiae ex officina Martini herbipolensis euulgatam esse, insignia typographica, coronidis loco adposita testantur.

CCIII.

PERSII FLACCI *nobilissimi Satyrici* vnicus sed elegantissimus satyrarum liber.

Hermanni Buschii Pasiphili Epigramma quo PERSIVM loquentem inducit.

Ne contemne mei: parua hec monumenta: libelli,
Sed quibus ingenii tamen & artis: inest.
Non semper par est virtus & gratia magnis
Corporibus: sed plus saepe minora valent.
Vulture sic auido longe est preciosior Attis.
Sic & ab Aeoo Psittacus orbe datus.
Surculaque Assiria vincunt stillantia gutta
Sic ornos steriles populeasque trabes.
Sic gemma in digitis fuluo gestatur & auro
Spreta rigent crasso cum tibi saxa luto.
Ergo age primitias nostrae (studiose) iuuentae
Sint quamuis modicae, tu tamen ore lege.

in 4. folior. 16.

In

In fine editionis typorum characterе romano expressae, neque a Michaele Maittaire, neque a Joan. Henrico Leichio memoratae, haec leguntur verba: *Ex officina* Melchioris Lotteri. *Anno a reconciliata diuinitate. M. CCCCC. XVI.* (1516). Prior editio, ex eadem officina prodierat an. 1507. in fol. vid. Jo. Henr. Leichii *Annal. typogr.* lipsiens. p. 86.

In variis PERSII editionibus, variae etiam inueniuntur *vitae* PERSII descriptiones. Ob *vitam* PERSII, quae ab aliis Suetonio, ab aliis Valerio probo tribui solet, inter viros criticos diu multumque disputatum fuit, quonam illa auctore fuerit composita. Jo. Jacob. Breitingerus in *exercitatione critica in vitam* A. PERSII FLACCI, quae exstat in Jo. Georg. Schelhornii *Amoenitat. litterar.* Tom. X. p. 1103 sqq. argumentis ostendit haud proletariis, *vitam* illam, Suetonio indignam, veteri potius PERSII scholiastae, quem vel Cornutum vel Probum adpellant, merito tribuendam esse. Conf. *Remarques de Mr. le Président* Bouhier *sur la Dissertation Critique in vitam* A. PERSII FLACCI ap. eundem Schelhornium l. cit. p. 1133 sqq. Legi etiam merentur Bartholom. Pontii, Joan. Britannici, Jo. Bapt. Plautii, Anton. Foquelini, Philippi Argelati, Jo. Daniel. Heyden *vitae* PERSII, quae variis *Satyrarum* editionibus, & versionibus praemittuntur. Caspar. Masso *della vita, origine e patria di* AVLO PERSIO FLACCO, *Osseruazioni e racconto, in Genoua per Pietro Giov. Calenzani* 1667. in 4. Ludouico Aprosio *della patria d'* AVLO PERSIO FLACCO *Dissertatione, cavata dal Libr. I. delle hore pomeridiane* del medesimo. *Genoua* per medesimo 1664. in 4. Giacinto Vincioli *Lettera intorno alla patria di* PERSIO, *ed altre cose*, in *Raccolta d' Opuscoli scientifici e filologici* Tom. XIII. p. 181 sqq. Georgii Nicol. Kriegk *Dissertatio de* A. PERSIO FLACCO *Poeta satyrico Jenae* 1701. in 4. Jo. Alb. Fabricii *Bibliotheca latina* Lib. II. Cap. XII. p. 393 sqq.

Digitized by Google

Tom. II. p. 550 sqq. Jo. Nicol. Funccii *Tractat. de inuentori latinae linguae senectute* Cap. III. §. XXI sqq. p. 100 sqq. Adrien Baillet *Jugemens des Savans* Tom. III. P. I. p. 271 sqq. P. Baile *Dictionaire historique & critique* Tom. III. 2262 sqq. eminentissimi Principis A. M. Cardinal. Bibliothecar. QVIRINI *Specimen variae litteraturae* prixiensis P. I. p. 125 sqq. *die Merkwürdigkeiten der königl. Biblioth. zu* Dresden Tom. I. p. 526. Tom. III. p. 170. 172 sqq. 179 sqq.

CCIIII.

SOLINVS de memorabilibus mundi diligenter annotatus & indicio alphabetico prenotatus, in 4. form. minor. folior. 44.

Non ipsi vidimus editionem litteris gothicis excusam, sed notitiam illius, Anonymo bibliophilo cassellensi, grati referimus acceptam. In fine illius haec pauca occurrunt verba: *Impressum* Spire *Impens.* L. H. M. D. XV. (1515). Ad editionem ascensianam, illam excusam esse, Jodoci Badii testari videtur epistola quam in fronte gerit:

Jodocus Badius Ascensius *Magistro* Joanni de Falce *viro litteratissimo ac prudentissimo ciuiumque* Gandauorum *optimo Salutem plurimam dicit.*

Cum tue me dignitati amicorum prestantissime plurima debere inn pridem cognoscerem gauisussum quantulumcunque grati animi significationis faciunde occasionem obuenisse. Siquidem noui ingenium tuum argutissimarum rerum capax. Noui studia antiquissimarum & penitus abstrusarum indagatricia. Proinde cum L. IVLIVS SOLINVS *rerum memorabilium promus refertissimus in manus veniisse calcographis dandus tam mundus, tamque inuersus vt ab alio nemine preterquam a sci-*

Digitized by Google

a seipso signa ab inferis revocari possit instaurari atque conuerti posse videretur: apposui tamen: quo tibi complaceam: manus: opeque chirurgica membrorum resecti multa: direxi in pristinam formam plurima: resecui autem: quod nondum putrefacta aut sacro igni correpta videbantur nulla. Addidi autem marginibus annotamenta, & fronti non aspernandum indicem. Quam opellam tuo nomini nuncupatam in partem accipias bonam rogamus. Vale ex officina nostra litteraria ad idus Julias. Anni M. D. XII. (1512). Neque editionis *parisiensis* an. 1512. neque *spirensis* an. 1515. Michael Maittaire notitiam quamdam habuisse videtur.

Auctores, qui de SOLINO, & variis libri *de mirabilibus mundi*, editionibus exposuerunt, nominauimus Tomo I. p. 121 sqq.

CCV.

IVVENALIS cum tribus commentariis videlicet Domitii Calderini, Georgii Merulae, nec non Georgii Vallae, in fol. folior. 146.

Quo tempore editio, charactere litterarum romano exscripta, in lucem exierit, non constat. Si coniecturae locus fuerit, id posterioribus seculi XV. annis, aut initio seculi XVI. factum esse existimaremus, cum passim litteris illa ornata est florentibus, & in notis, nonnulla auctorum graecorum loca, characteribus graecis expressa conspiciuntur. Loci & typographi mentio hisce verbis in calce mentio facta est: *Impressum* Venetiis *per* Symonem biuilaqua Papiensem, Adnotauit editionem Michael Maittaire in *Annal. typograph.* Tom. I. p. 758.

De IVVENALE iam supra p. 769 sqq. nonnulla dicta fuerunt, quae videsis.

Digitized by Google

Hiſtoria Domitii de Calderiis ſiue Calderini, multis adhuc difficultatibus obnoxia eſt. Alii enim cum Paullo Iouio in *Elogiis doctor. viror.* p. 51. Calderiam, (*Caldiero*) veronenſis agri oppidum, calidis aquis nobile, Domitium protuliſſe, alii cum Scipione Maffeo Hetruſcorum Marchione doctiſſimo Torae ad lacum benacenſem (*Tory nel' lago di guarda*) illum eſſe prognatum exiſtimant. Extractu autem veronenſi illum eſſe oriundum, extra omnem dubitationem poſitum eſt, cum ipſe, in ſcriptis ſuis, ſe adpellauerit veronenſem. Auctores de' *Giornale de' letterati d* Italia Tom. XIII. p. 454. & Bernardus de la Monnoye in *Remarques* ſur les *Jugemens des Savans* d' Adr. Baillet Tom. II. P. I. p. 354. illum proprio nomine Dominicum adpellatum, nomen vero, more illorum temporum vitatiſſimo, ab illo, in Domitium eſſe mutatum ſcribunt, id quod Scipio Marchio Maffei, quo neſcimus fundamento, in Verona *illuſtrata*, negat. Inter criticos ſui ſeculi, inſignem occupauit locum, & iam anno aetatis XXIIII. a Paullo II. pontifice, Romam arceſſitus fuit, vt linguam ibi profiteretur graecam, a Sixto autem IIII. Secretarius apoſtolicus conſtitutus fuit. Cum hominibus ſui ſeculi criticis, & in primis cum Angelo Sabino, quem Fidentini nomine perſtringit, Angelo Politiano, Nicolao Perotto, quem Brotheum adpellat, grauiſſimas exercuit inimicitias, & oblata quauis occaſione, vehementer in illos inuectus eſt. Exſtant illius rei luculenta ſpecimina in eminentiſſ. QVIRINI *Specimine variae litteraturae* brixienſ. P. I. paſſim, praecipue p. 149 ſqq. Conf. Paull. Jouii *elogia doctorum virorum* l. cit. vbi hac ratione de illo ſcribit: *Eum acri flagrantique ingenio ad gloriam anhelantem* Beſſarion *Cardinalis excepit, & extulit. Exinde, quum* Romae *profiteretur & obſcura ſenſa duriorum poetarum admirabili reconditae lectionis teſtimonio, dilucidaſſe litterarii ſplendoris aſſertor, ac omnis obſcuritatis illuſtrator acclamatus eſt. Verum editis interpretationum commentariis, peracerbas,*

ſed

Digitized by Google

Sed iuuentuti maxime vtiles, cum aemulis simultates exercuit. Ambitioso quidem, & nimis aculeato dicendi genere ex aliena inscitia (dum intemperanter perstringit atque remordet) nomen quaerens, eo modo, aetate, laudeque florentem, sed imbecilli stomachi temperaturam nimiis lucubrationibus exterentem: quum digna multis seculis opera conciperet, rapida febris eripuit. Celebrante funus academia, nobilis iuuentus cum lachrymis vestem mutauit: mortem vero vel aemuli, & principatum adfectantis, Politianus *his carminibus prosequutus est:*

Hunc Domiti *siccis tumulum qui transit ocellis,*
Vel Phoebi *ignarus, vel male gratus homo est.*
Intulit hic vatum caecis pia lumina chartis,
Obstrusum ad Musas hic patefecit iter
Hunc Verona *tulit, docti patria illa* Catulli:
Hunc letum atque vrnam Roma *dedit iuueni.*

Eiusdem Scazon

Asta viator, pulucrem vides sacrum
Quem verticosi turbat vnda Benaci
Hoc mutat ipsum saepe Musa Libethron,
Fontemque Sisyphi, *ac vireta* Permessi,
Quippe hoc Domitius *vagit solo primum,*
Ille, ille doctus, ille quem probe nosti
Dictata dantem Romulae *iuuentuti*
Mira eruentem sensa de penu vatum.
Abi, Viator, sat oculis tuis debes.

E viuis ereptus dicitur admodum iuuenis, anno 1477. quo vero mortis genere, & quo aetatis anno, id factum fuerit, inter scriptores nondum conuenit. Alii cum P. Iouio l. cit. illum febre correptum, alii cum Raphael. Maffeo volaterrano *Commentar. vrbanor.* L. XXI. fol. CCXXIII. edit. *ascens.* 1511. ex pestilentia decessisse scribunt. Idem prodit Lucii Phosphori, Episcopi signiensis Epigramma

Te scelerata lues sexta trieteride nondum
Bis, Domiti, elapsa mittit ad elysios.

Digitized by Google

Raphael Volaterranus l. cit. & Leander Alberti in *Descriptione* Italiae p. 722. eum aetatis anno XXX. alii XXXII. & alii denique XXXIIII. mortuum esse contendunt. Vid. P. Baile *Dictionaire historique & critique* Tom. I. p. 719. not. D. Niceron *Memoires* Tom. XXX. p. 75. qui illum cum Scipione Maffei, ab impietatis suspicione, in quam ex aduersariorum calumnia veniisse scribunt, liberare studuit. Conf. de illo praeter scriptores iam nominatos, Jo. Trithemii *de scriptor. eccles.* Cap. DCCCXXXIIX. p. 200. Jos. Simleri *Bibliotheca* p. 174. Casp. Barthii *Animadverss. ad* Statii L. V. Silu. III. p. 483. Jos. Alb. Fabricii *Bibliotb. med. & infim. Latinit.* L. III. p. 883 sqq. L. V. p. 165 sqq.

Georgius Merlani, Alexandrinus statilienſis, abiecto patrio cognomine, Merulam se nominari maluit, & origine romanum finxit, qua re effecit, vt viri quidam docti, satyris & scommatibus illum peterent. Eminet inter illos Gabriel Pauero-Fontana, qui edidit scriptum nostra aetate rarissimum, hoc insignitum titulo: *Ad* Bernardum Justinianum *Senatorem* venetum Gabrielis Pauери Fontanae placentini, *in* Georgium Merlanum Merulam *Merlanica prima*, *Mediolani* 1481. in 4. Natus dicitur circa annum 1420. & quadraginta amplius annos, cum Venetiis tum Mediolani iuuentutem docuit. Ob variae eruditionis laudem celebratus, a viris principibus, & suae aetatis doctissimis, maximo in honore habitus fuit. Inter ceteros, illius in primis eruditionem magni fecit Angelus Politianus, & in libris suis, passim, summis extulit laudibus. Posteaquam autem ex litteris, & sermone multorum, cognouisset Politianus, Merulam in vulgus spargere maledicta, aduersus *Miscellanea* sua, infensum se eidem exhibuit, id quod in primis *Epistolarum* testatur *liber vndecimus*, in quo vehementer in eum inuectus fuit. Praeter Politianum vulgatis in varios auctores *Adnotationum* libellis, inimicos sibi reddidit Merula, praeceptorem suum Philelphum,

Digitized by Google

phum, Calderinum & Galeottum, quorum in libros acerbius censuram exercuerat, eorumque errata, vel praetermissa notauerat. *Periit*, vt Paull. Iouius in *elog. doctor. viror.* p. 87. ait, *exactae aetatis senex, mense Martio, ann. 1494. tonsillis faucis occupantib.* Politiano *obiter vehementi metu liberato, cum in miscellaneam eius centuriam: cohortes & alas, quae impetu obruerent, emissurus esse diceretur.* Sepulchro eius in aede Custorgiana, hoc epigramma a Lancino inscriptum dicitur:

Vixi aliis inter spinas, mundique procellas,
Nunc hospes caeli, Merula, *viuo mihi.*

Scripsit Cornelius Vitellius, corinthius, *Defensionem* Plinii *& Domitii* Calderini *contra* Georgium Merulam, alexandrinum, quam inseruit Janus Gruterus, *Lampadi siue Faci artium liberalium* Tom. I. p. 583 sqq. edit. *Francof.* 1602. in 8. in qua Merulam mirifice depexum dedit. Vt dictis fides constet, particulam tantummodo ex epistola praemissa ad Hermolaum Barbarum heic addere licebit: *Cui parcere potest* Georgius, *qui ne praeceptori quidem pepercit? Nam in tam rabidam insaniam incidit, vt ea de* Philelpho *praeceptore suo, viro in vtraque lingua doctissimo scripserit, quae de sordidissimo lenone, & spurcissima sentina, parricidaque crudelissimo dici possent, qua discipuli insolentissimi ingratitudine commotus, vt par erat, octogenarius senex, tanto dolore conflictatus est, vt triduo vitam exhalauerit, ità solus* Georgius Merula *hac nostra tempestate non solum in praeceptorem ingratissimus inventus est, verum etiam praeceptoris bene meriti interfector. Quid quod se αὐτοδίδακτον homo nequam & impudens appellat, quasi ex seipso, sine vllo praeceptoris auxilio litteras didicerit? cum quidquid eruditionis in eo sit, quae quam sit modica —— ostendemus, id ex commentariis* Tortelii, Laurentii vallensis, Trapezuntii, Pomponii *& aliorum excerpserit. Nam commentarios in* IVVENALEM *non prius edere voluit quam* Guarini, Omniboni, Sabini, *& Calderini in eundem auctorem*

rem commentaria diligenter excusserit, & tamen in omnes ingratissimus inuehitur, & inter legendum, vel potius inter garriendum —— mordet, lacerat, laniat, & eorum obtrectatione sibi famam quaerit. Quam ob rem cum hominem tam temerarium, audacem, impium, perditum in me conuiciis grassantem viderem, non absurdum putaui, si aliquantum maledico conuiciatori, non ferendam dicacitatem excuterem, & maxime si id non sine aliquo rei litterariae emolumento fieret. Itaque collegi locos aliquot inuectiuae ipsius in Calderinum, *in quibus fatuum litteratorem erraſſe luce clarius ostendimus. Sed haec quidem praelusio quaedam erit, non enim in praesens copias omnes educere decreuimus, sed his paucis tanquam leui, vt aiunt, armatura praeludium inceptantes, missilibus velitum more hostem petemus, mox vero instructa acie, totaque phalange admota, in apertum certamen descendemus, cum mihi non iniucundam victoriam, ipsius in* IVVENALEM *Commentarii, & deprauationes* plautinae *exhibituraе sint* &c. Euulgauit contra Cornelium Vitellium, Merulae obtrectatorem, *legendam* Paullus Romuleienſis *pro* Georgio *apologiam Venet.* 1482. in 4. quam Leo Allatius libro IIII. συμμίκτων, quem meditabatur, edere constituerat, sed minime promisso euentus respondit. Conf. de Georgio Merula Joſ. Simleri *Bibliotheca* p. 230. Paull. Jouii *Elogia doctor. viror.* p. 86 sqq. Gerard. Joan. Voſſii *de Hiſtoricis latinis* L. III. Cap. IIX. p. 544 sqq. Adr. Baillet *Jugemens des Savans* Tom. II. P. I. p. 360 sqq. Tom. II. P III. p. 316. *Giornale de' letterati d'* Italia Tom. XVII. p. 291 sqq. Tom. XIIX. p. 334 sqq. Jo. Alb. Fabricii *Bibliotheca med. & inſim. Latinitat.* L. XII. p. 214 sqq. Niceron *Memoires* Tom. VII. p. 86 sqq. Eminentiſſimi ANGEL. MARIAE QVIRINI *Specimen Variae litteraturae* brixienſis P. I. paſſim, in primis p. 1 sqq. *die hamburgiſche Bibliotheca hiſtorica* Centur. VI. Artic. VI. p. 26 sqq.

De Georgio Valla vid. auctores, quos nominauimus Tom. I. *Adparat. litterar.* p. 717.

CCVI.

Digitized by Google

CCVI.

Germania CORNELII TACITI. Vocabula regionum enarrata, & ad recentes adpellationes adcommodata. Harminius VLRICI HVTTENI. Dialogus, cui titulus est Julius. Recens edita a Philippo Melanthone. *Wittebergae per Joannem Lufft.* 1557. in 8. folior. 79.

Haec opusculorum collectio raro hodie occurrit.

TACITI *de situ & moribus & populis* Germaniae *libellus* inuenitur fol. 1-19.

Arminius *dialogus* huttenicus, *continens res* Arminii *in* Germania *gestas*, exstat fol. 20-31. Iste *dialogus* quem Eobanus Hessus carmine ornauit latino elegiaco, primum prodierat *Hagenoae* 1529. in 8. Inseruit illum quoque Simon Schardius *Scriptoribus rer.* germanicar. Tom. I. p. 214 sqq. edition. Hieron. Thomae, *Giessae* 1673. in fol. Nicerono teste in *Memoires* Tom. XV. p. 299. adiectus etiam fuit Joannis Henrici Hagelgans *Dissertationi de prisca* Germanorum *aetate*, *Coburgi* 1635. in 12. Colloquuntur in *dialogo* Arminius, Minos, Mercurius, Alexander, Scipio, Hannibal, Tacitus. Ipsum VLRICVM AB HVTTEN, istum non edidisse prima vice *dialogum*, haec Eobani Hessi docent distycha:

Ille (HVTTENVS) *suas patriae laudes, atque erupta passus*
Nomina digna legi fecit vbique legi.
E quibus vnus hic est, quem condidit ipse libellus,
Sed non auspiciis edidit ipse suis.
Namque immatura praereptus morte, reliquit
Hunc quoque ceu partem funeris esse sui.
In quo si qua leges non qualia forte requirat,
Parte bona veniam quo mereatur habet.

Digitized by Google

Condidit HVTTENVS, *non edidit, ergo futurum*
Quod fuerat melius comice quidquid erat
Hunc tibi Mauritius *gentili* HVTTENVS *honori*
Fidus, ab aeternis noctibus adſeruit.
Hic ferus Arminius *patriis qui victor in armis*
Adflixit vires Martia Roma *tuas.*
Qui niſi adhuc iuuenis periiſſet fraude ſuorum,
Tu dominus Tyberis Rhene *futurus eras*
Hunc quod habes patriae lector ſtudioſe libellum,
HVTTENO *debes munera prima tuo.*
Altera Mauricio, Joachimo *tertia, nobis*
Quarta, aliquis nobis ſi locus eſſe poteſt.

Tertium in collectione occupant locum, *Praenotanda regionum & gentium, quae recenſentur in* TACITI *libello de ſitu, & moribus & populis* Germaniae fol. 32-45. Auctor Philippus Melanchthon epiſtolam praemiſit nuncupatoriam, *ad illuſtrem & generoſum Dominum*, D. Dauidem Vngnad *Baronem in* Sonoek & Frauenburg *&c.* in qua de vtilitate, quae ex lectione huius collectionis, quam edidit, in quemlibet redundet, nonnulla praefatur. Inſeruit iſtum commentariolum, *ſcriptoribus* ſuis *rerum* germanicarum Simon Schardius Tom. I. p. 77 ſqq. edit. cit. Sequitur

Iulius *dialogus, viri cuiuſpiam eruditiſſimi, feſtiuus ſane ac elegans, quomodo* Julius II. P. M. *poſt mortem coeli fores palſando, ab ianitore illo* D. Petro, *intromitti nequiuerit, quanquam dum viueret ſanctiſſime, atque adeo ſanctitatis nomine appellatus, torque bellis feliciter geſtis praeclarus, Dominum coeli futurum ſe eſſe ſperaret. Interlocutores* Julius. *Genius*. D. Petrus. *Lector riſum cohibe.* fol. 46-73. Diſceptatum fuit inter viros doctos, an haec ſatyra Eraſmo Roterodamo, an Coelio Secundo Curioni, an Fauſto Andrelino, an vero Vlrico ab Hutten tribuenda fuerit. Conf. Vincentii Placcii *Theatr. Anonymorum* p. 372. Ab Eraſmo, & Hutteno illam, iuncto ſtudio, eſſe compoſitam prodidit Hermannus Wittekindus in libello, qui inſcribitur:

Digitized by Google

scribitur: *Jesuitas singulares SS. pontificiae Maiestatis hoc tempore vindices falso & frustra negare Papam* Johannem IIX. *fuisse mulierem*, p. 42. edit. *Amberg.* 1609. in 8. Strenue autem, se esse auctorem negauit Erasmus Lib. XII. *Epistol.* I. col. 575 sqq. edit. *londinens.* 1642. in fol. vbi ad Laurentium Cardinalem Campegium scribit: —— *dialogi cuiusdam suspicionem mihi moliuntur impingere. Is vt ex argumento satis constat, scriptus est in odium diui* Julii P. M. *schismatis tempore, sed a quo incertum, ante quinque annos degustaui verius quam legi. Post reperi in* Germania, *apud quosdam descriptum, sed variis titulis. Quidam testabantur* Hispani *cuiusdam esse, sed suppresso nomine, rursus alii* Fausto *portae tribuebant, alii* Hieronymo Balbo. *Ego quid de his coniectem non habeo, subodoratus sum quoad licuit, verum nondum peruestigaui, quod animo meo faceret satis. Ineptiit quisquis scripsit, at maiore supplicio dignus, quisquis euulgauit. Ac miror esse, qui solo styli argumento mihi obtrudere parent, cuyi nec mea sit phrasis, nisi prorsus ipse mihi sum ignotus, nec mirum sit futurum, etiamsi qui in oratione nonnihil referrent* erasmicum, *quum versser in manibus omnium, & referimus fere, in quorum assidua lectione versamur. Neque desunt hic qui iactitent* tuam *quoque* cellitudinem, *propemodum in eam suspicionem adductam esse. Quod mihi certo nunquam persuadebitur, deos persuasum erit non esse vana quae de doctrina prudentiaque eius admirabili passim a summis viris praedicantur* &c. Joannes Wolfius illam inseruit Tom. II. *Lectionum memorabilium & reconditarum. Lauingae* 1600. p. 61 sqq. titulo: F. A. F. quae literae fine dubio Faustum Andrelinum Foroliuiensem designant, *Poetae regii libellus de Obitu* Julii 2. *Pontificis Maximi.* Ad veritatem proxime accedere videntur, qui Vlricum ab Hutten illius esse auctorem pronunciant. Praeter varias editiones, quas adtulit Jacobus Burckhardus in *Commentario de fatis & meritis* Vlrici de Hutten P. II. *Wolfenbüttel.* 1717. in 8.

Digitized by Google

p. 302 ſqq. & P. III. *ibid.* 1723. p. 308 ſqq. Niceron in *Memoires* l. cit. p. 296. inuenitur etiam Tomo II. *Paſquillorum* p. 123 ſqq. Prima editio prodiiſſe dicitur iam anno 1517. in 4. Exacta dialogi deprehenditur recenſio in Jacob. Burckhardi l. cit. in *Nachrichten von einer halliſchen Bibliothek* Tom. II. p. 405 ſqq. Eandem editionem, quae a S. R. auctore der *Nachrichten von einer* halliſchen *Bibliothek* l. cit. deſcribitur, ſe poſſidere adfirmauit, anonymus noſter caſſellenſis, manu Vlrici ab Hutten paſſim notatam, qui etiam praeter nomen ſuum, alteri tituli paginae, epigramma latinum in hunc *Dialogum* adſcripſit. Conf. P. Baile *Dictionnaire Hiſtorique & critique* Tom. II. p. 1574. not. N. Sequitur ſatyram in collectiuncula

CONRADI CELTIS *de ſitu & moribus* Germaniae *carmen*, verſibus hexametris conſcriptum fol. 74—79. Exſtat etiam apud Simon. Schardium l. cit. Tom. I. p. 226 ſqq. Niceron in *Memoires* Tom. XVI. p. 388. editionem memorauit *argentoratenſem* 1610. in 8. Vid. de CONRADO CELTE PROTVCIO, quae in *Analectis* noſtris *litterariis* p. 230 ſqq. diximus, quibuſcum conf. merentur Melchior. Adami *vitae philoſophor.* Germanor. p. 13 ſqq. Joan. Fichardi *vitae viror. illuſtr.* fol. 81 ſqq. Jacobi Bruckeri *Ehrentempel der* deutſchen *Gelehrſamkeit* Dec. IIII. p. 128 ſqq.

CCVII.

LVCII ANNEI FLORI *Illuſtris Hiſtoriographi* Epitomata quattuor. quibus ſcite collegit que bella populus Romanus domi foriſque geſſit. quibus viris & artibus imperium peperit. & partum auxit. & auctum ad ſummum faſtigium: ſuis viribus euertit: & euerſum tandem per Ceſarem Auguſtum ſublimius erexit.

Ad

Digitized by Google

Ad Lectorem.

Quamuis contingas annoſum Neſtoris euum
Tithoni vincas ſecula longa ſenex.
Tu tamen imprudens dicere puer niſi noris
Quae prius acta ſient, quae tua Clothó foret
Quo ſapias igitur puerilis inertia ceſſet
Martigene gentis prodita geſta legas.

in fol. folior. 38.

Annus editionis, litteris gothicis impreſſae, in fine non deſignatur, vbi tantummodo haec leguntur verba: Liptzk *impreſſum per* Jacobum Thanner. Joan. Henric. Leichius illam adtulit in *Annal. typogr.* lipſienſ. p. 103. Praemittitur excerptum *ex oratione* Philippi Beroaldi *habita, in enarratione* Titi Liuii *ac* Sillii Italici *continente byſtorie laudem*. Legitur *oratio* in collectione *Orationum & praelectionum* Ph. Beroaldi *aſcenſiana* 1513. in 4. fol. VII ſqq. In fine adiicitur FLORO particula *e capite quarto racemationum* Baptiſtae Egnatii Veneti, in qua, L. FLORI locus, vbi de Triumuiratu Caeſaris, Antonii, & Lepidi agitur, *a corruptorum malignitate pulcherrime* vinditatur. Illam ſequitur L. FLORI *Epitomatum quatuor librorum tabula.*

De L. ANNAEO FLORO, gente vt videtur Hiſpano, cuius aetas incidit in tempora Traiani, & de variis illius editionibus, legi poterit Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. latin.* L. II. Cap. XXIII. p. 488 ſqq. Tom II. p. 776 ſqq. Jo. Nicol. Funccii *de imminenti latinae linguae ſenectute tractat.* Cap. VIII. §. LXXI ſqq. p. 595 ſqq. Gerard. Joan. Voſſii *de Hiſtoricis latinis* L. I. Cap. XXX. p. 148 ſqq. Nicol. Antonii *Bibliotheca* hiſpana *vetus* Tom. I. p. 80. *Hiſtoire literaire de* France Tom. I. P. I. p. 255 ſqq. Jaqu. George de Chaufepié *Nouveau Dictionnaire hiſtorique & critique* Tom. II.

Litt.

Digitized by Google

Litt. F. p. 63 sqq. *die Merkwürdigkeiten der kœnigl. Biblioth. zu* Dresden Tom. III. p. 68 sqq. Caroli Andreae Duckeri *praefatio*, quam recentissimae editioni, *cum integris* Salmasii, Freinshemii, Graeuii, *& selectis aliorum animadversionibus Lugd. Bat.* 1722. & haud ita pridem, denuo eulgatae praemisit. Quae omnium prima dicenda fuerit editio, viri critici definire non sustinent. Variae enim exstant editiones, quae sine die, vt aiunt, & consule, in lucem exierunt; Describuntur ab auctore de l'*Histoire litteraire de* France, a Jo. Alb. Fabricio, a Jaqu. Georg. de Chaufepié ll. citt. Exstat inter illas edicio, *Parisiis* in domo Sorbonae, vt Andr. Chevillier in *l'Origine de l'Imprimerie de* Paris, videtur, circa annum 1470. ab Vlrico Gering, Martino Crants & Michael. Friburger in 4. excusa, quae plerumque pro omnium prima venditatur. Editor illius fuisse videtur Robertus Gaguinus, cuius in ea editione reperitur epigramma:

Robertus Gaguinus LVCII ANNEI FLORI *lectoribus salutem optat.*

Quos nulla in terris concluserat ora, Quirites
Haec FLORI *obstrictos parua tabella capit.*
Et quaeque eximia produxit Liuius ante,
Bella, duces, pompas, rite coacta tenet.
Quo vere exemplo vobis sperate futurum,
Qui fama & quaestu fertis in astra gradum.
Post tumidos nisus, post sacua pericula sortis
Ad manes raptos vos breuis vrna teget.

Conf. Michael. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. I. p. 493. Nescimus an eadem, aut vt nobis quidem videtur, diuersa sit editio, quam auctores de *l'histoire litteraire de* France l. cit. p. 260. adiuncto Justino, & Sexto Rufo, ex officina typographica Joannis de Bonnemere in 4. non addito anni indicio, prodiisse & Joannem Lermite de Montmirel, cuius epigramma initio voluminis legitur, editorem esse prodiderunt.

Conf.

Digitized by Google

Conf. Jaqu. George de Chaufepié *Nouveau Dictionnaire historique & critique* l. cit. p. 65. not. F. Inter versiones gallicas FLORI, principem facile obtinet locum, & illius editiones admodum rarae sunt, quae a Philippo aurelianenſium Duce, Ludouici XIIII. Gall. regis fratre, compoſita dicitur. Prima editio hunc prae ſe fert titulum: *Epitome de l'Hiſtoire* romaine, *depuis la fondation de* Rome, *juſqu'à l'an 760 par* L. ANN. FLORVS, *mis en* François *ſur les traductions de* Monſieur Frére vnique du Roy; *avec une Table chronologique, & des Remarques par* François de la Mothe-le-Vayer, *Paris* 1656. in 8. vid. Niceron *Memoires* Tom. XVIIII. p. 135 ſqq. vbi ait: *La traduction attribuée à* Monſieur, *eſt vrai-ſemblablement de* l'Abbé le Vayer; *les Remarques qui y ſont jointes, ſont ſçavantes & curieuſes, &* Coeffetau *y eſt fort critiqué.* Conf. J. G. de Chaufepié *Dictionnaire* l. cit. p. 66. qui editionem adfert an. 1661. ſine loci & Impreſſoris indicio in 8. euulgatam. Recentiorem an. 1670. memorauit Jo. Alb. Fabricius in *Biblioth. latin.* Tom. II. p. 783.

CCIIX.

AVSONII *peonii poete lepidiſſimi* Precatio matutina ad omnipotentem Deum. in 4. folior. 4.

Sunt quidem inter viros doctos, & inter illos praecipue Olaus Borrichius in *Diſſert.* II. *de poetis latinis* p. 73. Chriſtophor. Hendreichius in *Pandect.* brandeburg. p. 360. Guil. Caue in *Hiſtoria litterar. ſcriptor. eccleſ.* p. 241. Philippus Brietius in *ſyntagmate de poetis* latinis *veteribus*, quod libro praefigitur, quem hoc edidit titulo: *Acute dicta omnium veterum poetarum* latinorum, *Paris* 1664. in 12. L. IIII. p. 50. Andreas

dreas Christian Eschenbach in *Dissert. de poetis christianis sacris* Sect. II. §. VII. in *Dissert. academicis* p. 95 sqq. Ezechiel Spanhemius *de praestantia & usu numismatum antiquorum* Tom. II. *Amstelod.* 1717. in fol. Dissert. XII. Sect. II. §. IIII. p. 414. Ludouic. Anton. Muratorius in *Anecdotis Biblioth.* ambros. Tom. I. p. 114. qui AVSONIVM ethnicum fuisse auctorem pronunciant, & poemata, quae religionem prae se ferunt christianae religioni addictis, composita esse statuunt. Et ad illa poemata, *precationem* in primis referre solent *matutinam*, quae particula tantummodo poematis est, quo totius diei negotium descripsit poeta, & *Ephemeridis* titulo insigniuit. AVSONIVM quidem *Ephemeridis*, sed *precationis matutinae* auctorem esse existimant Paullinum iuniorem pellaeum burdegalensem, AVSONII nepotem. Sequuntur ea in re Mariangelum Accursium, qui in *Diatribis* suis *ad* AVSONIVM *Romae* 1524. in fol. editis, in particula quadam MS. exemplaris Hieronymi Aleandri nomen Paullini inscriptum, se vidisse, adfirmauerat. Sed praeter alios, sua illos opinione deceptos existimat Julianus Floridus, canonicus camotensis, qui in notis in AVSONIVM, quem in vsum Delphini, Paris. 1730. in 4. edidit, p. 90. nullam se videre ait rationem, cur haec *ephemeridis* pars AVSONIO abiudicetur, quae cum ceteris tam bene congruat, nisi tota *Ephemeris* AVSONII negetur esse. Conf. Christ. Daumii *Syllabus Poetarum veterum christianorum*, quem Benedicti Paullini Petrocorii, poemati *de vita* B. Martini *cum* Franc. Jureti, *aliorumque notis Lipsi.* 1681. in 8. edito praemisit, vbi plures nominat scriptores, qui *precationem matutinam*, Paullino tribuunt. Disertis autem verbis AVSONIVM & christianum, & *orationis matutinae* auctorem esse, vt alios iam taceamus, prodiderunt Jo. Nicol. Funccius in *Commentar. de vegeta latinae linguae senectute, Marburg.* 1744. in 4. Cap. III. §. XXXIIII. p. 194. P. Baile in *Dictionaire historique & critique* Tom. I. p. 402. not.

Digitized by Google

not. D. Joan. Baptiſt. Souchay, Reg. Inſcript. & human. litterar. Academ. pariſin. Socius in *Diſſertat. de vita & ſcriptis* AVSONII, quae editioni *in vſum Delphini* modo memoratae praefigitur §. X. & XI. p. XXIIII ſqq. qui illam *precationem*, in peruetuſto codice lugdunenſi, inter AVSONII carmina occurrere ſcribit.

Editio, cuius in articuli fronte exhibuimus titulum, charactere litterarum gothico expreſſa eſt, & in fine, praeter typographi inſignia, haec refert verba: *Impreſſum* Liptzk *per* Jacobum Thanner Herbipolenſem *Anno ſalutis noſtre 1. 5.* 00. Vid. Jo. Henric. Leichii *Annal. typograph.* lipſienſ. p. 77. Quod ad lectionem carminis adtinet, variis in locis, diuerſum eſt ab illo, quod in editione *in vſum Delphini* legitur. Initium tale eſt:

Omnipotens quem mente colo pater vnice rerum.

Verſus octauus cum octo ſequentibus

Ipſe opifex rerum, rebus cauſa ipſe creandis
Ipſe Dei verbum, verbum Deus, anticipator
Mundi, quem facturus erat: generatus in illo
Tempore, quo tempus nondum fuit: editus ante
Quam iubar, & rutilus caelum illuſtraret Eous:
Quo ſine nil actum, per quem facta omnia: cuius
In caelo ſolium: cui ſubdita terra ſedenti,
Et mare, & obſcurae chaos inſuperabile noctis
Irrequies, cuncta ipſe mouens, vegetator inertum.

omiſſi ſunt. Verſus 33. hac ratione legitur:

Sit ſatis antiquam ſerpens quod prodidit Enam.

verſus 45. & 47.

Suſcipiens altare ſacrae libamina vitae
Vnigenae cognoſco Patrem mixtumque duobus.

v. 51. *Quaero nec carnis numen coniecto ſub extis.*
v. 58. *Da pater huic noſtro fieri rata vota precanti.*
v. 65. *Nulla ſit: & bene poſſe adſit tranquilla poteſtas.*

v. 77

Digitized by Google

v. 77. *Tempora: cunctanturque dies: procul exigit quaeso.*
v. 82. *Filius ex vero verum de lumine lumen.*
v. 84. *Consona quem celebrat modulato carmine plebes.*

Praeter scriptores iam citatos, res, quae ad AVSONIVM poetam, qui post varia munera & dignitates, quas sub Imperatoribus romanis seculi IIII. gessit, eodem seculo exeunte, in praedio, in quo versabatur nouerino (*Nouerum*) mortuus est, exposuerunt Jo. Albert. Fabricius in *Biblioth. latin.* L. III. Cap. X. p. 582 sqq. Tom. III. p. 106 sqq. Albert. Petr. Paull. Fil. Rubenius in *Dissertat. de vita* Fl. Mallii Theodori V. C. *in qua non tantum* Theodori, *sed &* AVSONII *dignitates ac illorum temporum historia illustratur, Vltraiecti* 1694. in 12. pp. 120. Godofr. Kupffender in *Dissertatione de* AVSONIO *poeta Vitebergae* 1677. in 4. Conf. *Vita* AVSONII ex Josephi Scaligeri, Eliae Vineti, Petri Criniti, & Lil. Gregor. Gyraldi, de illo narrationibus composita, quae adiecta est AVSONII *Operibus*, a Jacobo Tollio, *Amstelod.* 1671. in 8. editis, p. 812 sqq. Adr. Baillet *Jugemens des Savans* Tom. III. P. I. p. 382 sqq. *die Merkwürdigkeiten der koenigl. Biblioth. zu* Dresden Tom. III. p. 483 sqq. 525.

CCVIIII.

CL. CLAVDIANI, *Principum Heroumque Poetae praeglorioſſimi*, Quae Exſtant Caſpar Barthius Ope ſeptemdecim Manuſcriptorum Exemplarium reſtituit: Commentario multo locupletiore, grammatico, critico, philologico, hiſtorico, philoſophico, politicoque ita illuſtrauit: vt auctor pretioſiſſimus omni aetati, ſcholaſticae, academicae, auli-

Digitized by Google

aulicae, politicaeque esse debeat ex commendato commendatissimus. *Francofurti apud Joannem Naumannum, Bibliop. Hamburgensem Anno 1650.* in 4. pp. III. & 1371. non numeratis praemissis folior. 37. & errator. typographicor. indice folior. 16.

Testantur editionis raritatem *Bibliotheca* Kielmannsegg. Tom. II. p. 613. *Catalogus Bibliothec.* salthenian. p. 176. Praemissa hoc ordine legimus. Nimirum

I. *Series operis* exposita est. Alio enim ordine collocauit Caspar Barthius CLAVDIANI *poemata*, quam in aliis editionibus leguntur. Nam primo loco posuit *Heroum encomia*, quibus iunxit *libros III. de raptu* Proserpinae, ceteraque *poematia, gigantomachiam, epistolas, epigrammata.* His *primam partem poematum* CLAVDIANI absolui ait. In *secundam* retulit, *vituperia maleficorum hominum, libros* nimirum *II. in* Rufinum & *libros II. in* Eutropium, quos ideo persequi vatem scribit, dirisque & satyrico sale deuouere, exagitareue, vt absterreat paribus ausis hominum genus, cuius quidem admonitionem institutionemque profiteatur vtrimque. His adiecit *incerti auctoris laudem* Herculis, & replendis paginis *incerti auctoris de* Phoenice *carmen.*

II. In praemissis locum obtinet CLAVDIANI *vita* ex Lil. Gregor. Gyraldi *de* latinis *poetis dialogo IIII.* Sequitur

III. Casp. Barthii *Epistola dedicatoria* ad Christinam Suecorum Reginam, scripta Lipsiae Mense Maio 1650.

IIII. Eiusdem *carmen ad eamdem reginam, verae religionis adsertricem, & pacis christianae restauratricem*, Lipsi. d. XIIX. Nouembr. 1649.

Digitized by Google

V. Eiusdem *Carmen ad* Magnum Gabrielem de la Gardie *Comitem*, Lipsiam *cum festis omnium ordinum plausibus repetentem anno 1649. die praecedente festum* Michaelis. Effugisse videntur istae tres particulae notitiam Viri Cl. Joannis Arckenholz, qui omnia, quae ad historiam, reginae Christinae, illustrandam, facere poterant, insigni studio atque sollertia, congessit in den *historischen Merkwürdigkeiten die Kœnigin* Christina *betreffend, Amstelod. & Lipsi.* 1751. II. Tom. in 4.

VI. Producuntur *Auctorum veterum, semiueterum, nonnullorum de recentibus de* CL. CLAVDIANO *testimonia.*

VII. *Praefatio ad lectorem* merita illius in CLAVDIANVM prolixe exponit, & opera futuro tempore edenda indicat.

IIX. *Index auctorum, quibus in concinnando commentario vsus est* Casp. Barthius, praemissis finem imponit. Quod ad C. Barthii *commentarium* adtinet, insignis doctrinae ille perhibet testimonium, quam ille ex adsidua, & fere incredibili, omnis aeui auctorum, lectione sibi comparauerat. Nicol. Hieronym. Gundling istum *commentarium* ideo *insignem* vocat, & *ein Hauptcollectaneenbuch*, in *Discours über* Christoph Aug. Heumanni *Conspectum Histor. litter.* Cap. IIII. §. CLXXXII. Tom. I. p. 1218. Dolendum est, quod egregius liber, plurimis typothetarum erroribus deformatus fuerit, vt solus eorum catalogus 15. folia, & dimid. repleat. Ipse sane Barthius hac de re conqueritur in *Commentar.* ad Papin. Statii Libr. V. Silu. I. Tom. I. p. 434. vbi ait: *Ad recentatam* CLAVDIANI *editionem, merito, vt longe vulgata digniorem, lubenter beneuolum lectorem remittimus. Prodiit cum haec vltimo relegeremus, is liber, sed pessime a typographis, per absentiam nostram acceptus. Vix enim vlla pagina est, non turpibus aliquot mendis inquinata, parsimonia editoris, qui idoneum correctorem non habuit.*

Graeca

Digitized by Google

Graeca *fere omnia vitiata sunt*. Exstant quidem editiones, quae annum 1654. & 1659. prae se ferunt, sed adnotauit iam Joan. Albert. Fabricius Tom. III. *Biblioth. latin.* L. III. Cap. XIII. p. 154. non nouas esse editiones, sed nouos tantum, vt, turpis lucri caussa, a bibliopolis fieri solet, titulos editioni an. 1650. esse praefixos. Vix XX. annorum iuuenis erat Casp. Barthius, cum CLAVDIANVM commentario illustratum, prima vice in lucem emitteret, *Hanouiae in Bibliop. willeriano* 1612. in 8. quae editio admodum imperfecta, repetita fuit ibidem 1619. in 8.

CLAVDIVS CLAVDIANVS, alexandrinus, Aegyptius, seculo IIII. ad finem vergente floruit, & Imperatoribus Arcadio & Honorio adeo charus fuit, vt eum statua publica honorandum censerent, cuius inscriptio, quae Romae in aedibus Julii Pomponii Laeti, anno 1493 inuenta dicitur, exstat in Jacobi Mazochii *Inscription.* p. 8. in Jani Gruteri *inscript. totius orbis* romani p. 391. Sunt vero inter viros doctos, & inter illos praecipue Auctores de' *Giornali de' letterati d'*Italia Tom. XXII. p. 400. qui hanc inscriptionem, vt L. Cuspidii *Testamentum*, a Julio Pomponio Laeto confictam esse existimant. *Vita* CLAVDIANI, variis carminum editionibus praemissa conspicitur. Eminet inter illas, quam dedit Janus Parrhasius, Nicolaus Biffius, & Philippus Argelati. Posterior lingua hetrusca conscripta, & *Corpori poetarum* latinorum *cum versione* hetrusca editorum, Tomo XI. *Mediolani* 1731. in 4. praemissa est. Conscripsit etiam CLAVDIANI *vitam*, & inter homines christianos illum retulit Tomaso Mazza in *Vita di* CLAVDIANO *poeta, con l'Apologia per il di lui Christianesmo, in Vicenza* 1668. in 12. qui libellus rarissime hodie inuenitur. Conf. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. latin.* Tom. I. L. III. Cap. XIII. p. 624 sqq. Tom. III. p. 148 sqq. Jo. Nicol. Funccii *de vegeta latinae linguae senectute Commentar.* Cap. III. §. LXVII sqq.

Digitized by Google

p. 236 sqq. Adr. Baillet *Jugemens des Savans* Tom. III. P. I. p. 397 sqq. Nicol. Hieron. Gundling *fortgesetzte Historie der Gelahrheit Franckf.* 1746. in 4. Cap. II. p. 321 sqq.

Caspar siue Gaspar Barthius, S. R. I. Eques, Cüstrini, in Marchia, natus fuit anno 1587. Praecox eius ingenium, in prima statim iuuentute enituit, quam ob rem etiam ab Adriano Baillet in *Traité des Enfans devenus celebres par leurs études & par leurs écrits*, qui constituit Tom. V. des *Jugemens des Savans* edit. *Amsterd.* 1725. in 12. P. I. p. 258 sqq. inter ingenia praecocia relatus fuit. Omnem fere Germaniam & Italiam peragrauit, virosque sui temporis doctissimos, in sui admirationem adduxit. Ex itineribus redux factus, Lipsiae consedit, vitamque priuatam, in Musarum consortio, ad mortem vsque, quae accidit anno 1658. transegit. Hieron. Kromayeri *programma academicum, in eius obitum* prodiit *Lipsi.* 1658. in 4. Henning Wittenius illud, addito *operum* eius *catalogo*, inseruit *Memoriis Philosophor.* Decad. VII. p. 320 sqq. Ex Joannis Hülsemanni *Concione funebri*, lingua vernacula conscripta, & Jacob. Thomasii *sermone exequiali*, quae omnia lucem viderunt *Zwiccauiae* 1658. in 4. excerpta sunt, quae in Paull. Freheri *Theatro viror. eruditione claror.* p. 1546. leguntur. Legi in primis merentur Adrien Baillet *Jugemens des Savans* Tom. II. P. II. p. 294. Niceron *Memoires* Tom. VII. p. 14 sqq. P. Baile *Dictionaire historique & critique* Tom. I. p. 457 sqq. Georg. Petr. Schultzii *Dissertatio epistolica II. de claris* Marchicis *Francof. ad Viadr.* 1706. in 4. p. 18 sqq. Georg. Andr. Vinholdi *Programma de* Caspare Barthio *Cygneae* 1713. in fol. Jacob. Bruckeri *Ehrentempel der* deutschen *Gelehrsamkeit* Decad. I. p. 34 sqq. *Commentariis* suis, quos in veteres auctores, in primis poetas conscripsit, non omne criticorum tulit suffragium, Joannes sane Clericus in *Bibliotheque choisie* Tom. I. p. 145 sqq. haec talia,

Digitized by Google

talia, de illo pronunciauit: *Il y a des Commentateurs, qui ſont ſi prolixes, qu'ils expliquent également ce qui eſt clair & ce qui eſt obſcur. Ils amaſſent un nombre infini de paſſages paralléles d'autres Auteurs; même là où il n'y a rien de particulier, ni dans les choſes, ni dans les expreſſions. C'eſt ainſi qu'a fait* — Gaſpar Barthius *ſur pluſieurs poëtes* latins. *On voit par là que ces gens-là avoient une grande lecture & qu'ils avoient travaillé long tems à ces recueils, mais qu'on en tire peu d'uſage, quand il ne s'agit que des choſes vulgaires.* Adſeruantur adhuc in Bibliotheca lipſienſi academica, nonnulla Gaſpar. Barthii ſcripta, quae lucem nondum viderunt publicam. Recenſentur quaedam in den deutſchen *Actis eruditorum* Tom. I. p. 925 ſqq.

CCX.

SEX. POMPEI FESTI de verborum ſignificatione Fragmentum Ex vetuſtiſſimo Exemplari Bibliothecae Farneſianae deſcriptum. *Permiſſu Superiorum. Impreſſum Romae Apud Georgium Ferrarium M. D. LXXXI.* (1581).

Schedae quae FESTI fragmento detractae apud Pomponium Laetum extabant. Ex Bibliotheca Fului Vrſini. pp. 196.

Notae in SEX. POMPEI FESTI Fragmentum Schedas & Epitomam. 8. folior. 31. ſi indicem in FESTI fragmentum & ſchedas, folior. 10. & Addenda folior. 3. exceperis.

Quamquam hoc SEXTI POMPEII FESTI *fragmentum*, cum *ſchedis* illi *detractis*, variis FESTI *de verborum ſignificatione* editionibus, & ſplendidiſſimae etiam editioni *in vſum Delphini*, quam recudendam

Digitized by Google

curauit Joannes Clericus *Amſtelodami ſumtibus Huguetanorum* 1699. in 4. adiectum fuit, noſtra tamen editio, admodum rara, a viris doctis, atque eiuſmodi rerum aeſtimatoribus, ſtudioſe conquiri ſolet. Nullum quidem per omnem librum editoris exſtat veſtigium, niſi quod in titulo *Schedis* FESTI *fragmento detractis*, praemiſſo, illae *ex Bibliotheca* Fuluii Vrſini prodiiſſe dicantur. Cum enim is vidiſſet, in editionibus, quas Antonius Auguſtinus epiſcopus tarraconenſis, e codice ex Illyrico aduecto, & in Bibliotheca farneſiana ſeruato, *cum Animaduerſionibus Venetiis* 1560. in 8. & Joſephus Scaliger *caſtigationibus* ſuis *Pariſ.* 1575. in 8. in lucem emiſerant, nonnulla reperiri, quae viris iſtis, cum *ſchedae* deſcriberentur, exciderant, haſce antiquitatis reliquias, nonſolum de nouo inſpexit, ſed ex aliquot locorum collatione ſtatim animaduertit, ſi *fragmenti* huius *ſchedae* ad fidem archetypi exemplaris repraeſentarentur, fore, vt quae mutila mancaque in iis fuerint, omnes antiquitatis ſtudioſi facilius ea certiuſque diuinare poſſint. Curauit itaque paginas ipſas, eo, quo FESTVS ſcripſit, ordine, numero verſuum in ſingulis pagellis, & litterarum in vno quoque verſu, nec aucto, nec diminuto, ita vt ſunt in exemplari, qua potuit diligentia deſcribendas. Quid? quod partem paginarum, mutilam, habita ſpatii, quod ſupplendum fuit, ratione, infinitis locis ſuppleuit, multa ex Antonii Auguſtini, & Joſephi Scaligeri Scriptis mutuauit, & multa praeterea de ſuo addidit; non quidem quod vera ea eſſe, aut ita FESTVM ſcripſiſſe exiſtimauerit, ſed vt virorum criticorum ingenia excitarentur, ad bene de hoc FESTI *fragmento* merendum. Ea autem ſupplementa, litterarum varietate, & notis etiam quibuſdam additis, ab antiquo diſtinxit. Quod vero ad *Schedas* adtinet, quas a Marullo habuiſſe dicitur Pomponius Laetus, illas a *Fragmento* FESTI, ſeparauit Fuluius Vrſinus, quod earum archetypum exemplar non exſtiterit, & pars altera paginarum, quae margini propior, ab igne mutilata fuit, negle-

Digitized by Google

neglecta ab ils, qui tunc *fragmentum* descripserunt, desiderata fuerit. Illas autem *Schedas*, quas edidit, e doctissimi viri exscriptas esse ait chirographo, aliis editionibus non modo emendatiores, verum etiam aliquot locis auctiores, vt si qua praeter haec in vulgatis sint, ea plane non esse FESTI credendum sit, sed e Paulli *epitoma*, aut aliunde petita. His omnibus vltimo loco, addidit perbreues quasdam notas, earum tantum rerum, quae ab aliis praetermissae videbantur. Ea vero, quae iam heic exposuimus, nos docuit Fuluii Vrsini *praefatio, notis in* SEXTI POMPEII *Fragmentum, Schedas, & epitomam* praemissa. Istae *notae*, quae in Joan. Clerici editione textui subiiciuntur, in romana editione, *schedis* in fine adiectae sunt. Excipit illas copiosissimus *in* FESTI *fragmentum & schedas index*. In calce voluminis haec oculis subiiciuntur verba: Romae, *apud* Vincentium Accoltum. *M. D. LXXXII.* (1582). Qua ratione personatus Yuo Villiomarus, Aremoricus, siue Josephus Scaliger, sententiam suam, de hac Fuluii Vrsini expositione, verba illius lectores docere poterunt, quae exstant in *libro Animaduersionum in locos controuersos* Roberti Titii *Paris.* 1586. in 8. p. 7. *Annon* SEX. POMPEIVS FESTVS, *indignis modis acceptus esse visus est, quod ab homine* Gallo *illustratus, magno studiorum fauore exceptus est. Itaque* Romae *editus cum iisdem castigationibus alius nunc esse censetur, propter ea quod prioris editoris nomen dissimulatum est, quumquam eadem plane editio est, paucis admodum iisque leviter immutatis, ita tamen vt tam leui mutatione non magis latere posset industria prioris editoris* &c. Andreas vero Dacierus, de Fuluii Vrsini labore, quem FESTI *fragmento* emendando impendit, hac ratione iudicat, in praefat. editionis *in vsum Delphini: Addam & illud quoque, hic saepius a viris doctissimis erratum esse, quia nemini vnquam contigit non errare, & maius est quam vt conuenire in humanam infirmitatem possit. Quare illis certe magna iniuria fieret, si eorum inge-*

ingenii magnitudo hoc vno labore aestimaretur. Pauca eorum praestitit Antonius Augustinus, *quae praestare potuisset. In multis diuinus* Scaliger, *sed dum ingenio suo nimium indulget, saepe nubes captat, & nil minus quam* FESTVM *interpretatur.* Fuluius Vrsinus, *reliquis felicior, vtiliorem operam nauauit, sed sic etiam* FESTVM, *non tam emendatum, quam emendandum & emendari facilem tradidit.* Junctim editae fuerunt Josephi Scaligeri & Fuluii Vrsini editiones adiectis vtriusque notis *Heidelbergae* 1583. in 8. De aliis editionibus vid. Niceron *Memoires* Tom. XXIII. p. 287. Exstant etiam ista FESTI *fragmenta*, a Fuluio Vrsino edita, inter *auctores latinae linguae, in vnum redactos corpus, adiectis notis* Dionysii Gothofredi I. C. *Colon. Allobrog.* 1622. in 4. col. 118 sqq.

Vid. de SEXTO POMPEIO FESTO, qui post aetatem inclaruit Martialis, eiusque libris deperditis Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. latin.* L. IIII. p. 764 sqq. Tom. III. p. 580 sqq. Joann. Nicol. Funccii *de inerti ac decrepita latinae linguae senectute commentarius Lemgouiae* 1750. in 4. Cap. IIII. §. VI. p. 299 sqq. §. XXXI. p. 331 sqq. Gottfr. Ephraim Müllers *historisch critische Einleitung zu nöthiger Kenntnis, und nützlichen Gebrauche der alten lateinischen Schriftsteller* Tom. I. p. 317 sqq.

De Fuluio Vrsino legi poterunt, quae Tom. I. *Apparat. litterar.* p. 242 sqq. narrauimus.

CCXI.

DRACONTII *Hispani* Libellorum biga: quorum prior de opere sex Dierum & creatione mundi, Hexaemeri titulo pridem, XCI. versibus mutilus editus fuit, scriptus heroico metro: Alter vero posterior Elegiaco, postfatio quasi quae-

dam

Digitized by Google

dam est & praecedanei illius pariter atque sui ipsius ad Deum & ad Regem Theodosium Jun. Augustum excusatio, primum vigesimo abhinc anno Parisiis prodiit, nusquam alibi excusus. Nunc vero vtrumque, Et inprimis Hexaemeron illud siue de machina mundi Post EVGENIVM *Toletanum Episcopum*, (cuius simul hic apposita est septidui recapitulatio vt & Epigrammata reliqua aliaque poematia eiusdem subiuncta reperies) Item post Georgium Fabricium, Joann. Weitzium, Jac. Sirmondum, Casp. Barthium, Sim. Toelmannum, Wolf. Seberum &c. restitutum integre emendauit, inque eo confusa distinxit, & commodiorem atque faciliorem ad sensum obscura redegit, notisque prioribus aliorum selectis, nouis quoque auxit & illustrauit Andr. Rivinus D. & P. P. *Lipsiae Aera Dionysiana* 1651. in 8. folior. 79.

Raritatem testatur Joan. Vogtius in *Catalog. libror. var.* p. 582. DRACONTIVS Presbyter fuit in Hispania, qui tempore Theodosii iunioris seculo V. inclaruit. Nos ab vberiore libri recensione abstinemus, quoniam omnia, quae de auctore, eius libro, & diuersis editionibus dici poterant, iam adlata conspiciuntur, in Polyc. Leyseri *Historia poetarum & poematum medii aeui* p. 56 sqq. in Joan. Alb. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. IIII. p. 188 sqq. Conf. Guil. Caue *Histor. litterar. Scriptor. eccles.* p. 341. Nicol. Antonii *Biblioth.* hispana *vetus* Tom. I. Lib. III. Cap. III. num. 69. p. 192. Louis Ellies Dupin *Bibliotheque des Auteurs ecclesiastiques* Tom. IIII. p. 210 sqq. Jo. Nicol. Funccii *de vegeta latinae linguae senectute Commentar.* Cap. III. §. XCVII sqq. p. 291 sqq. Andr. Christ. Eschenbach *Dissert. de poe-*

Digitized by Google

tis christianis sacris Sect. II. §. XIIII. in *Dissertat. academic.* p. 105 sqq. Adr. Baillet *Jugemens des Savans* Tom. III. P. I. p. 425 sqq.

EVGENIVS II. qui ab anno 646. ad annum vsque 657. temporibus Cinthasuindi & Recocesuindi Regum, Episcopatui praefuit toletano, & *libellos* DRACONTII, vt verbis vtamur Ildefonsi, toletani Episcopi, *de Scriptor. eccles.* Cap. XIIII. p. 65. edit. Jo. Alb. Fabricii, *de creatione mundi conscriptos, quos antiquitas protulerat vitiatos, ea quae inconuenientia repperit, subtrahendo, immutando, vel meliorando, ita in pulchritudinis formam coegit, vt pulchriores de artificio corrigentis, quam de manu processisse auctoris videantur. Et quia de die septimo idem* DRACONTIVS *omnimodo reticendo, semiplenum opus visus est reliquisse; ille & sex dierum recapitulationem singulis versibus renotauit, & de die septimo, quae illi visa sunt, eleganter dicta subiunxit.* Conf. Guil. Caue *Histor. litter. scriptor. eccles.* p. 460. Casimir. Oudini *Commentar. de Scriptor. & scriptis eccles.* Tom. I. col. 1621. Nicol. Antonii *Bibliotheca* Hispana *vetus* Tom. I. L. V. Cap. V. num. 251. p. 287 sqq. Louis Ellies Dupin *Bibliotheque des Auteurs ecclesiastiques* Tom. VI. p. 19 sqq. Polycarp. Leyseri *Historia poetarum & poematum medii aeui* p. 188 sqq. Jo. Albert. Fabricii *Bibliotb. med. & infim. latinit.* L. V. p. 376 sqq. Adr. Baillet *Jugemens des Savans* l. cit.

CCXII.

SEDVLII *poete christianissimi atque nostro euo rarissimi* opusculum quod exhortatorium ad fideles inscripsit. in 4. folior. 4.

Aldo plerumque romano, a viris doctis gloria tribui solet, quod SEDVLIVM, omnium primus, cum aliis

aliis *poetis christianis*, inter quos Juuencus & Arator eminent, in lucem emiserit. Sed iam anno 1499. Petrus Eisenbergius, artium in studio lipsiensi magister, perquisitis bibliothecarum loculis, veterem codicem, qui SEDVLII opus continebat, inuenerat, & SEDVLII *paschale carmen*, & *exhortatorium ad fideles, Lipsiae apud Jacobum Thanner, herbipolitanum*, typis exscribendum curauerat, quae editio omnium rarissima, & paucis, qui postea SEDVLIVM ediderunt, visa est, quamuis plurima rectius in illa, & emendatius, quam in aldina editione leguntur. Vid. Jo. Henr. Leichii *Origo & incrementum typograph.* lipsienf. Cap. III. p. 24 sqq. *Annal. typogr.* lipsienf. p. 75. Ex hac autem editione eisenbergiana, illa, cuius titulum exhibuimus, *carminis ad fideles exhortatorii* editio, litteris gothicis exscripta fuit. Annum editionis typographus hisce indicauit verbis, *Impressum* Liptzk *per* Jacobum Thanner Herbipolens. *Anno 1503.* Joanni Henrico Leichio illa incognita fuisse videtur.

De C. COEL. SEDVLIO, Scoto, siue vt alii volunt, Hiberno, Presbytero, praeter alios, legi merentur Jos. Simleri *Bibliotheca* p. 107. Anton. Possevini *Adparat. sac.* Tom. III. p. 201. Guil. Caue *Histor. litterar. scriptor. eccles.* p. 336. Jo. Alb. Fabricii *Bibliotheca latin.* Tom. III. L. IIII. Cap. II. p. 293. & 306. Jo. Nicol. Funccii *de vegeta latinae linguae senectute Commentar.* Cap. III. §. XC. sqq. p. 278 sqq. Christ. Andr. Eschenbach *Dissertat. de poetis christianis sacris* §. XV. l. cit. p. 106. Adr. Baillet *Jugemens des Savans* Tom. III. P. I. p. 424 sqq. P. Baile *Dictionaire historique & critique* Tom. III. p. 2562 sqq.

Digitized by Google

CCXIII.

S. ORIENTII *Illiberitani Episcopi* Versus commonitorii Floridissimi. Diu quidem antea desiderati, Sed non ita pridem Ex MS. membranaceo veteri Abbatiae Aquicinctinae in lucem postliminio reducti. Et nunc Oriente pacis liberioris tempore (quam ille praecipue hoc opusculo Christianis inculcatam voluit) Pristinae suae dignitati & integritati, quod licuit, restituti, ac post Heribert. Rosweydum, Mart. Delrium, Just. Lipsium, Aegid. Schondonchum, D. Fabritium, C. Barthium &c. emendati & scholiis paucis enarrati Ab Andrea Riuino D. & P. P. *Lipsiae. Anno Christi 1651.* in 8. folior. 32.

Omnia Andreae Riuini, quorum quidem non spernendam in lucem suis potissimum sumtibus, emisit copiam, opera, rariora esse, adnotauit Cl. Joan. Vogtius in *Catalog. libr. rar.* p. 582 sqq. Cl. Dauid Clement in *Preface* de la *Bibliotheque historique & critique des livres qui sont difficiles à trouver* Tom. I. p. XII. not. (i). Nondum inter doctos viros convenit, cui ORIENTIO, sunt enim varii scriptores, hoc nomine conspicui, *versus commonitorii* sint tribuendi. ORIENTIO quidem Episcopo illiberitano, in Hispania, qui anno 516. concilio tarraconensi, & anno 517. gerundensi interfuit, illos adscripsit Andreas Riuinus, suaeque sententiae socios nactus est Martinum Antonium Delrium e S. J. qui anno 1599. sine vt alii scribunt anno 1600. S. ORIENTII *commonitorium*, e membranis aquis cinctensibus, (*Anchin*) quarum Apographum ab Heriberto Rosweydo acceperat, emendatum & notulis illustratum, *Antuerpiae apud Joach. Trognetz* in 12. &, *iterum emendatum, ac notis secundis illustratum, Salmanticae, ex artium taberna.*

Digitized by Google

bona Arti Taberniel Antuerpiani 1604. in 4. ediderat, Nicolaum Antonium Tom. I. *Biblioth.* hiſpan. *veter.* L. IIII. p. 206 ſqq. Jacobum Baſnage *ad* Caniſii *Lection. antiqu.* Tom. I. p. 166. Guil. Caue in *Hiſtor. litterar. ſcriptorum eccleſiaſtic.* p. 393. Antonium Poſſeuinum in *Adparat. ſacr.* Tom. II. p. 516. Henric. Leonh. Schurzfleiſchium in *praefatione* editionis, de qua mox dicemus, Polycarp. Leyſerum in *Hiſtoria poetarum & poematum medii aeui* p. 77 ſqq. aliosque. Alii, Edmundus ſcilicet Martene, in praefat. *Collectionis nouae veterum Scriptorum, & monumentorum moralium, hiſtoricorum & dogmaticorum, ad res monaſticas, eccleſiaſticas & politicas illuſtrandas* Tom. I. *Rothomag.* 1700. in 4. & Tom. V. *Theſauri noui Anecdotorum* p. 119. Caſimir. Oudinus Tom. I. *Commentar. de Scriptor. & ſcriptis eccleſ.* col. 1268 ſqq. Auctores de *l'Hiſtoire litteraire de* France Tom. II. p. 251. variis argumentis confirmare ſtudent ORIENTIVM Epiſcopum auxitanum, Auxienſium (*Auſch*) in Vaſconia Apoſtolum, & patronum tutelarem, quem tempore ſeculi a Chr. nato V. medio, vixiſſe tradunt, *Commonitorii* eſſe auctorem. Quibus argumentis nitatur Joan. Alb. Fabricius, cum neque Epiſcopum auxitanum, neque illiberitanum, ſed ORIENTIVM quemdam natione Gallum, *commonitorium* ſcripſiſſe ſtatuit, vid. in *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. XIIII. p. 509 ſqq. vbi etiam Caſpar. Barthii error confutatur, qui in *Aduerſariis* L. XIIX. Cap. VII. col. 904. & in *Animaduerſionib. in* Claudiani *Paneg. in nuptias* Honorii *&* Mariae p. 801 ſqq. auctorem eſſe ſuppoſiticium dixerat. Quiſquis vero auctor fuerit *commonitorii*, certe id ſaepius in lucem emiſſum fuit, poſt Martini Antonii Delrii editiones. Varias editiones recenſet Jo. Alb. Fabricius l. cit. Jo. Nicol. Funccius in *Commentar. de inerti ac decrepita latinae linguae ſenectute* Cap. III. §. VII ſqq. p. 194 ſqq. vbi etiam editionis *ſalmanticenſis*, quae adeo rara eſt, vt etiam a nonnullis viris doctis in dubium

Digitized by Google

bium vocata fuerit, mentio facta est. Curauit editionem ad exemplar Delrii antuerpiense Laurentius Ramirez de Prado, illique talem praefixit titulum: S. ORIENTII *Episcopi* Illiberitani, *Commonitorium. Iterum emendatum, ac notis secundis illustratum a* Martino Delrio, *Societatis Jesu Presbytero. Salmanticae ex artium taberna Arti Taberniel Antuerpiani* 1604. Tanta sollertia ac diligentia a Typographo exscripta dicitur in praefatiuncula praemissa, vt ne vnicum in illo erratum typographicum inueniatur. Praefatiuncula ipsa talis est:

Heus tu amice ac studiose lector

Industriam & diligentiam terse Typographi attende & lauda. Licet enim exacte & adcurate perlustres omnia, nullum inuenies mendum. Miraculum! quamuis exiguo in libro. quod & in longo opere futurum spero. Typographus noster

Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat.

Hoc tibi latere nolui statim ipso in limine. Lege. Cum paucis editionem rarissimam videre contigit, Laurentii Ramirez de Prado praefationem heic inserimus integram:

D. Laurentius Ramirez de Prado
Pium & res hispanas *amantem lectorem saluere iubeo.*

Primum, Lector optime, εὐαγγέλια. Reduces tibi nuncio in Hispaniam *viros duos* Hispanos, *quos non minoris a te, quam a me fieri spero. Alterum sanctissimum Praesulem* Illiberitanum, Hispaniae Tarraconensis *decus, quem tamen scias multa iam saecula in caelestem beatorum coetum receptum immortalitate frui; reuertitur tandem ad* Hispaniam *ad viuum expressus in hoc libro versibus composito, quibus olim* Apollinaris Sidonius (*ab quantus vir!*) *mirandum in modum delectabatur. Alter est* Martinus Antonius Delrius, *Sacerdos*

Digitized by Google

cerdos Societatis Jesu, qui ad nos reuersus librum hunc dono suis Hispanis *attulit. Dolebis si sapis tantam virtutem, nobilitatem, industriam, tantam rerum omnium diuinarum humanarumque cognitionem tamdiu ab* Hispania *peregrinatam abfuisse. Gratulare nunc* Hispaniae *toti, quod is relicta* Flandria, Germania, Austria, *& illis septentrionalibus regionibus, in quibus tot, tantasque vtilitates suis vigiliis, suis laboribus, sui capitis periculis catholicae Ecclesiae peperit, postquam sui nominis gloria compleuerit,* Hispanos *suos tandem respexerit, & ad eos, longo temporis interuallo migrauerit. Ego, qui hominem ex doctissimis operibus iam diu cognoueram, & miratus fueram, nunc autem cum eo magna amicitia coniunctus, humanitatem summam, & suauissimos eius mores amo vehementer, volui beati* ORIENTII *libellum* Louanii *primum in lucem emissum nunc iterum operis excudendum tradere, vt de te quomodocunque bene mererer, & vt sanctissimi* Hispani *viri poemata haberes, & scires etiam,* Martinum Antonium Delrium *apud nos in* salmanticensi *Collegio commorari, cuius notas ab eodem recognitas adiungimus* ORIENTIO, *vt, si forte adeo fueris in politiori litteratura peregrinus, qui hunc virum ex aliis operibus non agnoscas, possis ex his Notis tanquam ex vngue leonem. Vale ex nostro* salmanticensi *Museo XV. Kal. Octobreis MDCIIII.* Pluribus illam editionem verbis descripsit Vir celeberrimus Joannes Erhard. Kappius, in *Neuen Beitraegen von alten vnd neuen Theologischen Sachen* &c. an. 1752. p. 20 sqq. Omnes autem ORIENTII editiones antiquiores, in quarum numerum etiam riuiniana referri debet, *librum Commonitorii* tantum *primum* ob oculos ponunt. *Librum secundum* primus e situ & obliuione, produxit Edmundus Martene, qui illum e peruetusto ecclesiae S. Martini turonensis codice descripsit, quem ante annos circiter DCCC. exaratum existimat, & cum aliis eiusdem ORIENTII versibus heroicis *de natiuitate domini,* decastícho elegiaco *de epithetis Saluatoris,* carmine hexametro

Digitized by Google

xametro *de Trinitate, de nominibus domini, precationibus* & *hymnis* inſeruit *Collectioni nouae veterum ſcriptorum*, modo citat. p. 1 ſqq. Cum Edmundus Martene variis in locis Delrii carperet lectionem, illius in ſe ſuſcepit defenſionem Joannes Commirius e Societate Jeſu, qui inſeruit aux *Memoires de* Trevoux ann. 1701. p. 112 ſqq. & 332 ſqq. *Corrections à faire dans les poeſies de* S. ORIENTIVS *imprimées par le* R. P. Martene. Reſpondit vero hic Commirio in *praefatione* Tomi III. *de antiquis eccleſiae ritibus Rothomag.* 1702. in 4. Nonnulla etiam in Edm. Martene editione reprehendit, & emendauit Joan. Georg. Eccardus in *monatlichen Auszügen von allerhand zu herausgegebenen nützlichen vnd artigen Büchern* ann. 1701. menſ. Octobr. p. 23 ſqq. Ad Edmundi Martene ſuam poſtea editionem recenſuit, variisque locis caſtigauit, additis virorum doctorum *animaduerſionibus*, praemiſſisque *prolegomenis* Henricus Leonhardus Schurzfleiſchius, *Viteb.* 1706. in 4. Illi addidit S. ORIENTIVM *ſupplemento auctum, ſiue nouam e Cod. Bibliothecae* oxonienſis *recenſionem, itemque curas poſteriores ad Lib. II.* ORIENTII, *Vinariae* 1716. in 4. Tandem Edm. Martene S. ORIENTII *Commonitorium*, ad manuſcriptum codicem, & adnotationes Commirii, cuius vero nomen tacet, emendatum, inſeruit *Theſauro nouo Anecdotorum* Tom. V. *Pariſ.* 1717. in fol. vbi ſecundum locum occupat p. 19 ſqq. Conf. Filip. le Cerf *Bibliotheque hiſtorique & critique des Auteurs de la Congregation de* St. Maur p. 303 ſqq. Jo. Alb. Fabricii *Bibliotheca med. & infim. Latinit.* I. cit. die *Nachrichten von einer* halliſchen *Bibliothek* Tom. VI. p. 28 ſqq. Id heic etiam obſeruare licebit, quod editio riuiniana, Jacobo Welleto dicata, multis typothetarum erroribus deformata fuerit. In titulo ſtatim pro Georg. Fabricio legitur D. Fabritius.

Digitized by Google

CCXIIII.

Opera *Diui* FVLGENTII *Afri, Episcopi Ruspensis.* Librorum multorum accessione, quae versa pagina exprimuntur, locupletata. *Antuerpiae apud Christophorum Plantinum, Architypographum regium MDLXXIV.* (1574). *Cum Priuilegio Reg. Maiest. ad Sexennium sub sig. de la Torre.* in 8. pp. 691.

Editionis hodie satis rarae, quam *typis & impensis*, vt in fine legitur, Christophor. Plantini *excudit* Joannes Masius *Typogr. iurat.* 1573. in se suscepit curam Joannes Vlimmerius louaniensis, Justi Lipsii, & Joannis Costerii discipulus, qui e codice, quem ipse possidebat, MSto, cum exemplari msto, monasterii Fontis beatae Mariae, prope Arnhemum, & editione Laurentii Surii, in *Sanctorum vitis*, collato, *vitam* S. FVLGENTII, per quemdam eius discipulum scriptam, e codice vero gemblacensis Bibliothecae, *librum ad quaestiones* Ferrandi, & *duos libros de remissione peccatorum*, qui antea nondum editi erant, huic editioni de nouo addidit. Libros praeterea prolixiores, in capita diuisit, sacrae scripturae loca diligenter notauit, & vitiata quaedam loca veterum codicum subsidio emendauit. Cum vero Vlimmerius, saerarum virginum Amstelodami Praefut, variis districtus curis, praefationem scriberé non posset, Christophori Plantini & editoris rogatione permotus, *praefationem* conscripsit Joannes Molanus, cui librorum visitatio, tunc temporis commissa Louanii fuit, in qua varia lectu digna de FVLGENTIO, eiusque operibus editis & ineditis reperiuntur.

FVLGENTII, ruspensis in byzacena Africae provincia Episcopi, Calend. Januar. DXXXIII. anno aetatis LXV. mortui, *vita*, a discipulo anonymo composita, variis *Operum* FVLGENTII editionibus praemissa

Digitized by Google

missa fuit. Extat etiam in Laurent. Surii *vitis SS. ad I. Januar.* p. 11. in *Actis SS.* antuerpiens. *Januar.* Tom. I. p. 32 sqq. in *Bibliotheca maxima Patrum* lugdunensi Tom. VIIII. p. 4. Conf. Anton. Possevini *Adparat. sac.* Tom. I. p. 518 sqq. Guil. Caue *Histor. litterar. Scriptor. eccles.* p. 384 sqq. Casimir. Oudini *Commentar. de scriptor. & scriptis ecclesiast.* Tom. I. coll. 1373 sqq. Louis Ellies Dupin *Bibliotheque des Auteurs ecclesiastiques* Tom. V. p. 20 sqq. Joan. Albert. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. VI. p. 661 sqq. vbi etiam variae *Operum* FVLGENTII editiones recensentur. Omnium optima censetur editio, quae hoc titulo prodiit: S. FVLGENTII *Episcopi* ruspensis *Opera, quae sunt publici iuris omnia, ad manuscriptos codices plures, nec non ad editiones antiquiores, & castigatiores emendata, aucta, & in vnum omnia volumen nunc primum collecta. Parisiis apud Guilielmum Desprez* 1684. in 4. Recensio illius vid. satis exacta in *Actis eruditor.* lipsiens. ann. 1684. p. 543 sqq.

Joannes Vlimmerius diem obiit supremum anno 1597. die III. Febr. variaque reliquit scripta, quorum titulos adtulit Jo. Franciscus Foppens in *Biblioth.* belgic. Tom. II. p. 747. vbi etiam hoc, eius sepulchro, Louanii, inscriptum epitaphium legitur:

Ingenium sortitus eras pernobile quale
Attribuit caris largior aula poli.
A puero pietas, caelo gratissima virtus
Insedit, stimulans subdere colla Deo.
Hoc melior factus, commercia noxia vulgi
Effugis, & patrii commoda lauta laris.
Numine correptus diuina lycea frequentas
Quae de Martini *nomine nomen habent.*
Adfuit ingenti praeclarus in arte Palaemon,
Qui studio tenues adcumulauit opes.
Viribus ingenii immensis monumenta vetusta
Exeris, vnde tuis parta corolla comis.

Inde

Digitized by Google

Inde gradu facto, sublimes scandis honores
Exercens propriae sceptra decora domus.
Jam tantis opibus tam lauta dote beatus,
Tangebas facili fidera celsa manu:
Sed nihil in rebus mortalibus undique felix,
Perpetimur varias sorte premente vices.
Tu tamen interea fidei sanctique laboris,
Accipis emeritae praemia militiae.

OBIIT ANNO M. D. XCVII.
FEBR. III. DIE.

Emendatione igitur indigent, quae in *lexico eruditor.* Tom. IIII. col. 1670. de anno Joannis Vlimmerii emortuali, leguntur.

Joannes Molanus, siue vt Belgarum lingua vocabatur vernacula, Vermeulen, louanienſis, S. S. Theolog. D. & in publico Academiae gymnasio Professor, apostolicus ac regius librorum Censor, regii Theologorum seminarii, in academia louanienſi anno 1579 per Philippum II. erecti, primus Praeses, ecclesiae louanienſis Canonicus, multis editis libris inclaruit, & obiit Louanii anno 1585 die XIIX. Septembr. aetatis anno LII. Vitam illius e variis auctoribus congeſſit, & descripsit Niceron in *Memoires* Tom. XXVII. p. 339 sqq. Conf. Joan. Franciſci Foppens *Bibliotheca* belgica Tom. II. p. 694 sqq.

CCXV.

Les grandes croniques & Annalles de France. in fol. Tom. II.

Communicauit operis oppido rari descriptionem nobiscum, bibliophilus, quem semel iterumque honoris causſa nominauimus, caſſellenſis, qui vehementer dolet, quod Tomi I. folia tria priora excisa fuerint,

rint, quae causſa eſt, quam ob rem neque integer titulus adſcribi, neque auctor *chronici* deſignari potuerit. Secundo Tomo talis praefigitur titulus: *Le ſecond Volume des Cronicques & Annalles de* France, *augmenteé en la fin dudit Volume daucuns faictz dignes de Memoire des feux roys* Charles huytieſme, Loys douzieſme & Francois primier *du nom juſques en l'an Milcinq cẽs XXXIII.* (1533.) *nouvellement imprime à* Paris Egidius Gormontius. Nomen Aegidii Gourmont ſiue Gormontii, typographum deſignat, qui inter typographos gallos, primus exſtitit, qui Pariſiis, libros graecos & hebraicos, duce Franciſco Tiſſardo, ambacaeo typis expreſſit. Quatuor librorum graecorum titulos, quos is primum anno 1507. euulgauit, vid. in Michael. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. II. p. 69. & 184. Inter libros hebraicos primus fuit *grammatica* hebraica, quae a Michael. Maittaire l. cit. p. 101. anno 1508. prodiiſſe dicitur. Conf. p. 195. In fine ſecundi Tomi *chronicorum* francicorum, haec Typographi leguntur verba: *novellement imprimees à* Paris *& furent achevees mil cinq cẽs XXXIII.* Omne *chronicon* characteribus gothicis excuſum hoc potiſſimum ſingulare habet, quod Tom. I. fol. LXXXIII. b. haec talia de Joanna papiſſa legantur: *Dune femme qui par inconvenient fut esleve pape. En ce temps advint vng grant ſcãdale en legliſe. de* Romme, *car en* Angleterre *avoit une jeune fille de merveilleuſe beaulte & gront engin, de laquelle ung jeune eſcolier ſen amoura, & en habit dhomme la mena juſques à* Athenes *ou il alla eſtudier. Et la dicte fille eſtant avec le dit Eſcolier comprenoit toutes ſciences dont elle luy voyoit parler & lire. A la parfin ils ſen vindrent à* Romme. *ou icelle eſtant comme dit eſt en habit dhomme tint poſitions & argumentations de diverſes ſciences à lencontre de pluſieurs grans clercs, en quoy elle acquiſt moult grant bruyt & honneur enter clercs, & tellement que vacquant le ſiege papal par le deces de* Leon *pape IIII. de ce Nom. Les Cardinaulx croyans que la dicte*

Digitized by Google

dicte fille fut ung homme lesleurent concordamment en pape, & fut sacree & nommee Jehan, *& tint le Siege deux ans cinq moys & quatre jours. Et ce pendant ella saconinta dung sien cubiculaire q̄ lē grossa, (qui l'engrossa) mais dieu, qui ne voulut longuement soufsrir ung tel opprobre en son egliſe permiſt que en allant & cheu auchant* (chevauchant) *par la ville de* Romme *elle enfanta publicquemment en la rue & illec mourut. Et neſt point le dit* Jehan *pour la deteſtination de ce fait & diſformité du Sexe mis au cathalogue des papes & eſt eſcript delle ſe verſet dont tous les mots ſe commencent par P. qui fut fait dung des Cardinaulx de* Romme Papa pater patrum papiſſa peperit partum &c. Extat etiam in hoc *chronico* epiſtola, quam Philippus pulcher Galliae rex, ad Bonifacium pontificem, in controuerſia ob bullam pontificiam, anno 1296. promulgatam, quae verbis inchoatur: *Clericis laicos*, inſigni animorum contentione, cum curia romana agitata ſcripſiſſe perhibetur. Eſt illa epiſtola eiuſmodi verbis concepta: Philippus *dei gratia* francorum rex Bonifacio *ſe gerenti pro ſumma pontifice ſalutem modicam ſiue nullam. Sciat tua maxima fatuitas in temporalibus nos alicui non ſubeſſe, aliquarum eccleſiarum & praebendarum vacantium, collationem ad nos iure regio pertinere & percipere fructus earum contra omnes poſſeſſores viriliter nos tuere, ſecus autem credentes fatuos reputamus atque dementes. Datum* &c. Reſponſio autem illa epiſtola fuiſſe dicitur, ad litteras, ab Epiſcopo apamienſi primo, Bernardo Saiſſeti, Pontificis legato, nomine Pontificis, Philippo regi traditas: Bonifacius, *Epiſcopus, Seruus ſeruorum Dei*, Philippo Francorum *Regi. Deum time & mandata eius obſerua. Scire te volumus, quod in ſpiritualibus & temporalibus nobis ſubes. Beneficiorum & praebendarum ad te collatio nulla ſpectat; & ſi aliquorum vacantium cuſtodiam habeas, fructus eorum ſucceſſoribus reſerues; & ſi quae contuliſti, collationem eiuſmodi irritam decernimus; & quantum de facto proceſſerit reuocamus.*

Digitized by Google

Aliud autem credentes, haereticos reputamus. Dat. Laterani &c. Vid. de hac controuersia Scriptores, quos Tom. I. p. 434. nominauimus. Prae ceteris legi merentur P. Dupui *Histoire du Différend de* Philippe le bel *& du Pape* Boniface IIX. *produite par les Actes & Memoires Originaux, Paris* 1655. in fol. Adr. Baillet *Histoire du Démêlé entre le Pape* Boniface IIX. *&* Philippe le Bel *Roy de* France, *à A Paris* 1717. in 12.

CCXVI.

Textus arithmetice communis: qui pro magisterio fere cunctis in gymnasiis; ordinarie solet legi! correctus corroboratusque! perlucida quadam atque prius non habita commentacione! a CONRADO *Norico artium liberalium! Academie Lipsensis magistro!* summo labore & diligentia! oritur. in fol. folior. 25.

Hic titulus praefigitur *textui arithmeticae communis*, cuius in fine Martini herbipolensis scuta, nullo typographi addito nomine conspiciuntur.

In duas *arithmetica communis* distincta est partes. Partis primae argumenta haec sunt.

1. *Numerus mathematicus diffinitur atque diuiditur.*
2. *De speciebus numeri imparis atque earum generationibus.*
3. *De tribus speciebus numeri paris de quibus adhuc non satis est dictum* scilicet *de numero habundante seu superfluo, diminuto & perfecto.*
4. *De numero relato ad alium.*
5. *De multiplici eiusque speciebus & earum generationibus.*

6. De

6. De ſuperparticularis eiuſque ſpeciebus & earum generationibus.
7. De tertia ſpecie inaequalitatis, quae dicitur ſuperparciens &c.
8. De multiplici ſuperparticularis.
9. De multiplici ſuperpartiente.
10. De habitudine aequalitatis ad inaequalitatem, & contra.

In ſecunda parte agitur.

1. Quo pacto inaequalitas ad aequalitatem reducatur.
2. De figuris geometricis ſimilitudinem cum numeris habentibus.
3. De numero lineari.
4. De numero ſuperficiali atque ſpeciebus eius, earumque generationibus.
5. De numero ſolido.
6. Alia diuiſio numerorum ſolidorum cum ſuis procreationibus.
7. A quibus omnis numerus procreatur.
8. De numero quadrato altera parte longiori & numero antelongiori.
9. De proportionibus & medietatibus ad Muſicam ſpectantibus.
10. De medietate arithmetica.
11. Proprietates medietatis arithmeticae.
12. De medietate geometrica.
13. Proprietates medietatis geometricae, quae quatuor ſunt.
14. De medietate armonica.
15. De aliis medietatibus. Denarius numerus compleatur.
16. De perfectiſſima medietate.

Vltimam paginam complet CONRADI norici ad ſpectabilem & eximium Facultatis artium academie lipſenſis, Decanum venerabilem, ſeptem artium liberalium magiſtrum, vtriuſque iuris Baccalarium dominum

Digitized by Google

minum Sixtum Pfeffer de Werdea, *praeceptorem suum praestantissimum* epistola scripta *ex* Liptzck *sole in tertia parte aquarii anno salutis 1503.* qua illi *commentarium* suum, *in Arithmeticam communem* dedicat. Isti vero *Commentario* hic nouus praefigitur titulus: *Commentatio arithmetice communis a* CONRADO Norico *arcium liberalium academie* lipsensis *magistro modo introductoria quedam in mathematicam disciplinam ibidem publice legentis feliciter incipit.* In praefatione varias scientiae mathematicae diuisiones, illiusque vtilitatem exponit. In fine *commentarii* haec legimus verba: *Conuentacio arthmetice* (arithmeticae) *communis a Mgro* CONRADO Norico *sole in tertia parte aquarii Anno salutis 1503 currente! reperta! & in Hemisperio insignis Academie* Lipsensis *publice lecta.* Haec verba excipit *index eorum que commentacione cursorie tractantur*, cui subscriptum legitur *Finis tabule 1503.* Conf. Jo. Henric. Leichii *Annal. typograph.* lipsienf. p. 82. & p. 102.

Fuit iste CONRADVS, qui patrio adpellabatur nomine TOCKLERVS, ex vrbe norimbergensi oriundus, quam ob caussam more illorum temporum, CONRADVM, in scriptis suis, se adpellare consuevit *noricum.* Non incelebris inter Doctores lipsienses fuit. Siquidem is *professioni physiologicae* constituendae occasionem dedit, quae propterea hodierno die *Professio norica*, siue *tackleriana* adpellari solet. Cum enim ille anno 1530. d. X. Junii, sine prole decederet & aliquot millia florenorum relinqueret, Senatus lipsiensis, hoc potissimum titulo, haereditatem adire voluit, quod TOCKLERVS domicilium suum, non in collegio academico, sed in ciuitate, sub senatus iurisdictione habuerit. Id aegre ferens Senatus academicus, qui TOCKLERVM ciuem academicum, Professorem publicum ordinarium, & anno 1512. Rectorem Academiae fuisse magnificum demonstrabat, rem ad Georgium Saxoniae Ducem detulit, qui hoc, in Academiae fauorem promulgauit edictum:

Wir

Digitized by Google

Wir Georg, *von Gottes Gnaden, Hertzog zu* Sachsen, *Landgraff in* Düringen, *vnd Marggraff zu* Meissen, *thun kund vnd bekennen, nachdem vnd als der hochgelahrte, vnser lieber getreuer Herr* CONRADVS Noricus, *der Artzney Doctor, Seeliger, allhier ohne Verordnung eines Testaments, oder letzten Willens verstorben, vnd etliche Parschafft, Bücher vnd Kleider nach sich gelassen, der sich der Rath allhier, als Erbloß verstorbenes Güter anzumassen vnterstanden, wie sich denn auch, auff ihr hin vnd wieder ausschreiben, niemandes funden, der bemeldtem Doctori, Blutshalben verwand, vnd zurecht sein Erb seyn mügen. Wol hat sich sein Diener,* Johann Weinstein, *einer Forderung darzu angemasset, eines Verzeichnüß halben, so er bey etlichem Gelde, als solte es ihm zustaendig seyn, funden; Aber die würdigen vnd hochgelerten, unsere liebe Andächtigen vnd Getreuen, Rector, Magistri, vnd Doctores, vnser Vniversität, allhier zu* Leiptzig, *haben sich deshalben an vns beklaget, vnd verhoffet, daß solche Parschafft ihnen solte seyn heimgefallen, die weil bemeldter Doctor* Noricus *ihnen eingeleibet blieben, vnd also erbloß verstorben, daraus denn zwischen ihnen vnd bemeldtem Rath Irrung entstanden.*

Auff daß nun solches alles hingeleget, und sie sich in Weiterung von allen Theilen nicht dürffen einlassen, so haben wir bey ihnen erhalten (doch einem ieden Theil, ob der Fall hinforder also vorfiel seinen Rechten unbeschadet) daß sie es mächtiglich bey uns gestalt: vnd dem also nach, so scheiden vnd weissen wir, daß solche Parschafft, vnd was sonsten zu Gelde mag gemachet werden, vnd nach bezohleten Schulden überbleibt, zu vnsern Haenden sol gestalt worden, dargegen wollen wir auf ein iedes hundert fünff Gülden jaehrlicher Zinnß versichern, die da die haelffte auf nechstkünfftig Walpurgis, *vnd die andere haelffte auf* Michaelis *darnach sollen angehen, vnd von denselbigen Zinsen, sollen obgemeldten* Johann Weinstein, *dreyssig Gülden jaehrlich, weiln er*

lebet, ſampt des Doctoris Kleidern folgen; Aber zu den andern Zinſen, ſol die Beſoldung der zwo Lecturen, ſo bißher in der Artzney Facultaet geweſt, geſchlagen, vnd alsdenn dieſelbige Beſoldung vnd Zinſe in drey Theil getheilet, vnd eine dritte Lectur in der Phyſiologia, ſo zur Artzney dienſtlich, aufgerichtet werden, darzu wir einen Doctorn in der Artzney verordnen wollen, daß alſo die drey Legenten, in ihrer Beſoldung vergleicht. Wir wollen aber auch dem neuen Legenten, ſo wir jetzt oder künfftig zu ſolcher Lectur werden verordnen, einbinden, vnd befehlen, ob irgend einer oder der ander, unter den armen Frantzoſen *ſo in derſelbigen Hoſpital ſeyn, oder hinfür der kommen werden, ihn vmb Rath zu ihrer Kranckheit anlanget, daß er ihm denſelbigen ſol vergebens mitzutheilen verpflichtet ſeyn.*

Wenn auch obgedachter Johann Weinſtein *Todeshalben wird abgehen, ſo ſol alsdenn eine iede Lectur von denn dreyen mit zehen Gülden gebeſſert werden, damit ſie alſo von allen Theilen vertragen. Treulich vnd ohne Gefehrde, zu Vrkund mit vnſern auffgedruckten Secret beſiegelt, vnd geben zu* Leiptzig *Mittewochs nach Exaudi im 1531. Jahre.*

Conf. Zachar. Schneideri *Chronicon* lipſienſe *Leipz.* 1655. in 4. L. VI. p. 298 ſqq. Anonymi *Centuria Scriptorum inſignium, qui in* lipſienſi, wittebergenſi, francfordiana *ad* Oderam *academiis floruerunt*, num. LVIIII. vbi CONRADVM, *virum in ſeculari philoſophia plurimum doctum, & diuinarum litterarum non ignarum, Philoſophum, Oratorem, Medicum ac mathematicum inſignem, acutum ingenio, & oratione facundum adpellat.* Jo. Guilielmi Baieri *Schediaſma de Mathematum in Academias & ſcholas* Germaniae *ſuperioris introductione, Altorf.* 1704. in 4. p. 9.

CCXVII.

Digitized by Google

CCXVII.

*Sphaerae mondi compendium foeliciter inchoat Nouiciis adolescentibus ad Astronomicam remp. capessendam aditum impetrantibus pro breui rectoque tramite vulgari vestigio semoto IOANNIS DE SACROBVSTO Sphaericum opusculum vna cum additionibus nonnullis Ira Asparsim vbi interfertae sint signatis; contraque eremonensia in planetarum theoricas delyramenta IOANNIS DE MONTEREGIO disputationes, tam accuratis quam vtilis: nec non GEORGII PVRBACHII: in eorumdem motus planetarum accuratis theoricae dicarum opus: vtili serie contextum, fausto sidere inchoat.

Post haec in eadem pagina, ipsa *Sphaera* IOANNIS DE SACROBOSCO inchoatur. Opponitur paginae huic figura, Astronomiam sedentem exhibens, cuius ad dextram stat *Vrania musa celestis*, ad sinistram Ptolemaeus *Princeps astronomorum*. Libellus figuris astronomicis ornatus. In fine legitur: *Hoc quoque sideralis scientie opusculum Impressum est* Venetiis *per Magistrum* Gullielmum de Tridino de Monteferrato *Anno salutis M CCCC LXXXXI.* (1491) *die XIIII. Januarii.* Folia numeris insignita non sunt. Forma est in 4. sed 8. folia semper vnica littera insigniuntur litterarumque series ad F. pertingit. Character latinus.

CCXIIX.

* Libri, qui *asterisco* notati sunt, mathematici rari, e bibliotheca ABRAHAMI GOTTHELF KAESTNERI P. P. in academia lipsiensi, celeberrimi, amici nostri, nobiscum beneuole communicati fuerunt, a quo etiam recensionem, quam legis, accepimus.

Digitized by Google

CCXIIX.

* *Eximii atque excellentissimi physicorum motuum cursusque syderei indagatoris* MICHAELIS SCOTI super auctorem Speræ cum quæstionibus diligenter emendatis incipit expositio confecta Illustrissimi Imperatoris Dni D. Federici precibus.

Quatuor folia ex singulis plagulis complicata sunt, litteraeque plagularum indices nouem primae alphabeti. Custodes & foliorum numeri nulli. In fine legitur: *Impressum fuit hoc opus diligenter in alma civitate* Bononiae, *Regnante inclyto Principe Domino D.* Joanne Secundo Bentiuolo *per* Iustinianum de Ruberia *MCCCCLXXXXV.* (1495) *die XV. Septembris.* Character Gothicus. Vid. Mich. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. I. p. 606.

CCXVIIII.

* Libellus desideratus super celestium motuum indagatione sine calculo.

Motus caelestes machina quadam reperiuntur. Liber forma quadripartita plag. 6. *Et hic finis expositionis canonum libri desiderati equationis celestium motuum sine calculo in honorem syderum conditoris, qui & nos conseruare dignetur in euum. Amen. Ex* carpen. *per* GVILLERMVM EGIDII de Wisselkerc. *ex* Zelandia. 1494. Character latinus. Hic GVILLERMVS EGIDIVS wiskerckius, Zelandus, Mathematicus, auctor libri est, vt ex alia libri inscriptione patet, in qua *pro nunc Ciuis* carpentoratensis vocatur. Joan. Franciscus Foppens in *Bibliothec.* belgic. praeter hunc Tom. I. p. 388. non alium illius protulit librum.

CCXX.

Digitized by Google

CCXX.

*Libellus ysagogicus ABDILAZI id est *Serui glorioſi Dei*, qui dicitur Alchabitius ad Magiſterum iudiciorum aſtrorum interpretatus a IOANNE HISPALENSI ſcriptumque in eumdem a IOHANNE SAXONIE editum vtili ſerie connexum incipiunt.

Haec litteris latinis maiuſculis in fronte paginae. Sequitur in eadem pagina libri aſtrologici initium, cuius plagulas 14. in 4. complexi finis eſt: *Finitur ſcriptum ſuper alchabitum ordinatum per* IOHANNEM DE SAXONIA *in villa* pariſienſi *anno 1331. correctum per artium & medicinae doctorem dominum* Bartholomaeum de Alten *&* Nuſia. *Impreſſum* Venetiis *per* Johannem *&* Gregorium de forliuio *fratres. Anno ſalutis MCCCCLXXXXI.* (1491) *in die XXVI. Julii.* Conf. Chriſtophor. Hendreich *Pandect.* brandeb. p. 128. Joſ. Simleri *Bibliotheca* p. 413. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. med. & inſim. Latinit.* L. IIII. p. 30. vbi adnotauit IOHANNEM DE SAXONIA patrio nomine fuiſſe adpellatum, IOANNEM DANCK ſiue DANCKONEM. Conf. L. VIIII. p. 395. Mich. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. I. p. 540.

CCXI.

*Aſtrolabium planum in tabulis aſcendens continens qualibet hora atque minuto equationes domorum celi: moram nati in vtero matris, cum quodam tractatu natiuitatum vtili ac ornato necnon horas inequales pro qualibet climate mundi. *Con gratia & priuilegio.*

Praeter tabulas aſtrologicas, figuris ornatus liber, ſingulis ad ſingulos gradus ſingulorum eclipticae ſignorum,

Digitized by Google

rum, natiuitatis momento orientium, pertinentibus. v. g. *in primo gradu thauri. Ascendit vir thaurum ducens ad macellum, baculum tenens in manu. Homo carnifex erit.* Liber forma quadripartita impressus. In fine legitur: *Opus Astrolabii plani in tabulis a* IOHANNE ANGELI *a nouo elaboratum explicit feliciter Impressum* Venetiis *per* Johannem Emericum de Spira allemanum. *Anno salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto* (1494) *Idus Junii.* Character gothicus. Vid. Mich. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. I. p. 584. vbi librum in fol. editum, illique *Ephemerides perpetuas*, praemissas esse scripsit. Fuit iste IOANNES ANGELVS Bauarus ex vrbe Aichem oriundus, Medicus, & Astronomiae Professor viennensis, qui Ricciolo teste anno 1512. mortuus est. Reliqua eius *opera* memorantur a Iosf. Simlero in *Bibliotheca* p. 336. a Christophoro Hendreich in *Pandect.* brandenburg. p. 186. a Io. Alb. Fabricio in *Bibliothec. med. & infim. Latinit.* L. I. p. 260. Conf. L. VIIII. p. 135. Librum iam inter raros retulit Samuel Engel in *Bibliotheca selectiss.* P. I. p. 136. & Cl. Dauied Clement in *Bibliotheque historique & critique des livres, qui sont difficiles à trouver* Tom. I. p. 332. vbi praeter adductam editionem, duas exstare alias adnotauit. Antiquiorem nimirum, quae Erhardi Ratdolt, Augustensis, *viri solertis eximia industria, & mira imprimendi arte, qua nuper* Venetiis, *nunc* Augustae Vindelicorum *excellet nominatissimus*, excusa in calce dicitur Augustae Vindelicorum *MCCCC. LXXXVIII.* (1488) *XXVII. Kal. Nou.* vid. Mich. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. I. p. 495. Recentiorem, quam Fabricius in *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. XV. p. 717. Venetiis euulgatam esse scribit. Haud vero satis adcurate Fabricius l. cit. & Niceron. in *Memoires* Tom. XXVI. p. 315. omnem librum Petro d'Abano tribuit, cum tantummodo in illius P. II. quaedam inueniuntur, quae ad Petrum d' Abano referri possunt. Quae illa sint, particula docet *praefationis*, quam Sam. Engel l. cit. adtulit:

Digitized by Google

adtulit: *Subsunt in hac secunda parte figure celi ad medium sexti climatis, cuius latitudo est circa 45. gradus: per duodecim domos verificate, quibus imagines facierum preponuntur, graduumque omnium signorum imagines, ab excellentissimo viro Medicine facultatis* Petro de Abano *elaboratae* &c. Istae vero Petri d' Abano figurae, a Giotto pictore Italorum celeberrimo, eiusque discipulis, in lacunari fori, seu aulae maximae iuris, patauinae, aedificii, quo nihil, tota Italia, magnificentius exstare, scribit Nicol. Comnenus Papadopolus in *Historia gymnas.* patauin. Tom. I. p. 279. mira arte & elegantia depictae fuerunt, vbi etiam hodierno die cernuntur. Vid. Jo. Georg. Keysslers *Neueste Reisen* P. II. *Brief* LXXI. p. 661. edit. *Hanouer.* 1741. Jo. Alb. Fabricii l. cit. L. XV. p. 717.

CCXXII.

* ABRAHE AVENARIS *Judei Astrologi peritissimi in re iudiciali* Opera ab excellentissimo philosopho PETRO DE ABANO post accuratam castigationem in latinum traducta. in 4.

Liber charactere gothico exscriptus, in fine haec refert verba: *Expliciunt peritissimi Astrologi* ABRAHE AVENARIS *praeclara opuscula, cum nonnullis particularibus tractatibus egregiis astrorum iudicibus sat conducentibus Arte & ingenio solertis viri* Petri Liechtenstein *in corpus vnum (ad commune diuino huic negocio inhiantium commodum) miro indagine accumulata Impensaque propria pulcherrimis his characteribus excusa* Venetiis *anno virginei partus supra millesimum quingentesimum septimo* (1507) *Pridie Kalendas Junias cum Priuilegio.* Opuscula astrologica, quae heic ABRAHAMO AVENARI tribuuntur, verum auctorem

rem agnoſcunt R. ABRAHAMVM F. MEIR ABEN ESRA, hiſpanum toletanum, quem anno Chriſti 1194. die II. menſis Adar ineuntis Kalahorae, quam Rhodum alii vocant, aetatis anno LXXV. mortuum eſſe memorat *Scriptor Jachaſin* p. 131. a. alii autem hiſtorici iudaici, alio deceſſiſſe tempore produnt. Non vero omnia, ABEN ESRA ipſe compoſuit, ſed quaedam ex arabico in hebraicum ſermonem conuertit, & in illa commentaria ſcripſit. Titulos opuſculorum hebraicos vid. in Joan. Chriſtophor. Wolfii *Bibliotheca* hebraea Tom. I. p. 81 ſqq. Quod ad PETRI D'ABANO verſionem illorum latinam adtinet, *illi* Jacobus Gaffarellus in *curioſitatibus inauditis* p. 218. verſion. lat. Gregorii Michaelis, *Hamburg.* 1676. in 8. *non ſemper cum fontibus conuenire, atque tractatus quoſdam verſioni inſertos eſſe, quos fontes non agnoſcant*, ſcribit. Oſtendit autem Chriſtoph. Wolfius l. cit. p. 82. not. r. Gaffarellum codicem hebraicum minus plenum habuiſſe, cum illi, quos in eo deſiderari dixerit *tractatus*, in aliis codicibus non mutilatis inueniantur. Conf. de R. ABRAHAM. F. MEIR ABEN ESRA, Chriſtophor. Hendreich *Pandectae* brandeburg. p. 20. Jul. Bartoloccii *Bibliotheca rabbinica* Tom. I. p. 54 ſqq. Adriani Relandi *Analecta rabbinica* p. 59 ſqq. Jacques Baſnage *Hiſtoire des Juifs* Tom. V. p. 1609 ſqq. Jo. Henr. Hottingeri *Hiſtor. eccleſ.* Tom. III. Cap. XII. p. 261. & qui omnium optime res ad illum pertinentes expoſuit, Chriſtoph. Wolfii l. cit. p. 71 ſqq.

CCXXIII.

* Tractatus de Stylometris ſiue inſtrumentis quibus quinque ordines Architecturae, methodo qua facilior inueniri nequit expeditius & accuratius longe quam vllo Proportionatorio, in modica

Digitized by Google

modica & maiuſcula forma deſignantur. *Inuentore* NICOLAO GOLDMANNO *Vratisl. Sileſio.*

Gebrauch dehr Bauſtaebe, durch dehrer Hülffe die fünf Ordnungen der Baukunſt aufs aller leichteſte, ja behaender vnd genauer als mit einigen Ebenpaſſer, in groſſer vnd kleiner Form abgebildet werden. *Lugd. Bat. ap. Auctor.* 1662. in fol. pp. 32. Tabulae aeneae 40.

In fine legitur *apud* Philippum de ero-y. Primus inter Architectos, non Germanos, ſed omnes, GOLDMANNVS ordines adcuratius diſtinxit, proportiones ſubtilius definiuit, columnarumque delineandarum rationem perſpicue explicauit. Cui negotio his praecipue organis auxilium inſigne adtulit. Sunt vero *Stylometra* GOLDMANNI, priſmata triangularia, quibus ſingulis, ſingulorum ordinum altitudines & ecphoras inſcripſit, vt eorum ope commode delineentur. Vſum hoc libro latino & germanico ſermone, terſo vtroque, imo ſaepius ornato docuit. Tam perrarus eſt liber, vt pauciſſimi ſint qui eum, pauciores quam pauciſſimi, qui cum eo *ſtylometra* poſſideant. Sed tabulis inſtructi Architecti, iam ſecundum eas, non minus commode pingere ordines didicerunt, vix amplius impenſas in *Stylometra* facturi, quod aegre laturus eſſet, procul dubio, ſi ſpiret GOLDMANNVS; dum enim ſuadet, vt aurichalci loco, ex argento organa conficiantur, in cuius candore lineae inciſurarum ſubnigrae magis conſpicuae fierent, haec addit: *ſed caritas Organi incuſatur: dabo conſilium* Euelioni *proficuum, abſtine a vitio regionis, & ſumtus temperantia collige, breui tibi media ſufficient, intelliges quantum vectigal ſit parſimonia &c.* Germanice ſcripſit: *dergleichen Geizhalſe rathe ich, daß er nicht ſo viele Raeuſche ſaufe &c.*

Digitized by Google

CCXXIIII.

* Le Reueil matin fait par *Monſieur* BERTRAND pour Reueiller les pretendus ſçavans Matematiciens de l' Academie Royale de Paris &c. *A Hambourg Imprimé par Bertrand libraire ordinaire de l' Academie de Bertrand où il ſe vend MDCLXXIIII.* (1674) *Avec privilege de Bertrand* in 8. pp. 75. except. foliis 20 prioribus.

Ne Trompez plus perſonne ou Suite du Reveil-matin des pretendus ſavans Matematiciens de l'Academie Royale de Paris. Ou les Curieux trouveront de quoy ſe divertir & s' inſtruire. *A Hambourg Imprimé par Bertrand, libraire ordinaire de l'Academie de Bertrand, ou il ſe vend. MDCLXXV.* (1675) *Avec Privilege de Bertrand.* pp. 69. except. 12. fol. praemiſſis.

Le Monde deſabuſé ou la Demonſtration des deux lignes moyennes proportionnelles par BERTRAND DE LA COSTE *Colonel d' Artillerie au ſervice de la Republique de Hambourg. A Hambourg MDCLXXV.* (1675). pp. 40.

Ce n'eſt pas la Mort aux Rats ny aux ſouris, mais c'eſt la Mort des Matematichiens de Paris. Et la demonſtration de la triſection de tous triangles par BERTRAND DE LA COSTE *Colonel d' Artillerie A Hambourg MDCLXXVI.* (1676). pp. 14. except. 14. fol. prior. & 4. poſterioribus.

La Demonſtration de la Quadrature du Cercle. Qui eſt unique Couronne & principal Sujet de toutes les Mathematiques. Par laquelle on fait voir la particule dont Archimede fait mention. Laquelle tant de bons eſprits & ſages philoſophes ont cerché

ſans

Digitized by Google

sans la pouvoir trouver depuis des centaines d'années avant la Nativité de Jesus Christ. Et par mesme moyen on fait voir la Ligne de la Roulette laquelle Personne n'a jamais trouvée: a faute d'avoir eu descouvert la Quadrature du Cercle par BERTRAND DE LA COSTE *Colonel d'Artillerie a Hambourg. Il est aussi à trouver avec les autres du mesme Auteur à Amsterdam chez Pierre Arenz en la Rue de la Bourse* 1677. pp. 24. exceptis praemiss. fol. 12.

BERTRANDVS DE LA COSTE, homo portentosi ingenii, praeterito seculo, in suburbio parisino S. Marcelli natus fuerat, & sub Gallis, Polonis, Russis, Danis stipendia fecerat, omnemque fere peragrauerat Europam, donec Hamburgi consideret, ibique per multos annos, in summa paupertate degeret vitam. Praemittitur libello, quem inscripsit *Ne trompez plus personne* epistola gallica, satis longa, quam A. V. das Angles, Jeuerae, in Frisia orientali, an. 1675. d. XXII. Februar. ad Joan. Robertum Chouet, Philosophiae & Matheseos Professorem scripsit geneuensem, in qua praecipue BERTRANDI DE LA COSTE fata narrantur. Vitae tandem Hamburgi pertaesus Amstelodamum concessit, ibique mortuus est. Machinam Archimedis, quam vocat BERTRANDVS, regiae Scientiarum academiae parisinae obtulit, quae cum illam non adprobauerit, hos libellos euomuit, qui admodum rari sunt, & ad pauciſſimorum hominum cognitionem peruenerunt. Ideam machinae exiguam narrat, ope fili tenuis mille libras sustuliſſe, idemque confirmat testimonio, a Friderico Wilhelmo Magno, Electore Brandeburgico, anno 1674. d. XII. Maii sibi dato, qui vidit, machinae ope, filo tenui libras 2000 promte tolli. Verba testimonii sunt: —— *Son Alteſſe electorale ayant la curioſite de voir faire l'experience de la dite Machine, a fait venir pres de ſa perſonne ledit Colonel, qui ayant fait faire icy un model de quatre pieds & demy en quarré, il en a fait*

Digitized by Google

l' epreuve par laquelle il a enlevé dabord juſqu' à mille livres pezant, par la force d' une petite ficelle tirée par la Main ſeule d' un homme, ainſy qu'il s' etoit obligé, & Son Alteſſe Electorale deſirant voir ou pouvoit aller la force de cette belle Machine, elle a fait doubler les poids juſqu' à la peſanteur de deux mille livres ou environ, lequel a été enlevé avec autant de facilité & autant de promtitude que les premieres milles livres. La curioſité de S. A. E. a paſſé plus avant, elle a commandé de porter la Machine dans ſon parc ou elle a remarqué qu'elle a encore enlevé hors de Terre toute en l' air un arbre avec toutes ſes racines, proportionné à la force de ſon Model &c. Plura de Machina non indicat, ſed motum perpetuum, quadraturam circuli, & ſi qua ſunt difficiliora alia in mathematicis, vt tituli opuſculorum indicant, reperiſſe ſe gloriatur, etſi nunquam ſtudiis operam dederit, ſed nihil praeter *Elementa* Euclidis per Henrionem gallice verſa legerit. Sed ad aliquod eruditionis mathematicae culmen peruenisſe, difficulter ipſi credent geometrae, qui in hiſce opuſculis reperient, magno hiatu mathematicis parſimis problemata, quaſi ipſis inſolubilia proponentem, quae vel tiro geometriae ſoluerit, aut de difficilioribus ita ſermonem inſtituentem, vt ſe ipſum non intelligat. Sales veto auctoris, quam inſipidi ſint, vel indices libellorum monſtrant. Imaginem, in priore, aeri incidi curauit, procul dubio ſuam, nomen, patriam, habitationem, inſcriptione quadam explicans, cuius characteres nos quidem legere non poſſe fatemur, eosque niſi plane efficti ſint, pro ruſticis habemus. In academia eius, quam fingit, omnes Bertrand vocantur: *Monſieur* Bertrand, *Herr* Bertrand, *Milord* Bertrand, *Seignor* Bertrand, *Moſci Panié* Bertrand, *O Soudari* Bertrand, *Dominus* Bertrand, *Segnor Don* Bertrand, *Bahal* Bertrand, *Ouran* Bertrand, *Kirié* Bertrand, *Atanai* Bertrand, Bertrand *Cuiſinier*, Bertrand *Marmiton Suiſſe*, Bertrand *Sommelier*, Bertrand *Laveuſe d'ecuelles*, Bertrand *Gaſcon aide de Cuiſine*, Bertrand *Blanchiſſeuſe*, Bertrand *Catalan Anier* &c. Alia tabula aenea, quae etiam in prio-

Digitized by Google

priore libello, oculis ſubiicitur, ſub inſcriptione *Voila tres renome Mathematiciens*, tres aſinos exhibet, quibus adſcripta ſunt: *Le premier profeſeur en Mathematique de ſa Societe;* Niguet; *Le Directeur* Caricavi. Auribus aſini, poſterioris nomine inſigniti, quatuor tintinnabula alligata ſunt. Luſit etiam epigrammatibus gallicis, in quoſdam academiae pariſinae ſocios, quae libello adiiciuntur, cui titulum fecit *Ce n'eſt pas Mort aux Rats* &c. quae heic adſcribimus:

L' Epitaphe des Pſeudo - Mathematichiens de Paris.

Cy giſent des Mathematichiens
Pourveus de rentes & de biens
Quoy qu'ils ne firent jamais rien
Que faire des vols furts & larcins
Et rober a autruy le ſien
Lucifer *avec ſes lutins*
Voyant venir ces Happeloupins
Bien venus, dit-il, mes Arlequins,
C'eſt donc Vous qui faites tant les fins
Avec vos quatre mots de latin
Vous faites les Mathematiciens
Qui n'eſtes que des Grammairiens
Vous qui n'avés pas un ſeul brin
De ſavoir, ny un mouſtardin
D' Euclide, *ſemblés eſtre des Pins*
Vous qui n'eſtes que des Serins.
Sergeants attachés ces maſtins
Et mettés les dans ces Huttins,
Qu'il y demeurent juſqu'à la fin,
Et qu'ils ne ſortent de ces liens
Pour ne tromper les gens de biens,
Et que mon cher amy Paſquin
Avec tous les Hiſtoriens
Auſſy bien Chreſtiens que Payens
Avertiſſent les ſimples meſquins
Qu'ils ſe gardent de ſes forfantins
Et gravent en marbre avec leur burin

Digitized by Google

Les ruſes & fourbes de ces faquins.
Requieſcant in pice. Amen.

L' Epitaphe de feu Mr. de CARICAVI.

Cy giſt le bon CARICAVI
Qui dicit Pater PECCAVI
Le bien d'autruy FVRAVI
Ex Mathematiques ERRAVI
En mes brayettes CACAVI.

Sur feu Mr. de Niguet.

Cy giſt ou Niguet *ou Nigaud*
Alias Badin, & Badaut,
Ce Matematichien ſi beau
Avoit de l' Eſprit, comme un Veau.

Sur feu Mr. de Roberval.

Cy giſt ce fat Roberval
Qui croit qu'on ne trouve ſon egal,
Quoiqu'il ne ſoit qu'un Animal
A longues oreilles, ou Bucephal.

Sur feu Mr. d' Auzouſt.

Cy giſt cet illuſtre Auzouſt
Des matematichiens le moins fou
Nos queſtions il eſtime mouls
Et dit qu'il les trouve à ſon gouſt
Quoy qu'il n'en puiſſe venir à bout.

Tandem ne quid deſit ad genium hominis cognoſcendum, addimus libellum *de circuli quadratura*, dominae Bourignon inſcriptum eſſe, cuius ex operibus, in rerum diuinarum cognitione, prae qua, ſcientiae humanae omnes, nihili ſint, egregie ſe profeciſſe narrat. Retulit Joannes Mollerus in Cimbria *litterata*, quod initio quidem Bourinoniae partibus admodum fuerit addictus, illamque, anno 1676. apud ſe, per quinque fere menſes occultauerit, deinde vero tanto proſequutus fuerit odio, vt non ſolum varia contra illam in vulgus ſparſerit ſcripta, conuiciis & calumniis referta, nomen illius apud Conſiſtorium detulerit eccleſiaſticum, ſed plebem etiam contra illam concitauerit.

Digitized by Google

CCXXV.

Lectura *excellentissimi iuris vtriusque interpretis domini* ANTONII DE BVTRIO, a titulo de translatione prelatorum, vsque ad titulum de officio delegatorum. in fol. form. maior. folior. 66.

Editio oppido rara, litteris gothicis impressa, memoratur e *Catalogo Bibliothec.* vltraiectensis a Michael. Maittaire Tom. I. *Annal. typograph.* p. 478. Initio leguntur haec verba: *Incipit lectura excellentissimi vtriusque iuris interpretis domini* ANTO. DE BVTRIO *a titulo de transla. prela. vsque ad ti. de offi. dele. super quibus titulis dom.* Abbas (Nicolaus de Tudesco, catanensis siculus Abbas panormitanus) *non scripsit, vel si scripsit reperire potest nemo.* In nostro exemplari prima littera initialis nitidissime picta, auroque purissimo, mira arte laeuigato, exornata est. In fine codicis talia reperiuntur: *Lectura praecellentissimi vtriusque iuris interpretis dni.* ANTONII DE BVTRIO *a titulo de transla. prela. ad titulum vsque de offi. dele. super quibus titulis. dni.* Abbatis *scripta aut acta meminimus comperisse neminem. Sagacis attamen viri* Antonii Koberger. Nurembergen. alemanice *partis inibi ciuem & incolam. quam ponderoso labore. vigilantia ac fatigatione solertissime his metallicis litteris elaborata emendata atque exarata finem cepit. Anno salutis MCCCCLXXXVI.* (1486) *III Kal. Februar. Indictione IIII. De quo laudes non immerito referamus cunctipotenti Deo.*

De ANTONIO DE BVTRIO iam diximus Tom. I. p. 78 sqq.

CCXXVI.

Aureus Tractatus de Arbitris d. LAFRNCHI (Lanfranchi) DE ORIANO Vtilis & quottidianus. in fol. form. maior. folior. 19.

Digitized by Google

Typographi, tituli verbis insignia sua imposuerunt. Liber charactere gothico exscriptus est, & in fine haec adposita habet verba: *Finis Tractatus de Arbitris per excellentissimum V. I. monarcam d.* LAFRANCVM DE ORIANO. *Additis multis aliis questionibus & allegationibus clarissimorum doctorum Impressum* Papie *per* Joannem de Lignano *&* Girardum de Zeis de Tridino *an. MCCCCLXXXVIIII. (1499) d. X. Maii.* Haec verba excipit *tabula questionum & aliorum in presepti Tractatu de Arbitris contentorum.* In Michael. Maittaire *Annalib. Typographic.* librum frustra quaesiuimus. Antiquiorem editionem Michaeli Maittaire aeque incognitam, *Pisciae* anno 1486. impressam, memorant *die Merkwürdigkeiten der Kœnigl. Bibliothek zu* Dresden Tom. II. p. 341. In *Tractatu tractatuum* locum inuenit Tom. III. P. I. fol. 206 seqq. In septem distinctus est partes,

I. *quorundam terminorum declaratur significatus.*
II. *Qui possunt esse arbitri vel non succincte panditur.*
III. *qui possunt facere compromissum breuiter ostenditur.*
IIII. *Super quibus rebus, & in quibus causis potest fieri compromissum plenius reseratur.*
V. *Quot modis compromissum seu arbitrium annuletur.*
VI. *Quot modis finitur compromissum, e sententia Iureconsultorum, &*
VII. *De virtute clausularum, quae adponuntur in compromissis.*

Inclaruit LANFRANCHVS DE ORIANO, brixiensis, tempore seculi XV. medio, & in gymnasio patauino iura diu docuit, e quo sponte discessit, & in patriam se contulit, vbi anno 1488. diem obiit supremum, cum aetatis annum fere XC. adtigisset. Multa scripsit *opera*, quorum titulos adtulit Ioan. Trithemius *de scriptor. eccles.* Cap. DCCCXI. p. 190. fo-

sias

fias Simlerus in *Bibliothec.* p. 444. Anton. Posseuinus in *Adparat. sacr.* Tom. II. p. 327. Conf. Guid. Panzirolus *de claris legum interpretib.* L. III. Cap. XXXIIII. p. 358. Marc. Mantua Benauidius in *Epitome viror. illustr.* p. 484. Nicol. Comnenus Papadopoli in *Historia gymnasii* patauini Tom. I. L. III. Sect. I. Cap. XII. num. 63. p. 227. Joan. Albert. Fabricius in *Bibliotb. med. & infim. Latinit.* L. XI. p. 712.

CCXXVII.

Commentaria super decreto *cardinalis alexandrini, alias Prepositi sancti Ambrosii nuncupati. Cum priuilegio*, in fol. form. maximae, folior. 273.

Auctor libri, cuius editionem heic adducimus raro obuiam, Iureconsultus fuit, suae aetatis celeberrimus, & vir in summa dignitate constitutus. Nimirum is fuit JOANNES ANTONIVS DE SANCTO GEORGIO, e nobilissima de SANGEORGI, Placentinorum familia oriundus, Patricius mediolanensis, Professor ticinensis, Praepositus S. Ambrosii mediolanensis, causarum sacri palatii rom. Auditor, Episcopus & Presbyter Cardinalis titulo SS. Nerii & Archilei alexandrinus, Patriarcha hierosolymitanus, Parmae, Albani, Tusculi, & Ducatus praenestini Episcopus, qui septuagenarius Romae, anno 1509. d. XIIII. Martii, ex hac vita decessit. Vid. de illo Guidi Panziroli *de claris legum interpretib.* L. III. Cap. XXXXVII. p. 373 sqq. Catelliani Cortae *Recens. iurisperitor. & Doctor.* p. 530. Jos. Simleri *Bibliothec.* p. 337. Anton. Posseuini *Adparat. sacer* Tom. II. p. 107. Augustini Oldoini *Athenaeum* romanum pag. 379. Jo. Alb. Fabricii *Bibliotb. med. & infim. Latinit.* L. VII. pag. 97.

Digitized by Google

In *primam* tantummodo *Decreti* partem, *super centum & vnam distinctionem, ille commentaria* scripsit, quibus *repertorium* seu tabula praemittitur satis prolixa, folior. 43. In fine codicis litteris gothicis impressi typographus sua insignia adposuit, & verba adscripsit sequentia: *Expliciunt commentaria super decretorum volumina non minus vtilia, quam optimo stilo correcta Reuerendissimi in Xpo patris & domini d.* JOH. ANTONII DE SANCTO GEORGIO *dicti de* placentia *patricii* Mediolanensis *alias eccleſie diui* Ambrosii Mediolani *prepositi nuncupati. I. V. doc. & interprètis clarissimi nunc peculiari virtute Cardinalis* alexandrini *dignissimi.* Venetiis *per* Bernardinum stagninum de Tridino de Monferrato *MCCCCC.* (1500). Conf. Michael. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. I. p. 725. De eiusdem Jureconsulti *Commento dignissimo super quarto libro Decretalium* Papiae *per Magistrum* Antonium de Carchano *anno a natali Christi MCCCCXC.* (1490) *octauo Calend. Jul. Impenso* Jo. Francisci de Neblis de Burgo *ciuis* Papiens. in form. maior. impresso, vid. *die Merkwürdigkeiten der kœnigl. Biblioth. zu* Dresden Tom. I. p. 297.

CCXXIIX.

NICOLAI *Abbatis* Lectura super Primo Decretalium cum lectura *Dni* ANTON. DE BVTRIO super titulis super quibus *Dnus Abbas* non scripsit. in fol. form. mai. folior. 152. 78. & 128.

Codicem vetustum possidet, illiusque descriptionem nobiscum communicauit I. B. Cramerus Bibliopola cassellensis. Characteribus typorum gothicis exscriptus est, titulo, & litteris florentibus destituitur, quae rubro caeruleoque colore adpictae sunt. In tres

Digitized by Google

tres distinctus est partes, quarum I. NICOLAI Abbatis *lecturam super primo Decretalium*, II. *Rubricam de translatione episcopi vel electi, quae in aliis libris usque in hodiernum diem impressis lecta per* Abbatem *non est reperta, nunc vero nouiter inuenta emendatissima exhibetur, inserta etiam Lectura do.* ANTONII DE BVTRIO *super titulis, super quibus Dns.* Abbas *non scripsit.* III. *Lecturam dni* NICOLAI Abbatis *super secunda parte primi libri Decretalium, exhibet.* Posteriori parti typographus haec addidit verba: *Explicata est lectura dni* NICOLAI Abbatis siculi *super secunda parte primi libri decretalium. Impressa* Basilee *per magistrum* Joannem de Amerbach *Anno dni MCCCCLXXXVIII.* (1488).

De NICOLAO DE TVDESCO, catanensi Siculo, Abbate panormitano, & postea Archiepiscopo, rom. Ecclesiae Cardinale vid. Jos. Simleri *Bibliotheca* p. 525. Anton. Possevini *Adparat. sac.* Tom. II. p. 497 sqq. Guid. Panziroli *de claris Legum interpretibus* L. III. Cap. XXXII. p. 354 seq. Jo. Fichardi *vitae Jureconsultorum recentior.* p. 421 sqq. Marci Mantuae Benauidii *Epitome viror. illustr.* p. 442. Jo. Baptist. de Caccialupis *Historia Interpret. & glossator. iuris* p. 508. Anton. Mongitore *Bibliotheca sicula* Tom. II. p. 98 sqq. Jo. Alb. Fabricii *Bibliotheca med. & infim. Latinit.* L. XIII. p. 393 sqq. cet. Omne suum studium in primis in iure pontificio explicando collocauit, idque Catanae, Senis, Parmae & Bononiae, maximo cum adplausu docuit, & ideo *Lucernae iuris pontificii* cognomen obtinuit. Cum ab Alfonso Arragoniae rege, cum Cardinale tarentino, ad Concilium basileense, legatus missus esset, pontificis auctoritatem, & iura, insigni animi feruore strenue defendit. Vid. Aeneas Sylvius *de gestis Concil.* basileensis Libr. I. in *Operib.* p. 5 sqq. edit. *Basil.* 1551. in fol. Jacques Lenfant *Histoire de la guerre des* Hussites, *& de Concile de* Basle, Tom. II. p. 176 sqq. Guid. Panzi-

Digitized by Google

zirolus l. cit. Mortuus est anno 1445. Eius quidem sepulchrum aut epitaphium nullum adparere scribit Guidus Panzirolus l. cit. p. 357. sed Augustin. Oldoinus in *Athenaeo* romano, illum in templo cathedrali panormitano sepultum, & hoc epitaphio ornatum esse, prodidit p. 508,

Morte tua Canon, & leges, & iura Quiritum
Occubuere, iacent hoc tumulata loco.
Tu NICOLAVS *eras* TVDISCO *sanguine natus*
Panormi *Antistes, &* Catanensis *eras.*
Eugenio *&* Basila *discordi pace ruebat*
Nostra fides te duce Concilium.
Nominis, & tituli cumulos, & laudis adeptus
Vnde tuum texit tiara rubra caput.

Opera eius saepius edita fuerunt; E melioribus editionibus esse censetur, quae *Venetiis* anno 1617. VIIII. Tom. in fol. euulgata fuit.

CCXXVIIII.

Consumantissimi (Consummatissimi) *ac eminentissimi J. V. Monarche domini* BENEDICTI DE BENEDICTIS *de perusio.* vtilissima ac quottidiana in materia vltimarum voluntatum consilia: ab omnibus summo cum studio perquirenda. in fol. form. maior, folior. 112.

In fine editionis, litteris gothicis exscriptae, Michaeli Maittaire indictae, haec leguntur typographi verba: *excellentissimi ac famosissimi. V. J. monarce dni* BENEDICTI DE BENEDICTIS *de* Perusio: *Consilia vtilissima & quotidiana: super vltimis voluntatibus feliciter expliciunt.* Venetiis *a* Philippo pincio Mantuano. *sub anno dni* 1501. *die* 24 *Aprilis. Imperante serenissimo d. d.* Augustino Barbadico Venetiarum

Digitized by Google

tiarum *duce Inclito*. Volumen complectitur CLXVI. *consilia*, quibus *tabula*, siue index adiicitur. Recusa esse haec *consilia Lugduni* anno 1556. in fol. testatur Christophor. Hendreich in *Pandectis* brandeb. p. 504. & Augustin. Oldoinus in *Athenaeo augusto* p. 38. editionem memorat *venetam* 1576. Omnes vero scriptores editionis prioris oppido rarae, nullam fecerunt mentionem.

Fuit BENEDICTVS TETIVS DE BENEDICTIS CAPRA, Perusinus, Jureconsultus initio seculi XV. celeberrimus, Joanne Trithemio *de Scriptor. eccles.* Cap. DCCCLXXX. p. 210. teste, *vir tam scripturis diuinis, quam philosophorum praeceptis probe exercitatus, ingenio subtilis, & disputator egregius, multarumque rerum antiquarum & nouarum notitia insignis.* In gymnasio perusino, per multos annos, insigni cum applausu docuit, & ob veritatis, quod semper prae se tulerat studium, *veritatis amator* cognominatus fuit. Cum autem docendo *caprissaret*, aut *miceret*, vt anonymus poematis *de animantium vocibus* auctor, eiusmodi vocis humanae sonum, qui caprarum voci non dissimilis est, vocare solet, CAPRAE etiam cognomen obtinuit, quod inde in posteros etiam suos propagatum fuit. Mortuus est, posteaquam multis scriptis editis inclaruerat, in patria, & ibidem in aede D. Augustini sepultus, marmoreaque statua, in sepulchro posita, honoratus fuit. Conf. de illo Jos. Simleri *Bibliotheca* p. 94. Anton. Possevini *Adparat. sacer* Tom. I. p. 633. Guid. Panziroli *de claris legum interpretibus* L. II. Cap. LXXVII. p. 175. Christophor. Hendreich, & Augustini Oldoini ll. citt. Jo. Alb. Fabricii *Biblioth. med. & infim. Latinit.* L. II. p. 554. In *lexico eruditorum* Tom. I. bis locum invenit, col. nimirum 952. nomine BENEDICTI TETII DE BENEDICTIS & col. 1651. nomine BENEDICTI CAPRAE adducitur, quod παράφραμα forte ex Jos. Simleri *Bibliotheca* transscriptum fuit. Haud satis

Digitized by Google

satis adcurate etiam in *lexico eruditorum* col. 1651. *Consilia communium opinionum*, inserta dicuntur *Thesauro communi opinionum Francofurti* 1616. edito. Hoc enim titulo BENEDICTVS DE BENEDICTIS nullum opus euulgauit. Eius *conclusiones, regulae, & tractatus communium opinionum* sunt, qui in *Opere communium opinionum, seu receptarum Juris sententiarum* a Joann. Fichardo *Francof. ad Moen.* 1571. edito, locum inuenerunt.

CCXXX.

Repetitiones. *d.* ALONIS Prohemium super decretum vtilissimum. Titulus libri decretorum. Repetitio. c. Humanum genus. 1. dist. Repetitio. c. Nos in quemquam. II. q. I. Repetitio c. sicut sine. II. q. I. Repetitio. c. Ideo el. I. II. q. VI. Repetitio. *d.* ARNALDI DE SOLERIO. Super. c. Si pater filium. de testamentis in sexto. Repetitio. *d.* ROSELI *de Aretio.* super auct. (authent.) Ingressi. c. de sacrosan. eccle. Tractatus siue summula domini BONICONTI *filii Joannis Andree* de appellationibus interpositis in causis beneficialibus. *Eiusdem* Tractatus aureus. de accusationibus & inquisitionibus. Tractatus siue questiones XL. *domini* FEDERICI *de Senis.* Super materia permutationum beneficiorum vna cum tabula domini Lapi de castilione. Tractatus. *d.* JOANNIS CALDERINI vtilissimus. Super materia interdicti ecclesiastici. in fol. form. maior. folior. 42.

Vberioris recensionis non indiget collectio rara, cum titulus satis prolixus opusculorum, quae vno compre-

comprehenſa ſunt, faſciculo, argumenta ſatis declaret. Codex litteris gothicis exſcriptus, cum inſignibus typographi, hanc in fine adpoſitam habet clauſulam: *Explicit quottidianus hic tractatus de interdicto eccleſiaſtico dñi* JOANNIS CALDERINI. *una cum tribus aliis tractatibus & repetitionibus quamplurimis infraſcriptorum iureconſultorum dñi* AZONIS. *dñi* ARNALDI DE SOLERIO. ROSELLI de aretio: BONICONTI *filii* Joannis Andree: ac *dñi* PEDERICI de Senis *in iure pontificio vtiliſſimis. Summo ſtudio ac diligentia nouiter impreſſis* Venetiis *per* Joannem & Gregorium de gregoriis *fratres* 1496. *die II. Decembris.* Michael Maittaire illius nullam habuiſſe videtur cognitionem.

De AZONE DE RAMENGHIS Decretorum Doctore, *iuris monarcha*, vid. quae Tom. I. p. 580 ſqq. diximus.

ARNALDI DE SOLERIO nomen inter Jureconſultos haud adeo celebre eſt. Etenim neque Marcus Mantua Benauidius, neque Joannes Baptiſta de Caccialupis, neque Joannes Fichardus, neque Guidus Panzirolus, neque alii, qui clarorum legum interpretum expoſuerunt vitas, illius fecerunt mentionem. In ſubſcriptione *repetitionis C. ſi pater filium de teſtamentis in VI. D.* vtriusque iuris Profeſſor, & gerundenſis eccleſiae in Catalonia adpellatur Canonicus. Nicolaus Antonius in *Bibliotheca* hiſpana illum plane omiſit. Eadem illius *repetitio* locum inuenit in primo volumine Collectionis *Repetitionum diuerſorum doctorum iuris, in iure canonico*, impreſſae Mediolani *per* Joannem Angelum Scinzenzeler *anno Domini* 1513. in fol. vid. *die Merkwürdigkeiten der kœnigl. Biblioth. zu* Dresden Tom. III. p. 163 ſqq.

Gens ROSELLORVM ſiue ROYSSELLORVM apud arretinos clariſſima, magnos procreauit & celeberrimos viros, qui in iuris prudentia inſignem nominis ad poſteros famam transmiſerunt. Inter illos

Digitized by Google

los prae ceteris eminuit ANTONIVS ROSELLVS, cuius vitae, & rebus gestis, Guidus Panzirolus Libro III. *de claris legum interpretibus* Caput tribuit XXXVI. vbi simul p. 363. docet, quod ex fratre Antonius nepotem habuerit ROSELLVM DE ROSELLIS, qui a Martino V. Pontifice rom. ad Ladislaum Poloniae, & Carolum Galliae regem legatus missus fuerit. Is ipse sine dubio est ROSELLVS, cuius in hac collectione *Repetitio super auten. ingressi C. de sacrosancta ecclesia* exstat. Composita dicitur in subscriptione, *in ciuitate* firmana, *vbi tenebatur curia generalis* Marchiae anchonitanae *Millesimo trecentesimo septuagesimo* (1370) *die XVIII. mensis Octobris, Anno septimo lectur eiusdem ordinarie.* In collectione *Repetitionum*, quam modo citauimus, *mediolanensi* legitur Vol. I.

Praeter duas filias Nouellam, & Betinam, e legitimo matrimonio procreatas, Joannes Andreae, bononiensis, Jureconsultus celeberrimus, filium etiam habuit naturalem BANICONTIVM, siue, vt heic appellatur BONICONTIVM, Decretorum Doctorem. Quae illius fuerit mater, non constat. Si Petri Baile coniectura locum obtinuerit, istius ancillae BANICONTIVS fuit filius, de qua in Poggii florentini *Facetiis* haec legitur historia: Joannem Andream, *Doctorem* bononiensem, *cuius fama admodum vulgata est, subagitantem ancillam domesticam vxor deprehendit. Re insueta stupefacta mulier, in virum versa:* Vbi nunc, *ait,* Joannes est sapientia vestra? *ille, nil amplius locutus:* in vulua istius, *respondit,* loco sapientiae admodum adcommodato. Versibus hanc narrationem expressit gallicis Bernardus de la Monnoye:

Jean, *dit* André *fameux Docteur és loix,*
Fut pris un jour au péché d' amourette:
Il accolloit une jeune soubrette.
Sa femme vint, fit un signe de croix.
Ho, ho, *dit-elle,* est-ce vous? non je pense;
Vous, dont par tout on vante la prudence.

Qu'est

Digitized by Google

Qu'eſt devenu cet eſprit ſi ſubtil?
Le bon André, *pourſuivant ſon negoce,*
Honteux pourtant, Ma foi; *répondit-il*
Prudence, eſprit, tout giſt dans cette foſſe.

vid. P. Baile *Dictionaire hiſtorique & critique* Tom. I. p. 226. not. B. Conf. de BANICONTIO, & ſcriptis eius Guid. Panziroli *de claris legum interpretibus* L. III. Cap. XVIIII. p. 339. Joan. Fichardi *vitae Jureconſultorum recentiorum* p. 410. In *Tractatu tractatuum*, legitur *Tractatus de Adpellationibus* Tom. V. fol. 45 ſqq. *de adcuſationibus & inquiſitionibus* Tom. XI. P. I. fol. 5 ſqq. Poſterior etiam exſtat in Franciſci Modii, brugenſis, *Sylloge auctorum qui ſcripſerunt de praxi rerum criminalium* Tom. II. *Francof.* 1587. in fol. p. 11 ſqq.

De FRIDERICO PETRVCCIO de Senis, nonnulla iam a nobis prolata fuerunt Tom. I. p. 650 ſqq.

De JOANNE CALDERINO, legi poterunt, quae Tom. I. p. 84 ſqq. adnotauimus. *Tractatus de interdictis*, inſertus fuit *Tractatui tractatuum* Tom. XIIII. fol. 325 ſqq.

CCXXXI.

Repetitiones *Domini* JOANNIS CALDERINI. Repetitio ſuper Prohemio decretalium. Repetitio. c. in noſtra de reſcriptis. Repetitio. c. mandatum de reſcriptis. Repetitio c. ab excommunicato de reſcriptis. Repetitio. c. ſuper eo. de electione. Repetitio c. cum in iure de electione. Repetitio Rubrice de ordi. cogniti. Repetitio. c. cum intelleximus de ordi. cogniti. Repetitio. c. ſuper ſpoliatione de ordi. cogniti. Repetitio. c. cum dilectus. de cauſſa poſſ. & proprietatis. Repetitio. c. poſt ceſſionem de probationibus. Repetitio c. dilectorum

Digitized by Google

rum de teſtibus cogendis. Repetitio. c. veſtra de coha. cleri. & mulierum. Repetitio. c. cum noſtris de conceſſione prebende. Repetitio. c. poſtulaſtis de conceſſione prebende. Repetitio. c. ſiquis Presbyterorum. de rebus eccleſie non alie. Repetitio. c. propter eius de donationibus. Repetitio c. de illis de raptoribus. Repetitio. c. nauiganti de vſuris.

GASPAR. CALDERINVS.

Repetitio ſuper. c. Poſtulaſti de peni. & remis. Repetitio ALEXANDRI DE ANTILLA ſuper. c. tibi qui de reſcriptis in VI. Repetitio FRANCISCI ZABARELLE. c. vt animarum de conſtitut. li. VI. in fol. form. mai. folior. 53.

Ex eadem officina typographica, e qua liber, a nobis iam deſcriptus prodiit, hic etiam codex euulgatus, atque iisdem litteris gothicis exaratus fuit. In fine haec leguntur verba: *Impreſſum* Venetiis *per* Joannem *&* Gregorium de gregoriis *fratres anno domini* 1496. *die. XVII. Octobris.* Curauit editionem Boniacobus Scotus, vtriusque iuris doctor, qui in JOANNIS CALDERINI commendationem, eiusmodi praemiſit praefatiunculam.

Boniacobus ſcotus *vtriusque iuris doctor lectoribus ſalutem.*

Plerosque ſepe viros animaduerti: ardentiſſimi iuris profeſſores adeo luculenter vtriusque iuris enigmata interpretatos fuiſſe. vt eorum ſublime ingenium & lacteam ſcientiam non in his mundi partibus comparatam: in quibus humanum intellectum ſimilem eſſe oculo noctue ad ſolem: Ariſtotiles *atteſtatur: ſed in parnaſo aonioue fonte conceſſam ſim arbitratus; Neminem tamen fateor hactenus lectitaſſe: qui fundamentalius* JOANNE CALDERINO *pontificiam ſaltim fuerit inter-*

interpretatus ſapientiam. O quicunque ad veritatis cognitionem: qua nullus: teſte Lactantio *in principio: ſuauior animi cibus: conſcendere apprime delectaris: opus iſtud ſummo ſtudio diligentique auctoris lucubratione elimatum ardenter ſuſcipe: ſuſceptumque amplectere: amplexumque inter vlnas fouendum: & die noctuque perlegendum perſcrutare ſepius enim viſum preſtantius redolebit & dulcius deguſtabitur. Hic enim non* Romulum *&* Remulum (Remum) *non reges quinque: non imperatores* romanos: *non* fabios: *non* fabricios: *non* Curios. *non* Metellos: *non* Catones: *non* Camillos: *non* Scipiones *vt* Eneas *in* Veneris *ſcuto conſpexit. Hic profundiſſimas preſertim canonum difficultates adeo reſeratas & lucidas auctor erumpit: vt poſtpoſita aliorum librorum reuolutione lector binc clariſſimus emergat. Sunt inquam auctoris opiniones adeo ſancte irrefragabiles & ſtabilite: vt non minus omnes laudent & obſeruent quam ſi ab illo ſeptem ſapientum* grecie *principe prolate fuiſſent: qui teſtante* Ariſtotele. 2. *li. politicorum leges compoſitas* athenienſibus *dedit ſummi ponderis auctoritatis & temperantie: & alibi in* 2. *li. inquit* Juſtinus *quod tanto cum temperamento leges dedit vt parem gratiam a ſenatu & plebe contraberet quamquam plebs & ſenatus in ſumma prius diſſentione fuiſſent: vnde de eodem ſuaui eloquio* Valerius *verba facit: ſi illis legibus* Athenienſes *vſi fuiſſent ſempiternum fuiſſent habituri imperium. Non inſuper minorem vim ac poteſtatem habent eiusdem auctoris decreta & ſententie: quam apud* Lacedemones *olim ſummi philoſophi ac principes leges habuerunt: qui vt inquit de ingratis* Valerius *ſanctiſſimas & obſeruandas* lacedemoniis *leges dedit amandas quidem ac excollendas plurimum. Hortor itaque te lector vt hunc auctorem qui ceteros antecellit habeas legas & iugiter ſtudeas cuius ſuauis deguſtatio quanta ſit non verbis exprimi. ſed experientia & ſtudio comprehendi & cognoſci poteſt. Hic tandem veritas non quottidiano & celeri legendi curſu. ſed diligenti. vt repetentium moris eſt lucubra-*

Digitized by Google

tione candescit. Hic postremo est omnis legum & canonum thesaurus nusquam iocundo caractere alicubi realiter impressus &c. Dixi.

Omnes Iureconsultorum *repetitiones*, eodem, quo heic leguntur, ordine, insertae fuerunt primo voluмini *Repetitionum*, quae *Mediolani* 1513. in fol. editae fuerunt, vid. *die Merkwürdigkeiten der Kœnigl. Biblioth. zu* Dresden Tom. III. p. 162.

GASPAR CALDERINVS, Ioannis filius, Clementis VI. Pontificis consiliarius, tantam inter Iureconsultos nominis sibi parauit famam, vt nisi patrem superauerit, illi tamen par, omni ex parte, & aequalis sit censendus. Animo paullo elatiore fuisse dicitur, vt cum Bertoldo Primadico, Equite, & Raimondo Rampono, Comite, de loco, tanta animi obstinatione contenderit, vt ad Robertum Apuliae regem, rem deferrent, qui eiusmodi sententia litem diremit, quae CALDERINO minime fauere videbatur. Mortuus Bononiae & in templo S. Dominici sepultus est, vbi & hodierno die, epitaphium illius, sepulcro marmoreo, a Iacobo Lanfrano, Veneto, circa annum MCCCL. insculptum conspicitur. Vid. de illo, & operibus eius, Guidi Panziroli *de claris legum interpretibus* L. III. Cap. XXII. p. 341. M. Mantuae Benauidii *Epitome viror. illustr.* p. 467. Ios. Simleri *Bibliotheca* p. 217. qui illum minus adcurate adpellat GASPAREM CALDER, Nicolai Burtii *Elogium* Bononiae in Ioannis Gerard Meuschenii *Vitis summorum dignitate & eruditione virorum* Tom. III. p. 90. vbi hoc legitur distichon:

CALD*aque* RINA *domus, nam* GASPAR *ficque Ioannes*
Inclita mandarunt nomina scripta polo.

Conf. eiusdem Bononia *illustrata*, apud eumd. Meuschenium Tom. II. p. 162.

ALEX-

Digitized by Google

ALEXANDRI DE ANTILLA siue DE ANTILLO, florentini, nomen, inter Jureconsultos, haud adeo clarum est. Praeter pauca enim, quae de illo retulit Iulius Negri in *Storia degli Scrittori* fiorentini, Josias Simlerus in *Bibliotheca*, & Christophor. Hendreich in *Pandectis* brandeburg. nihil apud Scriptores, Jureconsultorum biographos, de illo relatum legimus. Cum praeter ea Julius Negri dubitauerit, an de scriptis ALEXANDRI DE ANTILLA, quidpiam sit impressum, collectionis nostrae raritas, facile inde colligi poterit.

De FRANCISCO SABADINO, siue ZABARELLA, s. DE ZABARELLIS, Patricio patauino, Archiepiscopo florentino, & R. E. titulo SS. Cosmae & Damiani, Cardinale, qui in Concilio constantiensi, anno 1417. die V. Nouembris, aetatis anno LXXIIX. siue, vt alii scribunt LXXX. mortuus est, legi merentur Io. Francisci Poggii, florentini, & Anonymi *Orationes in* eius *funere* recitatae, quae leguntur in Hermanni von der Hardt *Actis Concilii* constantiensis Tom. I. P. VIIII. p. 537 sqq. Petri Paulli Vergerii, iustinopolitani *epistola de morte* illius, in Ludouici Antonii Muratorii *Scriptor. rer.* italicar. Tom. XVI. col. 198 sqq. vbi maximis illum ornat elogiis, & tanto illum fuisse ingenio scribit, & tam excellentem virtute, vt quum omni loco, omni tempore, se totum cognoscendum exhibuerit, semper tamen in dies, quo amplius tractabatur, eo maior visus fuerit, ac melior. Conf. Guid. Panzirolus *de claris legum interpret.* L. III. Cap. XXIIX. p. 349 sqq. Marc. Mantua Benauidius, in *Epitome viror. illustrium* p. 465. Antonius Possevinus in *Adparat. sacr.* Tom. I. p. 514. vbi librum, quem scripsit *de Schismatibus auctoritate Imperatoris tollendis*, qui in variis collectionibus e. g. in Simon. Schardii *Syntagmate variorum auctorum de imperiali iurisdictione, & potestate ecclesiastica, deque iuribus regni & imperii, Argentorat.* 1609. in fol. p. 235 sqq.

Digitized by Google

reperitur, cum libri praefationibus, in romano *indice*, donec expurgetur, prohibitum esse adnotauit. Henr. Wharton *Adpendix ad* Guil. Caue *Histor. litterar. Scriptor. eccles.* p. 73 sqq. Augustini Oldoini *Athenaeum* romanum p. 256 sqq. Christ. Schoettgenii *Continuat. Biblioth.* fabric. *med. & infim. Latinit.* L. XXI. p. 916 sqq. P. Bayle *Dictionaire historique & critique* Tom. IIII. p. 2897. Jaques Lenfant *Histoire du Concile de* Constance, passim, in primis L. V. p. 512 sqq. aliique plures, qui viri doctissimi sapientissimique memoriam, ad posteros propagare studuerunt. Exequiae illius, vt Guid. Panzirolus l. cit. testatur, Constantiae, & Sigismundi Caesaris, & totius fere ecclesiae rom. praesentia, quantum vnquam in eius ordinis viro visae sint, celebres fuerunt. Corpus Patauium delatum, magno cum ciuium luctu, in templo cathedrali, cum hoc epitaphio, conditum fuit:

FRANCISCO ZABARELLAE
FLORENTIAE ARCHIEPISCOPO
VIRO OPTIMO, VRBI
ATQVE ORBI GRATISSIMO
DIVI HVMANIQVE IVRIS INTERPRETI
IN CARDINALIVM COLLEGIVM
OB
SVMMAM SAPIENTIAM COOPTATO
AC
EORVMDEM ANIMIS PONTIFICI PROPE MAXIMO
IOANNE XXII.
EIVS SVASV ABDICATO, ANTE
MARTINVM V.
OB SINGVLAREM PROBITATEM
IN CONCILIO CONSTANTIENSI DESTINATO
IOANNES IACOBI VIRI CLARISSIMI FILIVS
ID MONVMENTI PONENDVM
CVRAVIT.
VIXIT ANNOS LXXVIII.
OBIIT CONSTANTIAE
M CCCC XVII.

CCXXXII.

Digitized by Google

CCXXXII.

IOANNIS DE MILIS Repertorium iuridicum, in fol. form. maior. folior. 184.

Editio, qua vtimur, dum haec scribimus, rarissima, litteris romanis expressa, & sine dubio, omnium prima est. Initium illius facit, *tabula* duorum foliorum, locorum communium siue titulorum, qui in opere exponuntur. Per omnem codicem, nulla inuenitur littera initialis, sed omnes, rubro, caeruleoque colore adpictae sunt. Littera autem codicis omnium prima A. variis coloribus nitidissime picta est, quibus purissimum aurum laeuigatum internitet. In fine voluminis haec legimus verba: *Presens repertorium Eximy vtriusque iuris doctoris domini.* N. DE MILIS *Impressum* Rome *per venerabilem virum magistrum* Georgium laur de herbipoli. *Anno salutis MCCCCLXXV.* (1475) *die vero veneris. XXIII. mensis Iuny. Pontificatus sanctissimi in Xpo patris & domini nostri domini* Sixti *diuina prouidentia pape* quarti *Anno eius quarto Finit feliciter.*

Quis iste IOANNES DE MILIS, siue vt hic, in subscriptione, typographi, nomen illius expressum conspicitur, N. DE MILIS fuerit, aliis indagandum relinquimus. Apud omnes enim fere scriptores, qui Jureconsultorum exposuerunt vitas, de illo altum est silentium. Josias Simlerus in *Bibliotheca* illum adpellauit p. 396. IOANNEM MILIS. Adtulit Michael Maittaire in *Annal. typogr.* Tom. I. p. 352. codicem, eodem anno, quo nostrum, 1475. *non artis calamo*, vt in calce illius legitur, *scriptum, sed ingeniosissime indecibilis artis impressum* (sine dubio Coloniae) *per* Nicolaum Gotz de Sletzstat, in fol. cuius in titulo, MILIS de Verona *vtriusque Juris doctor eximius* adpellatur.

Digitized by Google

CCXXXIII.

Repertorium MILIS *alias* ABSENTI. in folio form. minor. folior. 154.

Et haec editio valde rara est. Referimus illius notitiam J. B. Cramero, Bibliopolae cassellensi acceptam. Charactere litterarum gothico exscripta est, & in secunda tituli pagina, hosce exhibet versiculos:

Exuperat cunctas hec iuris practica MILIS
Hec modo materias inuenit illa tibi
Sed butrii *firme & aliorum dicta resoluit,*
Hanc eme qui reliquis doctior esse cupis.
Si mihi non credis: doctorum consule quemque
Consule: vel potius qui sapit ipse vide.

In fine talia, additis typographi insignibus leguntur:

Noscere forte voles quis sculpserit hoc opus ere
Presserit has chartas quisue characteribus.
Ne mirere: licet tersum mendisque solutum
Immune & viciis; hoc opus inuenias.
Hic quidem Kesler Nicolaus: *litore* Rheni.
Vrbs dedit insignem cui Basilea *domum*
Ille inquam impensis qui nunquam (crede) pepercit,
Lector amice: dabit his liber ille fidem.
Hic etenim secreta. obstrusaque palladis *arce.*
Fortia iura omnis legulus inueniet.
Comperiet pus (sine dubio *professus*) *quidquid quesisse necesse est*
ABSENTI *quamuis nomen vbique gerat.*

Idibus Martii Anno salutis octuagesimo octauo, supra millesimum quaterque centesimum (1488). Causam, ob quam in titulo, *Repertorium* ABSENTI nominatur, non aliam esse putamus, quam quod hisce verbis: *Absenti filio actio acquiritur ex contractu* &c. *Re-*

perto-

pertorium inchoatur. Eadem haec est editio, quam Josephus Sparkes, petroburgensis, Michaeli Maittaire, e Bibliotheca Grantham cognitam reddidit. vid. *Annal. typograph.* Tom. I. p. 500. not. 3.

CCXXXIIII.

Summarium textuale & conclusiones super sextum & Clementinas. in fol. form. minor. folior. 202.

Summarium textuale & conclusiones Clementinarum. folior. 88.

Librorum, litteris gothicis excusorum, auctor est IOANNES COELNER s. KOELNER DE VANCKEL, sub Paullo II. & Sixto IIII. romanis pontificibus, vt Casimir. Oudinus, in *Commentar. de Scriptor. & scriptis eccleſiaſt.* testatur Tom. III. col. 2703. clarus. Alter liber *super sextum Decretalium* hisce inchoatur verbis: *In dei nomine succincte & vtiles conclusiones circa materiam tam gloſarum quam doctorum circa Sextum etiam nouiſſime ſcribentium vna cum pleniori textus eiusdem Sexti ſummario. In alma vniuerſitate florentiſſimi ſtudii* Colonienſis *edite in lucem vigili lucubratione honorabilis viri dni.* IOANNIS COELNER DE VANCKEL *Artium liberalium magiſtri diuinorum humanarumque legum interpretis. Juriſconſultorum equiſſimi, & Ordinarii in iure Canonico predicte vniuerſitatis bene meriti. in edibus ſuis lecte & reſumpte feliciter incipiunt.* In fine typographus haec adscripsit verba: *Summaria pariter & concluſiones Sexti accurate & compendioſe ex doctoribus circa eundem ſcribentibus per honorabilem virum dominum* IOHANNEM KOLNER DEVANKEL *artium liberalium magiſtrum. iuris vtriuſque doctorem. virum peritiſſimum in iure canonico ordinarium in florentiſſimo ſtudio* Colonien. *colle-*

Digitized by Google

collecta. Anno gratie M. CCCC. XCIIII. (1494.) *in vigilia purificationis beate dei genitricis* Marie *virginis glorioſiſſime impreſſa finem acceperunt feliciter.* Typothetarum ſine dubio error eſt, cum Joſias Simlerus in *Bibliothec.* p. 387. Cornel. a Beughem in *incunabulis typograph.* p. 80. Anton. Poſſeuinus in *Adparat. ſacr.* Tom. II. p. 209. Caſimir. Oudinus in *Commentar. de Scriptor. & ſcriptis eccleſ.* Tom. III. col. 2703. librum iam *Coloniae anno 1463. collectum, & impreſſum* ſcribunt. Vix enim inuenietur liber, qui ante annum 1470. Coloniae impreſſus fuit.

Alter liber, nimirum *Summarium textuale & Concluſiones Clementinae*, initium tale prae ſe fert: *In dei nomine ſuccincte & vtiles concluſiones materiam tam gloſarum quam doctorum circa Clementinas etiam noviſſime ſcribentium. vna cum pleniori textus earundem Clementinarum ſummario. In alma vniuerſitate floreti ſſimi ſtudii* Colonien. *edite in lucem lucubratione honorabilis viri dni* IOHANNIS DE VANKEL *artium liberalium magiſtri diuinarum humanarumque legum interpretis Juriſconſultorum integerrimi. In iure canonico in prefata vniuerſitate ordinarii in edibus ſuis lecte & reſumpte feliciter incipiunt.* Adpendicis loco accedunt *Summaria & effectus extrauagantium* Johannis XXII. Typographi verba haec ſunt: *Summaria ac concluſiones Sexti & clementinarum honorabilis viri artium liberalium magiſtri vtriuſque iuris doctoris modeſtiſſimi domini* IOHANNIS VANCKEL, *per me* Johannem Koelhoff. *ciuem* Colonien. *impreſſa. Anno gratie M. CCCC. XCIIII.* (1494) *in vigilia Annunciationis beate* Marie *finiunt feliciter.* Scriptores ſupra citati, & ex illis Michael Maittaire Tom. I. *Annal. typograph.* p. 460. librum quidem iam anno 1484. Coloniae per Joan. Koelhof impreſſum adfirmant, ſed veremur, ne pro 1494. in Joſiae Simleri *Bibliothecam* per errorem, annus irrepſerit 1484. quem poſtea alii in ſuos libros tranſcripſerunt. Editio anni 1494. quam

recen-

Digitized by Google

recenſuimus, a Michaele Maittaire non memorata fuit. Neſcimus, qua re impulſus Caſimir. Oudinus, auctorem, quem omnes, quos euoluimus, ſcriptores, IOANNEM KOELNERVM DE VANCKEL, ſiue E WANCHEL adpellant, IOANNEM KOELVER DE WANCKOM nominauerit. Vtrum a Martino Lipenio, cuius *bibliothecam iuridicam* producit teſtem p. 69. 89. 134. ita fuerit vocitatus, cum liber non ad manus eſt, dicere non poſſumus. Haec ſine dubio cauſſa fuit, quam ob rem *lexicon eruditorum* Tom. IIII. col. 1438. alium IOANNEM DE VANGKEL, & col. 2703. alium IOANNEM KOELVER DE WANCKOM adduceret. An *Summarium textuale, & concluſiones ſuper textum* (ſextum) *& Clementinas Colon.* an. 1488. in fol. vt in *lexico eruditorum* l. cit. col. 1438. legimus, editum fuerit, aliis diſquirendum relinquimus. Michael Maittaire ſane nihil tale in *Annal. typograph.* retulit.

CCXXXV.

Proceſſus iuris *clariſſimi viri* IOHANNIS DE AVERBACH *Canonum doctoris* vna cum lectura expoſicionibusque *peritiſſimi viri* IOHANNIS DE EBERHAVSEN *Doctoris iuris pontificii* opera. diligenciaque ac ſtudio. Non ſine exactiſſimo conſilio Doctorum correctus. Incipit feliciter. in fol. form. minor. folior. 204.

Cum liber, charactere, quem vocant, gothico impreſſus, ad incunabula typographiae lipſienſis proxime accedat, & a typographo, qui inter primos homines, qui iſtam artem in vrbe lipſienſi exercuerunt, ſibi vindicet locum, omnino inter rariores noſtra aetate libros referri meretur. Opus, vt verba in fine *regiſtri* ſiue indicis, conſpicua teſtantur, *impreſſum* eſt liptzk

Digitized by Google

liptzk *per* Mauricium Brandisz *Anno LXXXIX.* (1489). Adhaeret exemplari, quod e bibliotheca portensi publica, nobiscum communicatum fuit, opus quod inscribitur *Declaratio titulorum legalium* folior. 157. quod ab eodem auctore IOANNE DE AVERBACH profectum esse suspicamur, cum stili quaedam similitudo, inter vtrumque librum intercedat. Et hoc etiam *impressum* dicitur lipczk *per* Mauricium Brandis. *Anno LXXXIX. decima quarta mensis Julii.* Vtrumque opus Michaeli Maittaire minus innotuisse videtur. Prius adducitur a Joanne Henr. Leichio in *Annal. typogr.* lipsiens. p. 64. In priore, verba IO ANNIS DE AVERBACH, litteris maiusculis, a commentario IOANNIS DE EBERHAVSEN distinguuntur.

Duplex apud scriptores IOANNES DE AVERBACH, AVERPACH, siue AVERBACHIVS occurrit. Opus quod adlegauimus, ad IOANNEM DE AVERBACH, Presbyterum, & ecclesiae bambergensis Canonicum, Decretorumque Doctorem retulerunt Iosias Simlerus in *Bibliotheca* p. 339. & Christophor. Hendreichius in *Pandect.* brandeb. p. 255. *Alii*, vt Ioann. Trithemius *de Scriptor. eccles.* Cap. DCCXVII. p. 168. & Ioann. Alb. Fabricius L. VIIII. *Biblioth. med. & infim. Latinit.* p. 146. IOANNEM quidem DE AVERBACH adducunt, sed istius operis nullam prorsus fecerunt mentionem. Ab Antonio Possevino in *Adparat. sacr.* Tom. II. p. 115. & a Christoph. Hendreichio l. cit. p. 359. minus adcurate IOANNES DE AVSBACH vocatur: in *Lexico eruditorum* plane omissus est. Idem sine dubio IOANNES DE AVERBACH est, quem Jos. Simlerus in *Bibliotheca* p. 423. IOAN. VBACHIVM, & Michael Maittaire in *Annal. typogr.* Tom. I. p. 583. & 696. IOANNEM DE VRBACH nominant, eiusque *Processum iudiciarium argentin.* an. 1494. & 1499. in lucem exiisse memorat. In *lexico eruditorum* IOANNES DE VRBACH locum inuenit Tom. IIII. col. 1724. sed ex duobus libris, vnus factus videtur, cum *modum legendi*

Digitized by Google

di abbreuiaturas in vtroque iure SIVE *processum iudiciarium* scripsisse dicitur. Editionem *processus iudiciarii* recentiorem *Lipsi.* 1512. excusam, possedit Jo. Petr. de Ludewig, qui illi haec talia adscripsit: *Vtrique huius libri auctores* IOAN. DE AVRPACH & IO. DE EBERHAVSEN) lipsienses *fuerunt, scripseruntque in gratiam forensium in* Germania *tribunalium, conflictuum. Sed tamen, quod stupendum, nulla iurium* Germaniae, *vel vnico verbulo facta mentio, vel speculatorum iuris* saxonici *memoratio vlla. Nam praeter apices legistarum & decretistarum inuenies hic nihil.* Vid. *Catalog. Biblioth.* Jo. Petri de Ludewig P. I. p. 764. Id quidem illustr. adnotationis Auctori facile largimur, IOANNEM DE EBERHAVSEN *auctorem* fuisse *lipsiensem*, nulla autem prorsus ratione a nobis impetrare possumus, vt idem, de IOANNE DE AVRPACH, illi concedamus.

Diuersus ab illo IOANNE DE AVRPACH esse dicitur Joannes Aurbachius, altanius, Jureconsultus bauarus, quem seculo XVI. ad finem vergente, inclaruisse memorant scriptores, & *singularium allegationum ad communem vsum adcommodatarum libr. II. Colon.* 1571. & 1591. in 8. *Anacreonticorum odas Monaci* 1570. in 8. *Poematum libr. II. Patauii* (Passaui) 1557. *Epistolarum iuridicarum*, quae *Consiliorum loco esse possunt Libr. IIII. Colon.* 1566. in 8. & cum *libr. II. singular. allegation. ibid.* 1571. 1591. & *Ingolstad.* 1606. in 8. euulgasse scribunt. Vid. Jos. Simleri *Bibliotheca* p. 339. Christophor. Hendreichii *Pandectae* brandeb. p. 355. Dedit hic Joannes Aurbachius *lexico eruditorum* occasionem, ex vno viro, duos fingendi. Adducitur nimirum Tom. I. col. 658. Joannes Aurbach Jureconsultus, qui circa finem Seculi XV. vixisse & *anacreontica*, & *II. libr. singularium allegationum* composuisse dicitur, col. vero 666 sqq. memoratur Jo. Aurpach JCtus Bauarus, qui Galliam & Italiam peragrasse, Monaci vixisse, & 1565.

Epistо.

Digitized by Google

Epistolarum iuridicarum libr. IIII. edidisse perhibetur.

Anonymus, qui *Scriptorum insignium, qui in celeberrimis praesertim* lipsiensi, wittebergensi *&* francfordiana ad Oderam *Academiis floruerunt, Centuriam*, a Jo. Joach. Madero *Helmestad.* 1660. editam conscripsit; IOANNEM DE EBERHAVSEN natione fuisse Saxonem, ex ottingensi oppido oriundum, Juris pontificii doctorem, Studii lipzensis iuridicae facultatis Ordinarium, adnotauit num. LI. Conf. Jos. Simleri *Biblioth.* p. 362. Christoph. Hendreich. *Pandect.* brandeburg. p. 355.

CCXXXVI.

Malleus maleficarum. in fol. folior. 102.

Priores huius libri editiones rarissimas esse, adfirmauit Cl. Vogtius in *Catalog. libr. rar.* p. 435. Illam, cuius titulum integrum adscripsimus, in earum censu obtinere locum nullum prorsus est dubium, cum omnia Seculi XV. indicia prae se ferat, & a nemine, quod nos quidem sciamus, memorata sit. Litterarum charactere exscripta est gothico, omnibusque litteris initialibus destituitur. Quaelibet pagina in duas columnas diuisa est. In textu scribendi compendia, occurrunt multa, quae librum lectu difficilem reddunt. Nullum praeterea anni, loci & typographi adlatum est indicium, eaque tantummodo, in fine se offerunt lectorum oculis verba: *Sit laus Deo. exterminium heresis, pax viuis, requies eterna defunctis Amen.* Cum data, quod aiunt opera vir Summe Reuerend. Eberhard. Dauid Hauberus, librum ex orco prognatum, in *Bibliotheca, actis & scriptis magicis* Tom. I. p. 1 sqq. descripserit, lectores

Digitized by Google

res noſtros inde ablegamus, neque verbum addimus amplius. Conf. Cl. Vogtii *Catalogus libr. rar.* l. cit. *Analecta* noſtra *litterar. de libr. rar.* p. 561 ſqq.

CCXXXVII.

Formularium aduocatorum & procuratorum Romane curie & Regii Parleamenti: practicam ſecundum iura communia clariſſime oſtendens. Continens & tradens formam Commiſſionum. Libellorum. Articulorum. Proteſtationum. Exceptionum. Replicationum. Duplicationum. Interrogatoriorum. Petitionum. Sententiarum. Appellationum. Plurimorumque que Aduocatis Notariis & Procuratoribus maxime neceſſaria ſunt & oportuna.

Cauſidicus quid agat. iudexue tabellio doctus
Patronusue foro: iura clientis agens.
Perdoceat iſte liber. cauſarum condere formas
Quisquis amas lector: nec bene preſſa legas.

in fol. folior. 121.

Titulus ſatis prolixus, lectores docere poterit, quid in libro, litteris gothicis excuſo, reperiatur. Quis illum compilauerit, nos fugit. Characteribus litterarum gothicis excuſus eſt, & in fine haec refert verba: *Formularium Aduocatorum & Procuratorum.* Romane *curie & regii Parleamenti practicam oſtendens ſecundum iura communia: exactiſſima diligentia impreſſum* Baſylee *Anno dni. M. CCCC. LXXXIX.* (1489) *quarto.ydus Marcii fipit feliciter.* Hisce verbis,

Digitized by Google

verbis, iidem versiculi denuo subiecti sunt, qui in titulo comparent. Conf. Michael. Maittaire *Annal. typogr.* Tom. I. p. 513.

CCXXXIIX.

Vulgaria THERENTII in teutonicam linguam traducta. in 4. fol. 22.

Quis librum, quem solâ commendat raritas, composuerit, ignorare nos vltro libenterque fatemur. Instructissimarum bibliothecarum catalogos frustra euolvimus, & Michaeli Maittaire ipsi incognitum fuisse intelleximus. In puerorum gratiam conscriptus, varias loquendi formulas, latino, & belgico qui teutonicus adpellatur, sermone expressas ob oculos ponit. In titulo adparet praeceptoris figura, in cathedra, cum ferula, & libro, cuius pedibus quinque pueri adsident. In altera folii primi pagina, libellus hac ratione inchoatur: *Vulgaria quedam abs* THERENTIO *in* theutonicam *linguam traducta.*

Hunc studiose puer menti committe libellum
E latio *ducit tibi qui* theutonica
Non insulsa quidem nam sunt hec scripta THERENTI
Quem si nosse cupis hic tibi multa patent.

Sex capitulis distinctus est hic liber, ita vt primo loco ea, quae verbo aut scripto salutantes, ac adeuntes quempiam dicimus, tradita sint. Secundo, ea fere, que narrantis aut percunctantis sunt, quamquam sint quedam paulo sententiosiora. Tercio que obiurgancia sunt & que alias quoddam vehemencie habent. Quarto que hortatoria nec non & execratoria sunt cum confirmationum ratione coniuncta. Quinto sententie vehementis ad conclusionem seu clausulam accomodate. Sexto

que

Digitized by Google

quae valedicentium sunt. Speciminis loco Caput primum heic adscribimus:

God gruet y. wes gegruet. weest salich in Xpo.
Saluete. Salue Saluus sis in Christo.
Ic biede y goeden dach.
Jubeo te saluere.

Syt willecome. dat ghy gesont uns ghecomen syt verblydick my
Bene venisti. Saluum te aduenisse gratulor. Advenisse gaudeo.

Gheeft my dyn hant.
Cedo dextram. i. porrige vel da.
Vaer dy wel ick vaer te bat
Si bene habetis ego melius habeo. Si vales bene est ego vero valeo.

etc. Capiti sexto typographus haec verba adscripsit: *Vulgaria* THERENTII *in* theutonicam *linguam traducta* Antuerpie *impressa per me* Gerardum leeu *Anno dni Millesimo CCCC LXXXVII.* (1487) *tercio kalendas iulias feliciter expliciunt.* Omnis libellus charactere gothico exscriptus est.

Digitized by Google

ADPENDICVLA
IN QVA
E
BIBLIOTHECA PORTENSI
AVGVSTINI DE CIVITATE
DEI MEMBRANA
DESCRIBITVR.

Inter alia, veterum librorum monumenta, quae in publica prouincialis ſcholae portenſis bibliotheca adſeruantur, duo praeſertim codices, manu exarati, omnium in ſe, oculos conuertunt. Alter latinam Joſephi verſionem, a Rufino elaboratam, alter Auguſtini libros, DE CIVITATE DEI, complectitur. Illum, a Patre meo, portenſis ſcholae rectore, deſcriptum habemus *, hunc ego, aliqua ex parte, deſcribere, hoc tempore, in animum, induxi. Me quidem minime fugit, quod in maximis inſtructiſſimisque, per omnem Europam, bibliothecis, multi variique codices Auguſtini, DE CIVITATE DEI, calamo exſcripti, inueniantur, cuius rei teſtem habeo Bernhardum de Montfaucon, qui **, in bibliotheca vaticana, in pariſina regia, aliisque pluribus, quas

* In programmate de *Joſephi membrana*, Numburg. 1727. in 4. edito.

** In Bibliotheca, bibliothecarum manuſcriptorum noua, quae Pariſiis 1739. duobus Tomis in fol. prodiit.

Digitized by Google

quas descripsit, bibliothecis, eiusmodi codices magno numero *, reperiri confirmat; portensis tamen codex, consideratione non indignus esse videtur, qui cum antiquitatem haud adeo spernendam, tum singularem quamdam elegantiam prae se ferre conspicitur. Ille in membrana scriptus CCLXXXX folia complectitur, &, quemadmodum iam dictum est, Augustini, Episcopi hipponensis, quem, inter patres ecclesiae latinos, facile principem nominaueris, XXII. libros exhibet DE CIVITATE DEI, seu ecclesia, conscriptos. Omnes qui codicem oculis lustrauerunt, tractaruntque manibus, litterarum in primis elegantiam mirati sunt, atque Eckbertum, monasterii cistercienſis, quod Bossaugiae ** olim floruit, abbatem, quem codici, manu exarando, nauasse operam nouimus, in arte scribendi, longe aliis, vt tunc fuerunt tempora, scribis ex-

 celluisse,

* Caussa vero illius rei in promtu est; scripta enim Hieronymi, Ambrosii & Augustini, in ecclesia, sic dicta, occidentali diligenter lecta, & proinde saepissime descripta, & in monasteriorum bibliothecis repositа fuerunt.

** Bossaugia s. Possauia monasterium fuit, haud procul ab vrbe Ciza, a primo Episcopo martisburgensi Bosone, exstructum. Vid. Paull. Langius in chronic. citizensi, ap. Pistorium Tom. I. p. 1149. edit. Struuianae. it. Thuring. sacra Tom. II. p. 655. In primis autem Jo. Georg. Leuckfeld. Chronologia abbatum bossaugiensium, quam Jo. Martin. Schamelius, Numburgi 1731. in 4to edidit.

Digitized by Google

celluisse, vno quasi ore, dixerunt. Litterae singulorum librorum initio positae, quas initiales, & capitales, tunc temporis monachi vocare solebant, variis diuersorum animalium, aliarumque rerum simulacris conspicuae, & rubro praesertim, caeruleo, viridique colore distinctae sunt, quibus aurum, nonnunquam etiam argentum, mira quadam arte, laeuigatum internitet, id quod insigne codici ornamentum conciliat. In primis singulare pictoris artificium, in historiis, e sacro codice, effingendis, adparet. Conspicitur DEVS, primos omnium, qui, in hoc terrarum orbe, viuunt, mortalium parentes, e paradiso expellens. Obiicit se oculis Chamus, Noacho patri ebrio illudens. *Sed superuacua, sine dubio, foret industria, si omnes illas historias, quas artifici penicillo delineauit pictor, longa serie, enumerare vellem. Illas quadraginta pictas *icunculas*, vt Suetonii voce * vtar, silentio praeterire non possum, quae circulis inclusae, in fronte codicis, sub adspectum veniunt. Ex iis viginti quadrupedum, & volatilium animalium mirificas exhibent formas; viginti numinum, quae pagani coluerunt, & quorumdam heroum speciem repraesentant. Offert se adspectui Janus bifrons, dextra baculum, sinistra clauum gestans. Adest Pallas, scuto

* In Nerone c. LVI.

Digitized by Google

scuto armata, virgulam, forte oleaginam, manu tenens. Eminet Mars cataphractus, dextra ferens gladium euaginatum. Subiicitur oculis Fortuna, quae manu versat rotam, in qua duo homines insistunt. Et quis omnes operose recenseat imagunculas, e quibus, & ingenium, & artificium pictoris mirifice elucet. Omnium sane, quae in iis occurrunt, ita est comparata ratio, vt nihil pulcrius, nihil elegantius, in hoc scribendi pingendique genere, iis temporibus, adferri potuisse videatur. Quod ad aetatem codicis adtinet, illum seculo P. C. N. XII. scriptum fuisse, e litteris crassioribus, scribendique compendiis *, quibus eo tempore, praecidi solebant voces, colligere possum. Nusquam ae, diphthongus, adparet, quae, ab initio, per e simplex, v. c. EGROTVS, ENEAS; in medio per ę, cuius inferiori parti lineola incuruata, adiecta est, exprimitur. Praeter punctum, quod crebro repetitum conspicimus, signum distinctionis reperimus nullum. Plurimae voces in ſ longum exeunt, in nonnullis tamen vocibus s minoris formae ** inuenitur. Littera i, fine

* Vid. Struuius in dissertat. de criteriis Manuscriptorum apud Baringium in claue diplomatic. p. 92.

** Eiusmodi scribendi characteres Mabillonius, in praestantissimo opere, *de re diplomatica*; Struuius l. cit. ap. Baringium & Eckardus in *Introductione, in rem diplomaticam*, seculo XII. adsignant.

Digitized by Google

puncto, seu apice, & simpliciter nudeque posita: particula autem connectendi QVE per q; & VS, syllaba, in fine per 9 v. c. SVPERSTICIONIB9 expressa legitur. Praeterea, insolens & dura illorum temporum pronunciatio, e tot vocibus asperatis cognoscitur. Sic enim MICHI, NICHIL, ERVMPNA, DAMPNETVR, pro NIHIL, MIHI, AERVMNA, DAMNETVR, subinde occurrit. Litteram Y, origine graecam, sine omni ratione, in vocibus, PHYLOSOPHVS, SYDVS, YSAAC, atque aliis, vsurpatam, videmus. Et quid pluribus eiusmodi indiciis opus est, quibus antiquitatem codicis confirmem, vbi luculenta testimonia scriptorum adsunt, qui eum, ante hos sexcentos annos, calamo exscriptum, ornatumque fuisse perhibent? Certe Paullus Langius, fide dignus auctor, de Eckenberti II. abbatis bossaugiensis epitaphio, quod anno P. C. N. MDX, inuentum detectumque fuit, haec memoriae prodidit *: *Eckenberti Abbatis eius nominis II. epitaphium inuentum constat, anno Domini MDX. in latere ecclesiae nostrae sinistro, versus septentrionem, in loco communis fratrum sepulturae, non procul ab ara diuae Vrsulae, cum pro Ioanne Searp, confratre, praebendarioque nostro, equite quondam*

* In Chronico citizensi p. 1233. edit. supra adductae.

Digitized by Google

*dam, in armis, ſtrenuo, reuerendi domini Jodoci, Abbatis noſtri moderni, genitore, in bona ſenectute recenter tunc defuncto, ſepulcrum foderetur, quod quidem epitaphium, ita caſu repertum, continebat, ipſum Eckenbertum, multorum voluminum, praecipue Auguſtini & Hieronymi * operum ſcriptorem originalium fuiſſe egregium, quae quidem opera, manu ipſius, eleganti charactere exarata, in praeſens vſque aeuum noſtrum, & venuſtate & magnitudine ſua, bibliothecam plurimum exornant.* Cognito Abbate boſſaugienſi, qui Auguſtini librum, in membrana, deſcripſit, ad rem omnino pertinet, quo is vixerit ſeculo, cognoſcere. Tametſi autem annus, quo Eckbertus Abbatis dignitate ornatus fuit, a rerum ſcriptoribus, adcurate deſignari nequit; ſeculo tamen XII. iam adulto eum monaſterio praefuiſſe, omnes commemorant. Ipſum vero illum, in quo deſcribendo, verſor, codicem, in bibliothecae boſſaugienſis forulis, olim fuiſſe repoſitum, verba confirmant, quae folio, ſi ab initio codicis numeraueris, tertio, minio ſeu rubro colore, ſcripta leguntur:

IN

* Hieronymi explanationes XII. prophetarum, in bibliotheca portenſi repeſiuntur; an vero illae ab Eckberto ſcriptae ſint, pro certo, id ego confirmare, haud ſuſtineo.

Digitized by Google

IN. NOMINE. SCE. ET. INDIVIDUE. TRINITATIS. INCIPIT. LIBER. SCI. AVRELII. AVGVSTINI. YPPONENSIS. EPISCOPI. QVI. INTITVLATVR. DECIVITATE. DEI. XXDUO. VOLVMINA. CONTINENS. HIC. ATTINET. SCE. MARIE. DEI. GENITRICI. IN. BVZOWE.

Accidit autem, vt, instituta, per Lutherum, sacrorum emendatione, & facta, post Julii, Episcopi numburgensis, obitum, in monasterio bossaugiensi, rerum conuersione, Augustini, *de ciuitate Dei, codex, ab Eckberto, in membranam* transcriptus, anno P. C. N. MDLXXIII cum aliis & manuscriptis, & typothetarum formis, expressis libris *, AVGVSTI, glorio-

* Adfert eorum librorum Catalogum Jo. Martin. Schamelius in Chronico portensi Pertuchii, quod cura illius Lipsi. 1739 in 4 denuo editum fuit, & Libro quidem II. c. XII. p. 236. Sed catalogum istum minus adcurate fuisse compositum, experientia edoctus didici, cum data occasione, bibliothecae portensis forulos excuterem.

Digitized by Google

glorioſiſſimi principis electoris Saxoniae, iuſſu & mandato, in prouincialem ſcholam portenſem, commigraret. Ceterum, memoria etiam dignos exiſtimo, rhythmos, qui, in principio codicis adſcripti ſunt, & pro illius ſeculi genio, diram imprecationem, his verbis *, denunciant:

Faueas, o Chriſte, labori
Reſpiciasque pia tibi reddita vota, Maria,
Haec Eckenbertus, ſpe firmus & hac ope certus
Stella Maria maris, tibi vouit, quae tuearis
Qui tibi tollit ea, fur, raptor, hic eſt anathema
Et ni reddat ea, damnetur ſorte ſuprema,

Et

* Imprecationem, quam, omiſſis ſcribendi compendiis adſcripſimus, ab Eckberto, non eſſe profectam, nomen Azonis docet, qui Abbas, mortuo iam Eckberto, boſſaugienſi monaſterio praefectus fuit. Vid. Langius in Chronico citizenſ. p. 1233. it. in Chronico numburgenſi, ap. Menkenium in Scriptor. rer. germ. T. II. p. 24. vbi haec legimus: *Venerandus valde vir Azzo, Zelator regularis diſciplinae eximius, & non minus conuerſacione, quam diuinarum ſcripturarum condicione clariſſimus.* Conf. Leuckfeld. l. cit. p. 16. & Schamelius *in Addendis*, ad illam chronologiam p. 63.

Digitized by Google

Et pater AZZO bonus, in vota, fauendo,

Patronus

*Dignus mercede, requieſcat perpete ſede **

Amen.

* Addi poterit iis, haec imprecatio, quas Jo. Albert. Fabricius L. V. Biblioth. Gr. c. 1. p. 74 ſqq. Lilienthal in ſelectis hiſtorico-litterariis, Obſeru. I. p. 1 ſqq. Jo. Burcard. Menckenius diſſ. III. p. 23. Gottlob. Henric. Pippingius, in diſſ. de imprecationibus libris adſcriptis Lipſ. 1711. & C. H. Trotz in notis ad Cap. XXVII. libri Hermann. Hugonis de ſcribendi origine p. 273. ſingulari ſtudio collegerunt. Omnium autem optime de eiuſmodi imprecationibus, recentioribus temporibus, egit Anonymus, qui librum hoc edidit titulo: Hiſtoriſche vnd Moraliſche Abhandlung von dem gelehrten Bücherfluche, wie auch von einigen andern, juriſtiſchen, politiſchen, Kunſt-Geheimnis-Wiſſenſchafts-Religions-Kriegs-vnd Staats-Flüchen der Heiden vnd Chriſten, Halle 1751. in 8. pp. 144.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Librorum, qui Tomo I & II recenſentur.

Littera a. numeris adpoſita Tom. I indicat.

A.

De Abano Petri libellus de venenis 919
Aben Ezra R. Abrah. F. Meir, Opera a Petro d'Abano in lat. tradu&ta 1423
Abdilazi libellus iſagogicus 1421
Accolti Franciſc. traductio latina epiſtolarum Phalaridis 1268
Adamantii Phyſiognomia gr. a. 218
Adamſoni Patricii Poemata & opuſcula a. 1
Aegeſippi hiſtoria de bello iudaico lat. a. 7
Aegidius romanus, vid. Aegid. Columna.
Aeliani var. hiſtoriae gr. 1545 a. 217
Aeſchinis Oratio contra Creſiphontem & epiſtola ad Senatum & populum athenienſ. lat. per Leonard. arretinum a. 262
Aeſchyli Tragoediae H. Stephani 771
Aeſopi Fabulae gr. & lat. 1567 a. 64
Aeſopus moraliſatus 1489 a. 62
- graecus per Laur. Vallenſem traductus 1500 a. 69
Aeſopi Leben vnd Fabeln a. 71
Agapeti Ἐκθέσεις κεφαλαίων παραινετικῶν a. 68
Agricolae Bartholom. Ἀνθρωποπαθεία 1139
- Georgii, Opera 750
- Joannis Auslegung deutſcher Spruchwoerter 759
Agrippae H. C. ab Nettesheym Opera a. 37
- - - - a. 40
Alanus de planctu naturae 827
- Doctrinale altum 829
- liber de poenitentia 1213
Alberi Eraſmi, der Barfüſſer Mönche Eulenſpiegel vnd Alcoran 1232
de Albertinis Franciſc. de mirabilibus Romae a. 23
Alberti Magni, Summa philoſophiae naturalis a. 532
- de arte intelligendi docendi & praedicandi res ſpirituales & corporales a. 566

Digitized by Google

Alberti Magni de Abundantia exemplorum 567
- Mariale a. 569
Albutii Paulli, Epistola ad Jesuitas a. 811
Alcheri claraeuallensis, liber de anima & spiritu 871
Alciati Andreae, epistola contra vitam monasticam, & alia 761
Aleandri Hieronymi, explicatio tabulae marmoreae heliacae a. 441
S. Ambrosii mediolanensis, Expositio S. Lucae 868
- camaldulensis versio latina Diogenis Laertii 1475 793
Ampigolli Antonii, aurea biblia 1107
de Anania Joann. Tr. de Jubileis 1098
de Ancharano Petri, Consilia a. 646
Andreae Joannis Novella a. 81
- Mercuriale a. 82
- Commentar. in libr. VI. Decretalium a. 433
- Jo. Valentini, veri christianismi &c. libertas, theologiae encomium, & bonae caussae fiducia 1207
- Syntagma de curiositatis pernicie 1208
Andreas Hispanus, vid. Andr. Escobar.
Andrelini P. Fausti, Epistolae prouerbiales 838
- Carmen de virtutibus moralibus & intellectualibus, & elegiae 839
- Epistola elegiaca, qua Anna Franciae regina Ludouicum maritum post subactos Venetos ad se reuocat 841
Angeli Joannis ab Aichem, astrolabium planum 1421
Animae hortulus 821
S. Annae legenda a. 192
De S. Annae festiuitate a. 194
Anthologia epigram. graecor. Brodaei 781
H. Stephani 783
Eilh. Lubini 787
Andr. Riuini 788
Anthologiae epitome Jo. Frisii 779
- Jo. Soteris 799
- Romae 1608 791
- Flexiae 1624 792
Antigoni Carystii, Historiarum mirabil. collectanea 1273
de Antilla Alexandri, super c. tibi qui de rescriptis in VI 1442
Apicius Coelius, de re coquinaria 1503 a. 97

Apol-

Digitized by Google

Apollonius alexandrin. de syntaxi libri IIII. gr. & lat. 764
Apostolii Michaelis, Prouerbia 1330
Appianus gr. Carol. Stephani a. 220
Arati phaenomena gr. 1559 a. 214
- lat, a. 215
Aretaei Cappadocis, libri IIX. a Junio Paullo Crasso in sermonem lat. conuersi a. 420
Ariae Benedicti Montani, historia generationis & regenerationis Adam 1128
- - Animae historia 1134
Aristophanes Nicod. Frischlini 1323
Aristotelis metaphysica lat. a. 538
- - Elenchorum libri II. lat. a. 539
- de physico auditu L. IIX. lat. a. 540
- - libri de anima lat. a. 540
- meteoror. libri IIII. lat. a. 541
- problemata lat. cum vita illius & morte metrice descripta 939
- - Opera omnia gr. Frider. Sylburgii a. 541
- - de arte rhetorica libri III. cum versione & commentariis M. Anton. Maioragii a. 544
- - de optimo ciuitatis statu cum Commentar. Petr. Victorii a. 548
Arithmeticae communis textus, cum commentat. Conrad. Norici 1414
Arretinus Franciscus / vid. Franc. Accoltus.
- Leonardus vid. Leonard. Brunus.
Arrianus gr. lat. H. Stephani a. 220
Asclepii Definitiones per Ludouicum Lazarellum e graeco conuers. a. 655
S. Asterii Homiliae gr. & lat. a. 86
Astexani de Ast summa de casibus conscientiae a. 577
Auenares Abraham vid. R. Aben Esra.
de Auerbach Joan. Processus iuris 1451
S. Augustini hipponensis, soliloquia 870
- de anima & spiritu, aliaque opuscula 871
- Epistolae 873
- Adnotatio principalium sententiarum in explanat. Psalmorum 874
- de ciuitate dei Codex MS. membranac. 1457
- Speculum peccatoris 875
- de Ancona, opusculum de cognitione animae, & eius potentiis a. 445

Digitized by Google

Auguſtini Antonii, de romanorum gentibus & familiis a. 444
de legibus & SCtis cum notis Fuluii Vrſini a. 445
Auiſamentum de concubinariis non abſoluendis a. 183
Azonis ſumma a. 580
Repetitiones 1438

B.

Balbani Nicol. vie du Marquis Galeace Caracciolo a. 606
Balinus Joannes, de bello belgico, & hiſtoria de pace XII. annorum, & poema de pace belgica a. 598
de Bandelis Vincentii de Caſtronouo Tr. de puritate & praerogatiua conceptionis Jeſu Chriſti a. 197
Baniconti Tr. de appellationibus, & de adcuſationibus & inquiſitionibus 1438
Barbari Hermolai, Oratio ad Federicum & Maximilianum Principes 823
der Barfüſſer Mœnche Eulenſpiegel vnd Alcoran 1232
Barnabei Hieronymi, vita Caeſaris Baronii 1156
Baronis Antonii, Triumuiratus ſanctimoniae ſoc. Jeſu 1026
de Barzis Benedicti de Plumbino, diſputationes duae a. 642
Baſilius Magnus, de ſtudio poetarum & oratorum ex verſione Leonard. Bruni 846
Bayfii Lazari, Commentar. de veſtium generibus 1037
de re nauali, & de veſtimentorum & vaſculorum generibus 1038
Bebelii Henrici, Triumphus Veneris 963
Liber hymnorum, & alia opuſcula 967
Opuſcula noua 971
Bedae venerabilis, hiſtor. eccleſ. gentis Anglorum a. 339
de Benedictis Benedicti Tetii, conſilia in materia vltimarum voluntatum 1436
Benedicti Joannis Baptiſt. Speculationum matheſeos & phyſicarum liber a. 608
Benzonis Hieronymi nouae noui orbis hiſtoriae a. 57
S. Bernardi claraeuallenſis, Epiſtolae 877
Opuſcula 878
Tract. de planctu Mariae a. 474
Flores ex operibus excerpti 879
Bernardi Sylueſtris, Epiſtola ad Raymundum in ſermonem teutonicum a Nicol. de Wyla conuerſa 1074
Beroaldi Philipp. Commentarius in Ciceronis Quaeſtiones tuſculanas a. 256

Digitized by Google

Berualdi Declamatio ebrioſi, aleatoris, ſcortatoris 883
- Declamatio philoſophi, medici, oratoris 885
- Verſio lat. nouellae Boccacii de Tito rom. Giſippoque athenienſ. 887
Beſſelmeieri Sebaſtian. Obſidionis Magdeburgi deſcriptio a. 600
Betuleii Xyſti, Concordantiae graece Noui Teſt. a. 154
Beyerlinck Laurent. Magnum theatrum vitae humanae 1209
Biblia V. & N. Teſt. graeca 1597 a. 137
- lat. vulgata, cum gloſſa ordinaria & interlineari ſ. l. & a. a. 139
- lat. vulgata 1498 721
- lat. vulgata cum concordantiis 1512 a. 141
- lat. vulgata 1550 a. 144
Binhard Joh. thüringiſche Chronik a. 298
Blondi Flauii, Opera a. 332
Boccacii Joan. de caſibus virorum illuſtr. libri VIIII a. 439
- mythica hiſtoria de Tito rom. Giſippoque athenienſi 887
- Nouella de Guiſcardo & Sigiſmundo, a Nicol. de Wyla, in ſermon. teutonic. conuerſa 1068
Boceri Joan. Carmina de origine & rebus geſtis regum Daniae a. 283
Boethius de Conſolatione philoſophiae cum Commentar. Thom. de Aquino 1486 a. 244
- - - - - - - 1491 a. 246
- - ſine commentario 1513 a. 247
- - de diſciplina ſcholarium 1489 a. 250
Bogani Zachariae, Homerus Ἐξαέτων a. 430
Boiſſardi Jani Jacob. Bibliotheca chalcographica cum continuation. a. 468
Bollani Dominici, Tr. de conceptione virginis Mariae a. 201
Bonacurſi Orationes de vera nobilitate a. 404
- - - - a Nicol. de Wyla in ſermonem teutonic. converſae 1080
S. Bonauenturae Tractatus a. 315
- - Opuſcula parua a. 316
Bonciarii Marc. Anton. Epiſtolae a. 413
Bonicontius, vid. Banicontius.
Bonifacii IIX. liber VI. Decretal. cum Commentar. Jo. Andreae a. 433
Brant Sebaſtian. Explicationes omnium titulorum iuris a. 363
- - - - gr. teutſchter Cato a. 370

Digitized by Google

a Breydenbach Bernard. itinerarium a. 48
Britannicarum rerum ſcriptores a. 337
Britonis Guilielm. Philippidos L. XII a. 345
Broweri Chriſtoph. Annales & antiquitates treuirenſes a. 466
Brunneri Leonhard. Bibliſche Concordanz a. 157
S. Brunonis carthuſienſis, Opera a. 304
Bruni Leonardi, Tract. de ſtudiis litterarum 843
- - Verſio lat. Baſilii M. de ſtudio poetarum & oratorum 846
Bruni Ludouici gratulatio poetica de regis romanor. coronatione 823
Bruſchi Bernardi, de diuo Carolo Borromaeo Virgilio-cento 1348
Buceri Martini, metaphraſis in Epiſtolam Pauli ad Roman. a. 355
- - Praelectiones in Epiſtolam Pauli ad Epheſios a. 356
- - Verſio latina enarrationum M. Lutheri in epiſtolas Petri & Judae 1230
Buchanani Georg. Hiſtoria ſcotica, & dialog. de iure regni apud Scotos a. 351
Budaei Guilielm. Annotat. in XXIIII. Pandect. libros a. 375
- - de Aſſe & partibus eius libri V a. 376
- - Commentarii linguae graecae a. 379
Guldin Bull Caroli IIII a. 435
Burgenſis Paullus, vid. Paull. de Sancta Maria.
de Butrio Antonii Conſilia a. 77
- - Lectura a tit. de translat. Praelator. vsque ad tit. de officio delegatorum 1431
- - Lectura ſuper titulis ſuper quibus Abbas panormitanus non ſcripſit 1434
Byzantinae hiſtoriae ſcriptores latin. a. 348

C.

de Caccialupis Jo. Baptiſt. de modo ſtudendi in vtroque iure a. 364
Caeleſtini V. Pontificis vita a. 210
Caeſar C. Jul. cum commentar. Henr. Glareani 1538 a. 448
- - Plantin. 1570 a. 451
Caeſarii quaeſtiones theologicae & philoſoph. a. 301
Calderini Joan. Ambidexterium a. 83
- - Tr. de interdictis 1438
- - Repetitiones 1441

Calde-

Digitized by Google

Calderini Gaſpar. Repetitio de poenit. & remiſſ. 1442
Callimachus H. Stephani a. 234
Callimachi Philipp. Oratio de bello Turcis inferendo, & hiſtoria de his quae a Venetis tentata ſunt Perſis ac Tartaris contra Turcos mouendis a. 463
Camdeni Guil. Annales rer. anglic. a. 349
Camerarii Joachim. Commentar. in Ciceronis quaeſtion. tuſculan. libros V a. 382
- - - - in reliquos IIII. tuſcul. quaeſtion. libros a. 384
- - Commentarii vtriusque linguae a. 385
- - Narratio de H. Eobano Heſſo a. 386
- - de Oſtentis libri II a. 391
- - Commentat. explicat. tragoediarum Sophoclis a. 392
- - Hiſtoria Jeſu Chriſti a. 393
- - de graecis latinisque &c. numerorum notis a. 393
- - Conuerſa ex Thucydidis hiſtoria a. 396
- - Commentat. non eſſe ex euentis de conſiliis actionibusque hominum pronunciandum a. 396
- - Scholion de Congiario a. 396
- - Epiſtolarum familiar. libri VI a. 397
- - Politicorum & oeconomic. Ariſtotel. interpret. & explicat. a. 398
- - συμμικτῶν πεοβλημάτων Decuriae XXI a. 400
- - Verſio lat. Onoſandri de re militari a. 401
- - Querela Lutheri ſeu ſomnium 1227
Camertis Joann. Index plinianus a. 118
Campezii Joann. Tr. de dote a. 437
Canenſii Michael. Vita Pauli II. Pontif. 1167
Canones poenitentiales a. 314
Capellarii Michael. Chriſtinas 1027
de Capiſtranis Joannis Tr. de cupiditate a. 310
Capitonis Wolfg. Fabricii Enarrationes in prophetam Habakuk a. 353
Capotii Priami Oratio metrica a. 18
Capra Benedictus Tetius de Benedictis, vid. Benedict. Tet. de Benedictis.
la vie du Marquis Galeace Caracciolo a. 606
Cardani Hieron. Metopoſcopia a. 43
- - de propria vita liber a. 45
Cardinalis Alexandrinus, vid. Joannes Antonius de Sanctogeorgio.
Cardinalis Hadrianus, vid. Hadr. de Caſtello.
Carleti Angeli Summa de caſibus conſcientiae a. 573

Digitized by Google

Caſae Joan. Galateus & libellus de officiis inter potentiores & tenuiores amicos a. 471
Caſelii Joan. Opus epiſtolicum a. 415
Caſſiodorus de anima a. 418
Caſſius Dio, vid. Dio Caſſius.
Caſſii Iatroſophiſtae προβλήματα a. 423
de Caſtello Hadrian. de vera philoſophia 1192
Catalogus Doctorum Vormatiae praeſentium a. 281
Catalogus platonicus a. 361
Cato M. de re ruſtica 1336. 1338
Cato de morbus durch Sebaſt. Brant geteutſcht a. 370
Catullus Aldi a. 487
Celtis Conradi de vita & moribus Germaniae carmen 1386
Chalcocondylae Laonici, hiſtoria turcica lat. a. 323. 326
Champerii Symphoriani, liber de quadruplici vita & alia opuſcula a. 652
Choniatae Nicet. Acominat. hiſtoria lat. a. 321
les grandes Chroniques de France 1411
Chryſoſtomi Joannis, Homiliae in Joannem a. 91
Chytraei Dauid. verſchiedene Nachrichten von der chriſtlichen Kirchen Zuſtand in Griechenland, Aſia, Africa &c. a. 294
Chytraei Nathanael. verſio latina libell. Jo. Caſae de morum honeſtate & elegantia a. 471
Ciampini Joan. Examen libri pontificalis & Catalogus Bibliothecar. apoſtolic. ſedis a. 522
- - Parergon ad examen libri pontificalis a. 526
- - de perpetuo azymorum vſu in eccleſia latina a. 527
Ciceronis quaeſtiones tuſcul. cum Commentar. Phil. Beroaldi 1502 a. 255
- - quaeſtiones tuſcul. 1510 a. 256
- - Officia 1507 a. 258
- - Opera moral. cum variis commentariis a. 258
- - Scripta rhetorica cum commentar. Omniboni Leoniceni 1476 a. 262
- - Rhetorica ad Herennium 1504 a. 263
- - Orationes 1499 a. 265
- - Orationes in Verrem 1499 a. 266
- - Epiſtolae ad Atticum, Brutum & Qu. fratrem Juntin 1571 a. 266
- - Epiſtolae ad familiares cum commentar. varior. 1589 a. 267
- - Opera omnia Dion. Lambini 1565 a. 269

de

Digitized by Google

de Chuaſio Angelus, vid. Angel. Carletus.
Claudianus cum Commentar. Gaſp. Barthii 1392
Clemens Alexandrinus gr. 1550 a. 228
Clophili Octauii Catalogus poetarum famoſiorum pluriumque celebratiſſimor. viror. a. 512
Clichtouei Jodoci, Antilutherus a. 530
- - de veneratione ſanctorum a. 531
Coccaius Merlinus 1181
Coccinii Michaelis, Opuſcula & apologiae a. 560
Codini Georg. de Officialibus palatii conſtantinopolitani & officiis magnae eccleſiae gr. & lat. a. 554
Coelner Joan. de Vanckel Summarium textuale & Concluſiones ſuper textum & Clementinas 1449
Colinii Caſparis vita a. 138
Collectio auctorum qui S. S. translationes in vulgarem linguam damnarunt a. 160
Columella L. Jun. Moderat. de re ruſtica 1336, 1338
Columnae Aegidii, expoſitio in libros poſteriorum Ariſtotelis a. 536
- - Theoremata de eſſe & eſſentia 1208
Comeſtoris Petri, Scholaſtica hiſtoria 1483 a. 162
- - - 1486 a. 163
- - - - 1500 a. 164
- - - - ex edit. Angel. Mariae Quirini 1729 a. 164
Concordantiae Bibliorum V. & N. T. latin. a. 155
De Concubinariis non abſoluendis auiſamentum a. 188
Conradus noricus, vid. Conrad. Tocklerus.
Conringii Herm. epiſtola de ſcriptis caſelianis a. 415
Conſenſus orthodoxus S. S. & veteris eccleſiae de veritate verborum coenae domini a. 516
Conſtantini porphyrogennetae Opera gr. & lat. a. 551
Contracti ſermones de tempore & ſanctis 1092
Cordi Euricii, poetica opera 979
de la Coſte Bertrand, Oeuvres de mathematique 1426
Craſſii Jun. Paull. Verſio latina, librorum Aretaei cappadocis & Rufi epheſii a. 420
Cratetis philoſophi epiſtolae lat. a. 184
Criniti Petri, de honeſta diſciplina libri XXV. & alia opuſcula a. 664
Criſpi Joan. Honor. cubitenſis, Epitomata ſuper VIIII. libros Valerii Maximi a. 504
Cromeri Martini, Polonia & alia opuſcula a. 597

Digitized by Google

Cruſii Martini, Annales ſueuici a. 593
Curopalates, vid. Georg. Codinus.
Cuſpiniani Joan. de Caeſaribus atque Imperatoribus rom. Opus a. 584
- - Opera a. 588
Cypriani Caecil. Libri & epiſtolae ſ. l. & a. a. 626
- - Opera 1520 a. 626
Cyprii Georg. prouerbia 1330

D.

Danck Joannis, Commentar. in Abdilazi libellum iſagogicum 1421
Demetrii pepagomeni liber de cura canum a. 427
Demoſthenis Oratio in Aeſchinem pro Cteſiphonte per Leonard. Aretinum lat. verſa a. 262
Dionis Caſſii hiſtor. rom. gr. Rob. Steph. 1310
- - - gr. & lat. H. Steph. 1314
Diodorus ſiculus ex verſione lat. Poggii 1297
- - - gr. Henr. Stephani 1300
Diogenes laertius e verſione lat. Ambroſii camaldulenſis & recognit. Bened. Brognoli 1475 793
- gr. & lat. Henr. Stephani 799
- Joan. Pearſon. 802
Dionyſii halicarnaſſenſ. antiquitat. roman. gr. Rob. Stephani 1304
- - Scripta rhetorica gr. Rob. Stephani 1307
Dioſcorides gr. Aldi 895
- 1529 897
Domenichi Ludouic. Traduzzione di Xenofonte 1293
Donzellinus Hieronym. vid. Eudoxus Philalethes.
Dracontii Hexaemeron Andr. Riuini 1400

E.

de Eberhauſen Joan. Lectura & expoſitio in Joan. de Auerbach Proceſſum iuris 1451
Eccardi Predigten 1089
Ederi Georgii, Orationes 1246
Egidii Guillerm. lib. ſuper caeleſtium motuum indagatione ſine calculo 1420
Epiſtola puellae romanae a. 21
Eraſmi Deſider. roterodam. de duplici copia verborum commentarii 742

Digitized by Google

Erasmi Desider. roterodam. de octo orationis partium constructione libellus 745
de Escobar Andreae, Modus confitendi, canones poenitentiales & alia opuscula a. 583
Euangeliſtae quatuor deutſch a. 150
Euangeliſtarum rationarium a. 25
Eugenii toletani poemata Andr. Riuini 1401
Eunapius gr. & lat. Plantin. a. 228
Euſebius de praeparat. euangelic. a Georg. Trapezuntio in lat. ſermonem traductus a. 632
Euſtathius de Iſmenes & Iſmeniae amoribus gr. & lat. a. 230

F.

Fabri Joannis epiſcopi viennenſ. Opus contra Lutherum 1215
Fabri Joan. de Werdea, Tr. de mediis quibus ad beatam vitam peruenire poterit 1205
Fabri Joannis, Commentarius in Fuluii Vrſini imagines illuſtrium 1044
Fabricii Joannis, poemata 1013
Fabularum variarum collectio a. 75
Falconiae Probae, Centones 1344
Faſtidii Britonis lib. de vita chriſtiana 871
Feminarum nouem illuſtrium carmina, Plantin. a. 239
Feſti Sext. Pomp. Fragment. de verborum ſignificatione cum ſchedis Feſti fragmento detractis, & Fuluii Vrſini notis 1397
Ficini Marſil. Epiſtolae a. 405
- de religione chriſtiana & fidei pietate 1204
- lat. verſio Xenocratis de morte 1204
- epiſtola de officiis 1360
Flores ex operibus S. Bernardi excerpti 879
Florus ſ. l. & a. 1387
- 1507 a. 275
Folengus Hieronym. ſiue Theophilus 1181
Formularium aduocatorum & procuratorum rom. curiae & regii parleamenti 1454
Fortunati Venant. Honor. Clementiani, Carmen de reſurrectione dominica 866
Fricii Andreae, de republica emendanda libri V. Orationes, & epiſtolae a. 520
- Syluae quatuor a. 521
Friedrichs Kayſer Reformation a. 436

Digitized by Google

de Frimaria Henrici, Praeceptorium 1256
Froissardi Joannis, Historiarum Epitome a. 342
Fulgentii ruspensis Opera 1409
Fuligatti Jacobi, vita Roberti Bellarmini 1148. 1154

G.

Gabriae Fabulae gr. a. 68
Galeomyomachia gr. a. 69
Galfredus de origine & rebus gestis regum Britanniae a. 337
Gassari Martini, Oratio de Christi ad mortem pro genere humano accessione a. 394
de Gazalupis vid. Jo. Baptist. de Caccialupis.
Gennadius massiliens. de viris illustribus a. 623
de Sancto Georgio Joan. Anton. Commentarius super decreto 1433
Giannetasii Nicol. Parthenii, Halieutica 1020
Autumni furrentini 1022
Gildae sapientis, epistola de excidio Britanniae a. 338
Glareani Henric. Commentar. in C. Jul. Caesarem a. 448
Gnomologici auctores graeci Adr. Turnebi a. 227
Gobii Joannis, iunioris, scala caeli 817
Goerini Arnoldi, Passio S. Mauricii & sociorum carmine heroico 923
Goldmanni Nicol. Tr. de Stylometris 1424
Goullet Robert. Tetramonon, & Compendium de sex aetatibus mundi a. 618
de Comitis Gouriae Conspiratione narratio a. 129
Grapaldi Franc. Marii Dictionar. de partibus aedium 1040
Gregorae Nicephori historia gr. & lat. a. 326
lat. a. 323
Gregorii Magni Homiliae super euangel. a. 94
Gresemundi Theodoric. Dialogus in defensionem septem liberal. artium a. 453
Grünpeckh Josephi, speculum naturalis, caelestis, & propheticae visionis 831
Guldin Bull Caroli IIII a. 435

H.

de Hassia Henrici, Vocabularius biblicus 1109
Hegesippus vid. Aegesippus.
Hegii Alexandri, Dialogi & alia opuscula 1194
Heigerlinus Joan. vid. Jo. Faber episc. viennens.

Hen-

Digitized by Google

Henrici aquilonipolenſ. Cithara ſophialis 957
ex Heraclide de rebus publicis commentar. gr. a. 218
Herodotus lat. Henr. Stephani 1275
- gr. Henr. Stephani 1278
Heſiodus cum ſcholiis gr. 1537 a. 225
Heſſi Hel. Eobani Epiſtolae ad Camerarium a. 386
S. Hieronymi lib. de viris illuſtribus a. 623
- vitae patrum aegyptior. 1140
S. Hilarii Opera 1510 a. 636
Hippocratis iusiurandum gr. a. 69
Hirtzwigii Henr. Lutherus drama 1218
Hiſtoria 11000. virginum a. 264
Homeri Batrachomyomachia gr. a. 68
- Ilias per Pindarum thebanum in latinum traducta 930
Honorius Joann. vid. Jo. Honorius Criſpus.
Horatii carminum Libri IIII. 1498 1350
- de arte poetica 1352
- Opera cum Commentar. Mancinelli & Badii 1511 1352
Hortulus animae 821
Hucbaldi Carmen de laude caluorum 933
Hungeri Wolfgang. Adnotationes in Joan. Cuſpiniani de Imperat. rom. Opus a. 584. 588
ab Hutten Vlrici Arminius dialogus 1383
- - - Julius dialogus 1383
Hygini C. Jul. Aſtronomicon a. 215

I.

Jeſuitas ſingulares SS. pontificiae maieſtatis hoc tempore vindices falſo & fruſtra negare Papam Johannem IIX. fuiſſe mulierem 1235
Introductorium elementale in ideoma graecanicum 748
Joannicii Arabis, Iſagoge ad Tegni Galeni a. 429
Joſephi Judaei Opera lat. a. 611
Iſidori Soliloquia 1183
Iſocratis ad Daemonicum Oratio praeceptiua a Symph. Champerio lat. verſa a. 656
Julius Dialogus 1383
Juſtinus 1507 a. 274
- - 1514 a. 274
Juuenalis 1529 768

Digitized by Google

Iuuenalis cum Commentar. Domitii Calderini, Georg. Merulae, & Georg. Vallae f. an. 1377

K.

Keyſersbergii epiſtola de modo praedicandi paſſionem domini a. 172
de Kitſcher Joan. Tragicocomoedia de iheroſolimitana profectione Ducis pomeriani a. 456
- - Dialogus de S. R. I. rebus a. 458
Koebelii Jacobi Rechenbuchlin a. 292
- - Continuatio chronici ſteinhoeweliani a. 287
Koelner Joann. vid. Jo. Coelner.
Kyerslach Petri, Paſſio Chriſti e quatuor euangeliſtis a. 474

L.

Lactantius 1510 850
- - 1521 854
- - 1532 856
- - 1563 856
- - 1570 858
- - 1650 863
- - de opificio dei 1506 865
- - carmen de reſurrect. dominic. 866
Laeti Pomponii libellus de magiſtratibus, ſacerdotiis, & legibus Romanor. a. 718
de Langenſtain Henric. vid. Henric. de Haſſia.
Laurelii Olaui, Syntagma theologicum 1238
a S. Laurentio Richardi Opus de laudibus beatae virginis a. 570
Lazarelli Ludouici verſio lat. definitionum Aſclepii a. 655
Legenda S. Annae a. 192
Lucani M. Annaei Pharſalia cum Joann. Sulpicii Commentar. 1509 1363
- - - cum Petri de Ponte caeci brugenſis Commentar. 1512 1366
Lucae Franc. Commentarius in quatuor euangelia a. 359
Lucretius de rer. natura Ald. 1500 a. 99
Lutheri Mart. Enarrationes in epiſtolas D. Petri duas & Judae vnam 1230
- - Sermones aliquot latinitate donati 1231
- - Querela ſeu ſomnium 1227
de Lyra Nicolai Poſtilla ſuper quatuor euangeliſtas 731

de Lyra

de Lyra Moralia super totam bibliam 735
- - Praeceptorium & alia opuscula 1255
Lyricorum poetarum carmina Plantin. a. 239

M.

Macer de virtutibus herbarum a. 102
Maiumetis epistolae a. 188
Maioragii Marc. Anton. Commentar. in artem rhetoricam Aristotelis a. 544
Malleoli Felicis, dialogus contra validos mendicantes, & de beghardis lollhardisque in sermonem teutonic. a Nicol. de Wyla vers. 1074
Malleus maleficarum 1453
Mancinelli Antonii, Opera a. 690
- - lima Laurent. Vallensis a. 705
Mantuani Baptistae, Carmen de Maximiliano Caesare, Ludouico rege Francorum ac Venetis 841
- - Carmen de morte contemnenda 945
- - Parthenices I liber I 946
- - Bucolica, & alia 947
- - de patientia 953
Manuale parochiallum sacerdotum a. 474
De S. Mariae immaculata conceptione a. 194
de S. Maria Paulli, Scrutinium scripturarum 737
Mariani Christoph. Conuiuium euangelicum a. 109
Martini braccarensis opuscula quaedam moralia 1359
- - liber de moribus humanae vitae 1360
Martini Nicolai, Lutherus triumphans 1225
Masenii Jacobi, Annales & antiquitates treuirenses a. 466
Matheoli Tract. de augenda memoria 1264
Mauburni Joannis, Rosetum exercitiorum spiritualium 1100
Mela Pomponius a. 127
Melampodis Tr. de naeuis corporis gr. a. 218
- - - gr. & lat. a. 43
- - diuinatio ex palpitationibus gr. a. 218
Mensa philosophica 814
de Milis Joan. Repertorium iuris 1447. 1448
Minutoli Traduction de la vie du Marquis Galeace Caracciolo a. 606
Mirandulani Joan. Pici, Opera a. 676
de Montemagno Bonacursi, vid. Bonacursus,
de Monteregio Joannis, disputationes contra cremonenses in planetarum theoricas delyramenta 1419

Muren-

Digitized by Google

Murensis monasterii Origines. a. 603
Murneri Thomae vtriusque iuris tituli, & regulae in alemanicum traducti eloquium a. 367
de Murone Petri, vita a. 210
Musaei carmen de Hero & Leandro gr. & lat. a. 68

N.

Naogeorgi Thom. Agricultura sacra 1005
Narratio de Conspiratione Comitis Gouriae a. 189
Nemii Joann. Vlularum speculum 1017
Neubricensis Guil. rerum anglicar. libri V a. 342
Nicols Guil. de litteris inuentis libri VI 1031
Noldii Christian. Concordantiae particularum Ebraeo-chaldaicarum 1166

O.

Obsequens Julius, de prodigiis a. 388
Onosander de re militari a Joach. Camerario in lat. sermonem conuers. a. 401
de Oriano Lanfranchi, Tr. de arbitris 1431
S. Orientii versus commonitorii edit. A. Riuini 1404
" " Laurentii Ramirez de Prado 1406
Origenis Homiliae a. 94
Orosii Paull. Historiar. libri VII. 1500 a. 276
Ouidius de arte amandi & de rem. amor. 1471 a. 476
" " de arte amandi 1498 a. 477
" " Fastorum libri 1512 a. 478
" " Metamorphos. libri cum enarrationibus Raphael. Regii 1501 a. 479
" " " 1505 a. 482
" " Metamorphosis Aldi a. 485
Ouidio-Centones 1344

P.

Palaemonis Q. Rhemn. Fannii Carmen de ponderibus & mensuris a. 108
Palladius de re rustica 1336. 1338
Panormitanus Abbas, vid. Nicol. de Tudesco.
Parochialium sacerdotum manuale a. 474
Patrum vitae 1148
Paullini Pontii, carmen de christiana pietate a. 493

Digitized by Google

Pepagomenus Demetr. vid. Demetr. Pepagomenus.
Perſii Aul. Flacci, Satyrae cum comment. Jo. Britannici 1492 1371
- - Satyrae ſ. l. & a. 1374
- - 1516 1375
Petrarchae Franciſc. Epiſtola de officio & virtutib. Imperatoris a. 401
- - - de remediis vtriusque fortunae libell. a Nicol. de Wyla teuton. verſus 1080
a Petra ſancta Silueſtr. verſio latin. vitae Roberti Bellarmini a Jacob. Fuligatto conſcript. 1148. 1154
Petruccii Frider. Conſilia & quaeſtiones. a. 650
- - Quaeſtiones XL. ſuper materia permutationum beneficiorum 1438
Pfeffer Joannis, Directorium ſacerdotale 1094
- - Tr. de indulgentiis 1096
Pfefferkorn Joann. de iudaica confeſſione 1186
Phaemon philoſophus, vid. Demetrius Pepagomen.
Phalaridis epiſtolae per Franc. arretinum tradactae 1268
Philalethis Eudoxi, apologia aduerſus calumnias Euandrophilactis 910
Phile de proprietate animal. cum verſione latin. Gregor. Bersmanni 901
Philelfi Franc. Epiſtolae breuiores a. 410
Philonis iudaei, Opera gr. Adr. Turnebi a. 610
Photii electa e Procli chreſtomathia grammatica 764
Piccolominei Dominici, Oratio de laude liberalium diſciplinar. 848
Pictorii Ludou. Bigi, Opuſcula chriſtiana a. 493
Pindari thebani, traductio latina Iliadis Homeri 930
Platonicus catalogus a. 361
Plautus recognitus per Phil. Beroaldum 1503 1332
Plinii Hiſtoria naturalis 1481 a. 113
de Plumbino Benedict. vid. Benedict. de Bartis.
Poggii Bracciolini, Opera a. 681
- - Facetiae a. 688
- - verſio lat. Diodori Siculi 1297
- - Epiſtola ad Coſmum de Medicis, a Nicol. de Wyla in ſermon. teutonic. conuerſa 1071
- - - Hiſtoria diſceptatiua prima ab eodem verſa 1072
- - Diſceptatio inter Poggium, Nicolaum Nicolai, & Carolum arretinum ab eodem verſa 1073

Digitized by Google

Poggii Bracciolini, Epiſtola de ſupplicio Hieronymi pragenſis ab eodem verſa 1077
- - verſio latin. aſini aurei Luciani, ab eodem in ſermonem teutonic. translata 1079
- - Oratio in Cardinalium collegio habita cum Nicolaus V. pontifex eſſet electus, ab eodem verſa 1083
Polae Franciſc. Ouidio- & Virgilio-Centones 1348
Polemonis Phyſiognomia gr. a. 218
Politiani Angeli, epiſtolae laconicae a. 411
- - Opera a. 666
Pontani Georg. Barthold. Scanderbegus a. 461
de Ponte Petri, Carmen de abitu & reditu pacis 841
- Commentar. in Lucanum 1366
Porti Franciſc. Commentarii in Pindarum 1330
Praepoſitus S. Ambroſii Mediolan. vid. Jo. Anton. de Sancto Georgio.
Praetorii Martini, Poema de principatu ſalubriter adminiſtrando 992
Probi Valerii, Opuſcula a. 718
e Procli chreſtomathia grammatic. graec. electa 764
Propertius Aldi a. 487
die Propheten deutſch durch Marth. Lutherum 1544 a. 149
Proſperi de Regio, quaeſtio de ſenſibus interioribus a. 446
Puellae romanae epiſtola a. 21
Purbachii Georg. theoric. mot. Planetar. 1499
Puteani Erycii, de Cometa paradoxologia 1249
Pyladae Vocabularium a. 697
- Adnotationes in Alexandr. de Villa Dei a. 698
- Carmen ſcholaſticum a. 699
- Genealogia Deorum a. 700
Pythagoricorum philoſophorum fragmenta gr. & lat. Henr. Stephani 799

Q.

Querela Martini Lutheri, ſeu ſomnium 1227
Quirini Angel. Mariae R. E. Cardinal. Vita 1162
- - Vindiciae Paulli II. aduerſus Platinam aliosque obtrectatores 1167
- - Specimen vatiae litteraturae brixienſis 1178
- - noua editio ſcholaſticae hiſtor. P. Comeſtoris a. 164

Rako-

Digitized by Google

R.
Rakocii Martini, Carmen de partibus reipubl. & cauſſis mutationum regnorum imperiotumque 987
Rampegollus, Rampigollus, de Rampelogis Anton. vid. Anton. Ampigollus.
Rami Petri, Oratio pro philoſophica academiae pariſienſ. diſciplina a. 505
- Oratio, initio profeſſionis anno 1551. habita a. 509
- Praeleſtiones in Virgilii bucolica & georgica 1342
Rationarium euangeliſtarum a. 25
Rauennas Petrus, vid. Petrus Rauennas.
Regimen ſanitatis, cum commentar. Arnaldi de Villanoua 941
Rhodomanni Laurent. Paleſtina 995
Roilleti Claudii, Poemata 998
Romanae puellae epiſtola a. 21
Ronſardi Petri, Exhortatio ad pacem a Franciſc. Thorio lat. verſibus expreſſa 1003
de Roſellis Roſelli, ſuper autent. ingreſſi c. de ſacroſanct. eccleſ. 1438
Rubenii Philippi, vita, Carmina, orationes, & epiſtolae a. 86
Rufi Epheſii, libri in latinum ſermonem conuerſi a. 420
Rüdingeri Eſromi, Paraphraſis Pſalmorum a. 12
Ruſticae rei ſcriptores Aldi 1336
1535 1338

S.
Sabadinus Franc. vid. Franc. Zabarella.
Sabellici M. Anton. Opera 1049
- - Enneades 1055
- - Exemplorum libri X. 1060
- - de artium inuentoribus carmen 1244
de Sabunde Raimundi Theologia naturalis 1120
Sacerdotum parochialium manuale a. 474
de Sacroboſco Georgii, Opus ſphaericum 1419
Salernitanae ſcholae praecepta cum Arnaldi de Villanoua commentar. 941
Salluſtius de Coniuratione Catilinae 1513 1340
de Saxonia Joan. vid. Joan. Danck.
Sbrulii Ricardi, Extemporale ad Chriſtophor. Scheurlum a. 379

Scala caeli 817
Scoti Michaelis Expoſitio in Joan. de Sacrobosco ſphaeram 1420
Scribanii Caroli, ludus in ſeculi amorem 1348
Sedulii exhortatorium ad fideles 1503 1402
Seidelii Paull. Hiſtoria Martin. Lutheri 127
Seldeni Joannis Mare clauſum 1261
- - - Jus naturae & gentium iuxta diſciplinam Hebraeorum 1263
Senecae L. Ann. Opera 1492 1356
- - - liber de moribus vitae humanae 1502 1360
Senecae Tragoediae cum Gellii Bernardini Marmitae Commentar. 1492 1361
de Senis Fridericus, vid. Frideric. Petruccius.
Sereni Quint. Sammonic. praecepta medica a. 104
Serrani Joan. Metaphraſis aliquot pſalmorum graeca & precationes graeco-latinae 727
Sibuti Georgii, Silvula in Albiorim illuſtratam 982
Simocati Theophylacti Dialogus a. 423
Sixti philoſophi enchiridion a Symphor. Champerio latine verſum a. 655
Sodalitii litterarii apud Marburgum aliquot cachinni ſuper quodam duorum lipſienſium poetarum in Lutherum ſcripto libello effuſi 974
de Solerio Arnaldi, Repetitio ſuper c. ſi pater filium de teſtamento in ſexto 1438
Solinus de mirabilibus mundi 1498 a. 121
- - - 1515 1376
Sophocles H. Stephani 776
Speculum peccatoris 875
Steinhoewel Henric. Beſchreibung einer Chronick a. 287. 1234
Strabo de ſitu Orbis lat. 1510 a. 123
de Strada Jacobi Epitome Theſauri antiquitatum 1046
Sylvioli Anton. chilias de triumphali Ludouici XII. in Venetos victoria 841
Sylvii Aeneae Opuſc. de duobus amantibus, & de remedio amoris, cum epiſtola retractatoria 889
- - - - a Nicol. de Wyla in ſermon. teutonic. conuerſ. 1067. 1070
- - Epiſtola ad Sigismundum Auſtriae archiducem ab eodem teutonic. verſa 1076

Sylvii

Digitized by Google

Syluii Aeneae Epistola ad Procopium de Rabenstain ab eodem teutonic. versa 1077

T.

Taciti Cornel. Germania 1383
Tauleri Joann. Predigten 1085
Terentius cum commentar. Guid. Juuenalis & Jodoci Badii 1506 a. 491
Testament das alte M. Lutheri 1524 a. 148
- - das neue M. Lutheri 1579 a. 149
- - nouum graecum Brylinger. 1558 723
- - - - syriacum Widmanstadii 724
- - - - saxonicum 1562 726
Theodulus cum commentario a. 497
Theophrasti characteres cum interpret. lat. Bilibald. Pirckheimeri 1326
Therentii Vulgaria in theutonicam linguam traducta 1455
Thorii Franc. lat. versio exhortationis P. Ronsardi ad pacem 1003
Thucydides gr. & lat. Henr. Stephani 1284
Thylesii Anton. libellus de coloribus 1038
Tibullus Aldi a. 487
Tockleri Conradi Commentar. ad textum arithmeticae communis 1414
Tortellii Joan. Orthographia a. 715
Tractatus Procuratoris a. 640
Trapezun- i Georg. Dialectica 1199
Trithemius Joan. de immaculata conceptione Mariae, & de festiuitate S. Annae a. 194
de Tudesco Nicolai, Lectura super primo decretal. 1434
de Turrecremata Joan. Expositiones in Psalterium 1113
- - Quaestiones euangelior. tam de tempore quam de sanctis 1117
- - Meditationes 1119

V.

Valerius Maxim. cum Oliverii arzignanensis Commentario 1500 a. 501
- - cum varior. commentariis 1558 a. 502
- - Aldi 1514 1355
Vallae Georg. lima in Tortelii tract. de orthographia a. 715

Digitized by Google

Vallae Laurent. Traductio lat. Aesopi a. 69
- - Elegantiae, & de pronomine sui a. 705
- - - - cum invectiua in errores Antonii raudensis, & de libero arbitrio a. 709
de Vanckel Jo. Koelner, vid. Jo. Coelner.
Varro M. Terent. de re rustica 1336. 138
Vegetii Publ. Mulomedicina 906
Vegii Maffei Philalethes 1239
Vergilii Polydori de prodigiis libri III a. 388
- - Prouerbiorum libellus 1241
- - de inuentoribus rerum L. III 1244
Victorii Petri, Commentar. in libr. Aristotelis de optimo ciuitatis statu a. 548
Virgilii P. Maronis Opera 1507 1340
- - - - Paul. Manucii 1341
- - Bucolica & georgica P. Rami praelectionibus exposita 1344
- - Opuscula siue Adpendix 1509 1344
- - Centones varior. auctorum 1344
Virgilius salzburgensis, vid. Virgil. Wellendoerfer.
Virginum 11000. historia a. 204
Virunii Lud. Pont. historia britannica a. 338
Vitae patrum 1140
Vitruuius Jo. Sulpicii 1364
de Vrimaria Henr. vid. Henric. de Primaria.
Vrsinus Fuluius, de Romanor. gentibus & familiis a. 444

W.

Wellendoerfer Virgilii, Heptalogium 807
Wimpfelingii Jacob. de integritate libellus a. 167
- - eiusd. libri declaratio apologetica a. 171
- - Excusatio ad Julium II a. 175
- - Apologia pro republ. christiana a. 177
- - Oratio de Spiritu S. a. 179
- - Adolescentia a. 180
- - Elegantiarum medulla a. 181
- - Isidoneus germanicus a. 182
Wimpina Conrad. de ortu, progressu & fructu S. Theologiae 1190
Wittekindi Herman. Tract. contra Jesuitas de Joanne IIX. papa, muliere 128
von Wyle Nicolai Translationen, oder Tütschungen 1065

Digitized by Google

X.

Xenocratis dialog. de morte, a Marsil. Ficino lat. versus 1204
Xenophon gr. & lat. Henr. Stephani 1288
Xenofonte tradotto per Lodouic. Domenichi 1293
Xiphilini e Dionis libris epitome, gr. & lat. H. Stephani 1321

Y.

de Yſabellis Jacob. Philip. artificioſa memoria a. 38

Z.

Zabarellae Franc. Repetitio c. vt animarum de conſtitut. lib. VI 1442
Zachariae Abbatis, elegia ad Venetos, de dominio eorum, breui diruendo 841
Zanitini Hieron. diſputatio de re teſtamentaria a. 642
Ziegleri Hieron. Verſio latina librot. Boccacii de caſibus viror. illuſtr. a. 439
Zonarae Joann. Annales lat. a. 318

Digitized by Google

Emendanda.

Tom. I. p. 607. lin. 1. leg. Paulli IIII. Tom. II. p. 1018. lin. 2. pro anno 1658. leg. anno 1674. Reliquae, a typothetis, secus ac fieri debebat, posita L. B. facili negotio emendare poterit.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google